17-9-2

Biblioteca Complutense
16 Ildefonsina. 7
E.33.C.1. N.2.

DER
N° 13938

ACTA ERUDITORUM

ANNO MDCLXXXIII

publicata,

ac

SERENISSIMO FRATRUM PARI,

DN. JOHANNI GEORGIO IV,

Electoratus Saxonici Hæredi,

&

DN. FRIDERICO AUGUSTO,

Ducibus Saxoniæ &c.&c.&c.

PRINCIPIBUS JUVENTUTIS

dicata.

Cum S. Cæsareæ Majestatis & Potentissimi Electoris Saxoniæ Privilegiis.

LIPSIÆ,

Prostant apud J. GROSSIUM & J. P. GLEITSCHIUM.

Typis CHRISTOPHORI GüNTHERI.

Anno MDCLXXXIII.

BIBLIOTEC

POTENTISSIMI AC SERENISSIMI
PRINCIPIS ET DOMINI,

DN. JOHANNIS GEORGII III

Ducis Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ & Montium, S. R. Imperii Archi-Marſchalli & Electoris, Landgravii Thuringiæ, Marchionis Miſniæ, Superioris item ac inferioris Luſatiæ, Burggravii Magdeburgici, Comitis Principalis Hennebergici, Comitis Marcæ, Ravensbergi, & Barbiæ, Dynaſtæ in Ravenſtein &c.

DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI

Pignoribus Sacratiſſimis



SERENISSIMIS PRINCIPIBUS
AC DOMINIS,

DN. JOHANNI GEORGIO IV,

Electoratus Saxonici Hæredi,

&

DN. FRIDERICO AUGUSTO,

Ducibus Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ & Montium, Landgraviis Thuringiæ, Marchionibus Miſniæ, Superioris item ac inferioris Luſatiæ, Comitibus Principalibus Hennebergicis, Comitibus Marcæ, Ravensbergi, & Barbiæ, Dynaſtis in Ravenſtein &c.

DOMINIS NOSTRIS CLEMENTISSIMIS.

ANnus jam, PRINCIPES SERENISSIMI, lapſus eſt, ex quo primitias Actorum Eruditi Orbis, quæ notitiæ propagandæ cauſa colligimus, CELSISSIMIS NOMINIBUS VESTRIS ſtudio ſubjectiſſimo inſcripſimus; incredibilem cumprimis illam Veſtram, & illuſtri Juventæ omni in exemplum, quod ſtudioſiſſime æmuletur, poſitam in bonas litteras propenſionem, uti par erat, venerati. Neque nunc, ubi alterum Actorum annum (primum enim triennium CELSITUDINIBUS VESTRIS conſecravimus integrum) pari animi ſubmiſſione oblatum imus, argumentum qualiscunque alloquii petendum longe eſt: omnium oculis animisque adhuc obverſante illuſtris victoriæ imagine, quam POTENTISSIMI VESTRI PATRIÆ QVE PATRIS auſpiciis, ſub urbis Viennæ mœnibus, Septembri hujus anni menſe de Turcis partam, Vobis quoque, dulciſſimis tanti HEROIS Filiis, non poſſumus non gratulari. Et ſane nunquam majore vi Chriſtiano orbi immaniſſimus hoſtis incubuit, formidando toti Europæ exercitu, cui inſtruendo tot annos, ac univerſas vaſtiſſimi Imperii vires impenderat, in Auſtriam effuſo, ejusdemque metropoli, a qua Germaniæ totius fortunæ ſuſpenſæ videbantur, acerrime oppugnata. Nunquam majori diſcrimini Chriſtiana cum religione bonæ etiam litteræ fuerunt objectæ; iſto jam imminente hoſte,

cujus in artes ac ſcientias non minus quam in oppida & pagos graſſatur furor, nec ullum humanitatis cultum, quacunque fines imperii porrigit, ſupereſſe patitur, quique torrentis haud dubie inſtar Germaniam omnem inundaſſet, ac cædes, vaſtitatem, barbariem quaquaverſum circumtuliſſet, ſi clauſtro illo ac propugnaculo, Vienna, potiri ex voto ſuo potuiſſet. Quominus mirabitur quisquam, ſi, dum Germania univerſa ob liberatam Viennam, & diſcuſſum quod cervicibus noſtris imminebat periculum, adhuc exultat, & cum Heroum aliorum, tum VESTRI inprimis GENITORIS, DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI, intrepidos auſus & fortia ac glorioſa facta pleno ore celebrat, nos quoque concepti ſemel ex tam illuſtri, ac ad omnem poſteritatem memoranda victoria, Muſisque noſtris non minus quam rei publicæ fructuoſa, gaudii ſenſum exuere nondum poſſumus aut abjicere. Equidem bene ſtatim ſperabamus, & ex prima trepidatione recipiebamus animos, cum fama nunciaret, POTENTISSIMUM PARENTEM VESTRUM adverſus barbarum hoſtem expedire arma, ſuisque auſpiciis decreviſſe rem gerere; nec ab hoc propoſito ullis eorum precibus, qui Sereniſſimum caput tanto objici periculo minus tutum arbitrabantur, dimoveri poſſe. Illum enim Divini animi Heroicum impetum, nonniſi Divinitus accenſum eſſe ac excitatum, certo perſuaſi

eramus

eramus, jamque victoriam animo præcipiebamus; antequam Danubium SAXO, Principesque alii pro Christo bellaturi, cum copiis suis contigissent. Tantum vero abest, ut spes ea nos fefellerit, ut felicissimus expeditionis eventus superaverit prope vota nostra; validissimo Turcarum exercitu tam brevi tempore fuso, castris opulentissimis exuto, ac in turpissimam conjecto fugam. Cujus victoriæ ut fructus ad omnes Christianum nomen professos pertinet, ita gloriæ ejusdem maximam partem VESTRO, SERENISSIMI FRATRES, PARENTI merito vindicatur, qui Divini Numinis auxilio fretus, hostem & primus aggredi, & ea parte voluit, ubi acerrima dimicatio futura præsumebatur, spretoque omni, utut insuperabile non paucis videretur, discrimine, primus propugnaculis hostem masculæ virtute dejecit, primus etiam vexillo in castris Turcarum erecto signum dedit victoriæ, non oculis profecto designatæ e longinquo, sed armis fortique & ab ipso Deo armata manu comparatæ. Eam ergo gloriam & Saxonici Nominis novum decus, quidni & & Vobis, DOMINI CLEMENTISSIMI, impense gratulemur? Quibus PARENTEM OPTIMUM ex difficillima expeditione salvum ac incolumem rediisse, saluti, victorem vero rediisse honori utique tanto majori fuit, quanto illustrius Heroicæ fortitudinis exemplum, quod ævum omne imitetur,

na-

natum inde DOMVI VESTRÆ SERENISSIMÆ *fuit. Faxit modo Æterni Numinis benignitas, ut illa* VOBIS, *ut illa nobis felicitas perpetua sit;* DEXTRAQVE ILLA IMPERII MANUS, *quod cognomen non minori jure* JOHANNI GEORGIO III *Genitori vestro, quam ex Celsissimis Majoribus olim* ALBERTO, *debetur, vigeat perpetuo, possitque, & Imperii decus, & puræ ac orthodoxæ religionis cultum, infracta & inconcussa constantia asserere: Vos vero,* SERENISSIMI PRINCIPES, *virtutum omnium ac doctrinæ ornamentis egregie instructos, idem benignissimum Numen, in* POTENTISSIMI PARENTIS, *ubi is non nisi post seros (quod toto pectore vovemus) annos vitæ gloriæque satur ad superos emigraverit, Heroicum in Republica & Ecclesia propugnanda vigorem aliquando succedere jubeat. Ita valete, & conatibus nostris Paterna munificentia haud parum excitatis, clementissime favere nunquam desinite. Dab. Lipsiæ Calendis Decembr. A. MDCLXXXIII.*

VESTRARVM SERENITATVM

subjectissimi

Actorum Collectores.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Januarii, Anno MDC LXXXIII.

S. AURELII AUGUSTINI HIPPONENSIS Episcopi Operum Tomus Quartus, continens enarrationes in Psalmos, post Lovanienſium Theologorum recenſionem caſtigatus denuo ad manuſcriptos Codices Gallicanos, Vaticanos, Belgicos &c. nec non ad editiones antiquiores & caſtigatiores, opera & ſtudio Monachorum Ord. S. Benedicti e Congregatione S. Mauri.

Pariſiis, 1681. in fol.

D. AUGUSTINI monumenta tanto jam olim in pretio fuerunt, ut eorum cauſa, cum in Hiſpania exemplaria deeſſent, circa A. C. 650 Tajo Cæſaraugustanus Epiſcopus Romam mitteretur. Nec mirum ante nobile artis typographicæ inventum Monachorum calamos deſcribendis Auguſtini operibus, qvibus ambones & pulpita in templis & ſcholis aſſidue perſonabant, ſufficere non potuiſſe, cum poſt varias & toties in Germania, Belgio, Italia & Gallia iteratas editiones ne per typorum qvidem compendia exprimi potuerint ſatis. Namut libros de Civitate DEI, Confeſſionum libros, aliaqve Auguſtini ſcripta ſtatim a prima artis typographicæ origine ſeorſim excuſa prætereamus; fuerunt, qvi nec laborum nec pecuniarum impenſis, qvas tot voluminum immenſa moles exigebat, deterriti univerſa Auguſtini opera, qvæ colligi potuerunt, prelo ſubjici curarent. Primus id fecit *Johannes Amorbachius* Baſileenſis. Is enim omnia Auguſtini opera ex Italia, Gallia & Germania, cujus bibliothecas per Auguſtinum Dodonem Phryſium ſufficienti pecunia inſtructum perſcrutatus fuerat, ad ſe comportata edidit, & undecim partibus diſtinxit: e qvibus octo priores eos Auguſtini libros, qvos ipſe

in ſuis Retractationibus recenſet, continent, reliqvæ cæteros, qvorum nulla mentio in Retractationibus injicitur, complectuntur. Plurimos vero Sermones plurimasqve Epiſtolas & Enarrationes in Pſalmos, qvas jam antea circa A. C. 1489, 1494 & 1495 excudi curaverat, undecim his partibus adjicere noluit, qvæ A. C. 1506 *Baſileæ* lucem aſpexerunt. In eadem urbe poſtea A. C. 1528 & 1529 obſtetricante *Eraſmo Roterodamo* ex officina *Frobeniana* Auguſtinus denuò prodiit in decem tomos diſtributus, & ſolidis nullaqve columnarum intercapedine diſtinctis paginis a ſeqventibus editionibus diverſus, qvæ in eadem Rauracorum Auguſta A. C. 1541, 1542, & 1543, & iterum 1556, iterumqve 1569 *Martini Lipſii, Johannis Coſterii,* & *Johannis Ulimmerii* ſtudio Auguſtinum exhibuerunt. Hos Baſileæ labores in exornandis Auguſtini operibus *Venetiæ* imitatæ ſunt. Hic enim Auguſtini opera decem tomis in qvarto comprehenſa *Valgriſius* excudit A. C. 1571, qvam editionem ibidem A. C. 1584 alia excepit, cum jam A. C. 1577 *Antverpiæ* ex *Plantiniana* officina Auguſtinum *Thomæ Gozei, Johannis Molani,* & aliorum *Lovanienſium Theologorum* curis recognitum dediſſet, qvem paulo auctiorem *Coloniæ Agrippinæ* A. C. 1616 præſentavit. Sed nullibi magis qvàm apud Gallos chalcographorum operæ in Auguſtini monumentis exprimendis deſudarunt. Nam ut de *Lugdunenſibus* editionibus ſuperiore ſeculo A. C. 1571, & hoc ſeculo 1664, cum indice undecimum tomum implente, adornatis nihil jam commemoremus, ſola *Pariſiorum Lutetiæ* vel decies Auguſtinum civitate donavit: nempe primum A. C. 1515, deinde A. C. 1531 ex officina *Claudii Chevallonii*, cum Jacobi Hemeri Stutgardienſis ad Gallum Millerum Eccleſiæ Tubingenſis Theologum epiſtola nuncupatoria, qvæ totam editionis hujus rationem fuſius exponit; porro A. C. 1541, & iterum A. C. 1571 apud *Morellium* & *Nivellium*, tum A. C. 1586, 1609, 1614, 1626, 1635, & 1652. Eſt autem inter has Auguſtini editiones, qvas hactenus recenſuimus, hoc diſcriminis, qvod recentiores locupletiores qvidem, ſed antiqviores ſinceriores & emendatiores habeantur. Qvamobrem *Hieronymus Vignier*, qvi Baſileenſem Eraſmi editionem omnium præſtantiſſimam eſſe judicat, in gratiam eorum qvi antiqviores & caſtigatiores Auguſtini editiones poſſident, ne aut plurimis Auguſtini ſermonibus, epiſtolis aliisqve tractatibus carere, aut recentiora exemplaria, multis qvidem Auguſtini ſcriptis, ſed plurimis qvoqve mendis auctio-

ra

ra comparare ſibi cogantur, omnium S. Auguſtini operum ante A. C. 1614 Baſileæ, Lutetiæ, Antverpiæ, Lugduni, & Venetiis, editorum Supplementum una cum aliis qvibusdam antea ineditis Auguſtini monumentis Pariſiis anno 1654 publici juris fecit.

Cum vero in hoc literarum genere nihil ſit tam conſummatum, qvod non ſucceſſu temporis magis magisqve exornari & expoliri poſſit, *Monachi Benedictini Congregationis S. Mauri* multorum MSC. Codicum undiqve diligenter conqviſitorum fiducia freti ſub auſpiciis Chriſtianiſſimi Galliarum Regis Auguſtini opera denuo novo cultu novisqve typis adornanda, Pariſiis ſuſceperunt. Et primus qvidem cum ſecundo tomus A. C. 1679 in lucem prodiit; qvos A. C. 1680 tertius excepit. Qvartus anno ſuperiore 1681 in lucem publicam emiſſus *Expoſitionem in Pſalmos* continet, qvibus Auguſtinus jam olim in ſeceſſu apud Caſſiſiacum, ubi ſe ad baptiſmum comparabat, in tantum delectatus fuerat, ut ardentiſſimo eos per totum terrarum orbem, ſi fieri poſſet, recitandi deſiderio flagraret, & Manicheis incomparabilem hunc theſaurum & ſalutis ſuæ remedium negligentibus graviter indignaretur. Atqve hæc magnifica de Pſalmis opinio conſcientiæ divinis motibus impreſſa Sanctum Præſulem facile impulit, ut, cum pro officii ſui ratione doctrinæ cœleſtis myſteria plebi ſibi commiſſæ propinaret, eamqve admonitionibus ſuis ad pietatem informaret, inprimis etiam Pſalterii enarrandi curam in ſe ſuſciperet. Nec tamen, cum primum opus hoc aggreſſus eſt, ordinis rationem magnopere habendam ſibi duxit, ſed prout loca, tempora, caſus & perſonæ ſuggerebant, Hippone-Regio, Carthagine, Uticæ atqve alibi Pſalmos Davidicos interpretatus eſt, donec expoſitione Pſalmi CXIIX, qvi in Hebræis fontibus CXIX eſt, cum cæteris omnibus enarratis ſolus adhuc ſupereſſet, amicis inſtanter id efflagitantibus, coronidem huic operi imponeret, eumqve triginta & duobus Sermonibus illuſtraret, ex qvorum procemio diſcimus, S. Auguſtinum Pſalmos modo publice ſermocinando, modo dictando expoſuiſſe. Qvamvis vero Ferrandus in *Vita Fulgentii* hunc Auguſtini ad Pſalmos Commentarium in qvindecim decadas diſtributum referat, qvod confirmant verſus ad epitomen Commentariorum Auguſtini in Pſalmos in vetere qvodam Colbertino Codice contentam, qvorum hoc eſt initium:

Cantica Davidico Chriſtum modulantia plectro
Explanata tenet floridus iſte liber:
Maxima ſuccinctis reſerans myſteria verbis,
Et proſtuos ſenſus ſub brevitate loqvens.
Hunc Auguſtinus toto Venerabilis orbe
Egregius Præſul, Doctor Apoſtolicus,
In populis largo diffundens flumine linguæ
Ter qvinis decadis grande peregit opus &c.

Auguſtini tamen tempore vel juſſu hanc operis partitionem, cujus nec Poſſidius meminit, nec in plerisqve Codicibus ullum veſtigium apparet, factam eſſe credibile non videtur. Unde doctiſſimi Editores in præfatione qvarto huic Auguſtini Tomo præmiſſa ſuſpicantur, idem forte Auguſtino accidiſſe, qvod Livio, qvem, ut Petrarcha in *epiſtola ad Boccatium* obſervat, *in partes qvas decadas vocant, non ipſe qvi ſcripſit, ſed legentium ignavia ſcidit.* Cæterum qvam rationem in Pſalmis exponendis Auguſtinus ſecutus fuerit, qvas leges ſibi ſtatuerit, & cui Verſioni inſtiterit, eadem Præfatio prolixius exponit, cui præter Indicem locorum in Latinis Pſalteriis variantium, Caſſiodori, Petrarchæ, & aliorum de hoc Auguſtini in Pſalmos Commentario, cujus Manuſcriptos aliqvot Codices noſtra etiam Academia in Bibliotheca Paulini Collegii aſſervat, elogia annectuntur. Ipſum vero opus, cujus prior pars enarrationes Pſalmorum LXXIX, poſterior reliqvorum expoſitiones continet, variis lectionibus, aliisqve notulis minutiore characterum forma ad ſingulas paginas ſubjectis illuſtratur. Poſtremo ne qvid deſit, Indices accedunt; unus codicum, ad qvorum fidem hoc Auguſtini opus recognitum & emendatum eſt; alius locorum Sacræ Scripturæ in his Auguſtini ad Pſalmos commentariis explicatorum; alius rerum, & alius denique variarum lectionum ex omiſſis ſelectarum.

ACTA SANCTORUM MAII

collecta, digeſta, illuſtrata a GODEFRIDO HENSCHENIO *&* DANIELE PAPEBROCHIO
e Societate Jeſu. Tomis tribus.

Antverpiæ, 1680. in fol.

GEſta eorum, qvi vitæ ſanctimonia fuerunt conſpicui, celebrare & in plurium ferre notitiam utile cumprimis cenſendum: ac

tueri

tutri ipsorum gloriam, conservare memorias, deprædicare virtutes, sanctitatem vitæ & admirari secum & imitandam commendare aliis, plenum pietatis officium est. Quocirca probandum eorum studium, qui Sanctorum Dei memorias hoc cultu venerati sunt, ut eas literis vel ipsi consignarent, vel iisdem commendatas ab aliis colligerent & conservarent. Quod si maxime omnia, quæ prædicantur de iis, vero consentanea non sint, raptus tamen istis narrationibus in admirationem animus arcanis quibusdam stimulis agitur atque inflammatur, exemplis ob oculos positis, quæ doceant regere animum, frænare cupiditates improbas, opes, honores, voluptates contemnere, capere de injuriis gloriam, ex calamitate solatium, ex cruciatibus voluptatem, ex ipsa denique morte vitam. In his inculcandis haud levem operam Sancti olim posuerunt Patres, passimque occurrunt apud S. Hieronymum, Cyrillum, Bedam, Gregorium, Athanasium, Theodoretum, Basilium, Hilarium, & alios multa insignia fidei, pietatis & constantiæ exempla: quibus sequentium Scriptorum simplicitas plura attexuit, a Romana Ecclesia solicite conquisita & asservata. Consule quid e Veteribus hac in parte præstiterint Eusebius Cæsareensis, & Simeon Metaphrastes qui & Logotheta dictus est, ut & Palladius, inter Græcos: quos secuti Latini accuratius huic studio incubuerunt; alii succincte Sanctorum gesta complexi, alii ornare ea stilo aggressi, alii undecunque collecta in unum congerentes. Nota sunt *Menologia* & *Martyrologia* Veterum, quibus doctissimi Viri Eusebius, Hieronymus, Beda, Ado, Notkerus, Florus, Usuardus, Maurus, quique hos secuti sunt Rosweydus, Baronius, Wilsonus, Saussaius, Galesinius, & alii exquisitam impenderunt operam. *Vitarum* quoque *Patrum* huc pertinet collectio a diversis diverso adornata studio. Cumprimis vero *Acta Sanctorum* eo referenda sunt, quæ ad superstitionem usque solicita conservavit Antiquitas: nec Martyrum solum, sed aliorum etiam, qui vitam insigni sanctitatis opinione terminassent, præcipue si prodigiis essent post mortem celebrati, res sive gestas sive confictas conscripsit atque collegit. Sane vix monasterium licet reperire, quod non istiusmodi componendis Actis operam dederit; e quibus multa depromsit, quæ Historiali Speculo insereret Vincentius a diutina apud Bellovacos commoratione Bellovacensis dictus, quibus suam quoque Legendam Auream instruxit Jacobus de Voragine Genuensi-

um Epiſcopus, & Catalogum Sanctorum adornavit Petrus de Natalibus. Nam Bernardi Gvidonis Epiſcopi Lodevenſis, Joannis Gilemanni, & Antonii Gentii monumenta, in qvibus ſummo labore plurimas collegiſſe perhibentur Sanctorum Vitas, qvod in Bibliothecis manuſcripta latent, nec adhuc prodiere in publicum, recenſere nil attinet. Multa etiam e clauſtrorum ſecretis ad Hiſtoriam Sanctorum pertinentia in Antiqvis ſuis Lectionibus evulgavit Henricus Caniſius, & doctorum virorum benignitate & promtitudine adjutus prodidit ſuperioribus annis in *Spicilegio Veterum Scriptorum, qvi in Galliæ Bibliothecis maxime Benedictinorum ſuperſunt*, doctiſſimus e Congregatione S. Mauri Monachus Domnus Lucas Acherius: qvi cum ab anno 1655 duodecim Tomos miſcellaneæ antiqvitatis eccleſiaſticæ, Synodorum, Monaſteriorum, Abbatiarum, Vitarum hiſtorias, Martyrologia & complures Epiſtolas complexæ edidiſſet, anno 1677 decimum tertium evulgans, ſimulqve Indices accuratos omnium antea editorum Voluminum exhibens, metas hujus ſtudii ſe fixurum nec ulterius progreſſurum indicavit. Diverſorum qvoqve Sanctorum geſta, prout ea ſe obtulerunt, vel in bibliothecis reperta, vel ab amicis ſuppeditata, peculiaribus libris emiſerunt erutaqve e tenebris dilucidarunt Joannes Molanus, Joannes Maldonatus, Henricus Sedulius, Andreas Sauſſaius, Philippus Ferrarius, Andreas du Cheſne, Chriſtophorus Browerus, Matthæus Raderus, Nicolaus Serarius, Carolus Stengelius, Antonius Boſius, Petrus Nannius, Jo. Bapt. Manzinus, Thomas Boucherius, Paulus Bombinus, Nicolaus Trigautius, Ful. Cardulus, Phil. Gothus, Alphonſus Ciacconius, Joannes a Boſco, Bonaventura Moronus, Jo. Ant. Gvarnerius, Marius Mutius, Aubertus Miræus, Antonius Sanderus, Chryſoſtomus Henriqvez, Joannes Vaſtovius, Joannes Colganus, Marcus Velſerus, David Hœſchelius, Lucas Holſtenius aliiqve complures: ii potiſſimum, qvi Religioſorum Ordinum annales conſcripſerunt, qviqve ſingulorum cœnobiorum, urbium, regionum & provinciarum Antiqvitates, ſacras præſertim, eruerunt ac illuſtrarunt; nam hi fere omnes vel ipſi Vitas eorum, qvi ſanctitatis laude in qvalibet provincia floruerunt, memorant, vel enarratas ab aliis nec dum editas exhibent.

Majori autem molimine opus hoc aggreſſi ſunt juſtis voluminibus Acta Sanctorum complexi, Bonnus Mombritius Mediolanenſis, Jacobus

Jacobus Faber Stapulensis, Georgius Wicelius, Aloysius Lipomanus Episcopus Veronensis, & qvi hos omnes colligendi industria fingendiqve audacia supergressus est Laurentius Surius Carthusianus. Ex qvo sua deinceps hausserunt Franciscus Haræus, Zacharias Lipelous, Petr. Ribadeneira, Cornelius Grafius, & multi alii, qvi Sanctorum vitas diversis rationibus & variis idiomatis ediderе. Omnes tamen id potissimum egerunt, ut superstitiosum & idololatricum Sanctorum cultum simplicioribus ista tanta eorum turba obtruderent, in Divorum autem numerum post mortem referri eos qvi vitam severis legibus exegissent & præclare factis studuissent, propositis tot exemplis docerent. Cæterum eruditio adspersa fuit nulla, nec in tam vastis Operibus reperta salis mica, anilibus fabulis, qvibus refertæ omnes paginæ, nullam melioris literaturæ partem admittentibus. Primus eam huic studio inferre cogitavit hoc seculo HERIBERTUS ROSWEYDUS, animo constituens omnia Sanctorum Acta qvæcunqve scripta essent unqvam, undeqvaqve conqvirere, edita atqve inedita, collectaqve emittere in lucem Annotationibus illustrata, qvibus & obscura illustriora, & ambigua firmiora, & pugnantia certiora redderentur, multa præterea ad sacram & profanam eruditionem utilia in istis exhiberentur. Universi hujus sui instituti rationem ipsemet expossuit; editis anno 1607 Antverpiæ *Fastis Sanctorum, qvorum Vitæ in Belgitis Bibliothecis manuscriptæ extant*: qvibus veluti specimen totius Operis annexuit *Acta Præsidalia Sanctorum Thamci, Probi, & Andronici*, olim mutilè edita a Baronio. Ad qvam rationem composita omnia Sanctorum omnium Acta *sedecim Tomis* edere, hisqve *duos* Illustrationum in eosdem Tomos adjicere se velle pollicitus est. Sed præclaro huic instituto; cui exeqvendo Bellarminus ducentos vitæ vix sufficere annos, nec minori spatio temporis tem tantam perfici pro dignitate posse censuerat, Rosweydus tamen jam sexagenarius isti perficiendo se parem crediderat; anno 1629 morte subtractus anteqvam primum Tomum emitteret in publicum, consummandum hoc arduum Opus alteri reliqvit.

Qvod aggressus JOANNES BOLLANDUS eruditione summa & eloqventia insigni instructus, ita partes has implevit, ut non ii saltem, qvi Sanctorum cultui superstitiose dediti sunt, fabulasqve pro historiis accipientes nubem pro Junone amplectuntur; sed & alii, qvi *Historiæ Ecclesiasticæ* student, temporum rationes intelligere, anti-

qvita-

qvitates Ecclesiæ priscæ cognoscere, alia item ad eruditionem spectantia ex his monumentis haurire possint. *Ordinem* cum servavit qvem Fasti Romani tenent, religiose observans, ut qvo qvisque e vita hac discessisset die in istum reponeretur. *Acta* ipsa qvo primum scripta olim fuere stilo exhibuit, certis capitibus, si prolixiora ea sint, ut respirare qvasi Lector possit, distincta. Qvibusvis *Præfationes* præmisit seu prolegomena, qvæ locum, in qvo præcipue Sancti qviqve coluntur, qvove orti, aut ætatem degere, vel qvem reliqviis suis celebravere, indicant: tempus qvo vixere ex certis characteribus eruunt: Vita qvælibet, a qvo scripta, qvo tempore, qvibus probata, citata, e qva lingva conversa, annotant: cujus humanitate vel ipsi communicati sint codices, vel ex istis descripta & commodata Vita, docent. Ipsis Actis subjecit *Annotationes*, qvibus vel variæ lectiones, qvæ alicujus esse momenti visæ sunt, in diversis Mss. animadversæ indicantur, vel si qvæ occurrunt obscura, breviter illustrantur, verba barbara aut minus usitata eoqve obscura explicantur, temporum ratio a vulgata diffentiens chronologia exponitur, alia item utilia & erudita in medium afferuntur. Omnium porro qvæ copiosius traduntur, in marginibus epitomen sive *Summaria* apposuit, ut cui integra Acta evolvere non vacat, habeat eorum velut breviarium, cujus beneficio vastum Volumen exiguo tempore possit perlegere. Cumqve nonnulla auctorem, cum ipsos Tomos ederet, etiam sedulo indagantem fugerent, qvæ deinde absolutis istis amicorum beneficio assecutus est, ea in *Appendices* conjecit singulis Tomis subjectas, in qvibus etiam nonnulla emendavit, qvorum non perfecta imbutus fuerat cognitione, cum ipsi excuderentur Tomi. Et ut omnibus numeris absolutum prodiret hoc Opus, instructissimos singulis Tomis addidit *Indices* sex, qvorum priores duos cuilibet Volumini præmisit, qvatuor posteriobus eidem subjectis. Primus *hagiologicus* ordine literarum alphabetico nomina exhibet Sanctorum, qvorum Acta qvilibet Tomus continet, diem istis sacrum annotans & synopsin Actorum tradens; secundus *chronologicus* juxta seculorum ordinem Sanctos sistit, de qvibus in volumine qvovis agitur, annumqve qvo isti nati, mortui, ad dignitates evecti, vel translati sint, ex certis chronologicis notis aut probabili conjectura indicat: tertius *historicus* qvorum vis qvi in qvolibet Tomo memorantur nomina propria cum brevibus lemmatibus annotat; qvartus *topographicus* nomina regionum,

urbium-

urbiumqve continet Sanctorum ortu, obitu, vel reliqviis nobilitatarum: qvintus *grammaticus* verba obsoleta, peregrina, aut cæteroqvin obscura, qvæ in qvolibet volumine occurrunt, recenset: sextus deniqve *moralis* rerum plane omnium, qvarum notitia ad virtutum vitiorumqve tractationem accommodari possit, instar Locorum communium, uberrimam segetem proponit & commonstrat.

Labor autem is cum major Bollando videretur, qvam qvi ab ipso uno posset perfici, adjutorem sibi anno 1635 adscivit GODEFRIDUM HENSCHENIUM egregie Latinis Græcisqve literis ac Theologicis disciplinis eruditum: cujus opera adjutus JANUARII mensis Acta eum in habitum, qvem hactenus diximus, composita anno 1643 binis Tomis edidit, mille centum & septuaginta Sanctorum, & aliorum plurimorum memorias & res gestas illustrantibus. His *generalem*, ut vocat, præmisit *Præfationem* ad Thomam Luytens Abbatem Lætiensem, in qva recenset, qvibus auctoribus, & qvorum excitatus exemplo ad hoc elucubrandum opus accesserit, qvid in eo spectarit, qvem tenuerit ordinem, a qvibus adjutus fuerit, & e qvibus fontibus pleraqve hauserit.

Qvindecim post annis FEBRUARII Sanctorum Acta laboris hujus socii Bollandus & Henschenius tribus Tomis dederunt anno 1658, mille trecentos & decem qvibus Sanctos sistunt, eadem servata ratione, qvæ in Januarii Actis apparet. Cumqve ambo in isto opere desudarint, & communi qvidem consilio omnia ordinarint ac mutua scripta recognoverint, singuli tamen seorsim singulas Vitas discusserint, prolegomenis, annotationibus, & summariis marginalibus, indicibusqve ornarint ac dilucidarint; curandum duxere, ut cujus potissimum labore qvodvis esset elucubratum, aut e Græco versum, excerptum aut annotatum, primis nominum literis in exteriori margine ad initium Vitæ cujusqve aut Tractatus de Sancto appositis annotaretur, qvo Lectori constet, cujus qvodvis acceptum sit ferendum industriæ. Commendari in hoc mense cumprimis meretur insignis Henschenii de Dagoberti II ætate Digressio, qva ad 1. Febr. diem Actis Sigeberti præfatus est, cujus etiam argumentum late in Diatriba *de Tribus Dagobertis* anno 1655 seorsim excusa pertractaverat. Dagoberto enim Secundo antea nemini cognito ex vetustis Sanctorum Actis regnum septendecim annorum asseruit, qvod posteritatis oblivione per annos

mille occultatum latuerat; unde patet qvantam historiæ etiam politicæ lucem Acta hæc inferant.

Dum verò continuando huic studio intendunt, inqve ordinandis Martii Actis ambo desudant, & primus eorum Tomus prælo jam esset subjectus, Bollandum septuagenario proximum anno 1665 superveniens mors abstulit. Qvo extincto ad istius exemplum de idoneo συνέργῳ Henschenius sibi prospiciens DANIELEM PAPEBROCHIUM, industria & eruditione insignem virum, adscivit: qvo adjutore anno 1668 Acta Sanctorum MARTII tribus inclusa Tomis prodierunt. Sub eorum *principium* prolixa & luculenta Narratio de vita, operibus, virtutibusqve Joannis Bollandi, (cujus etiam imaginem æri incisam primus Tomus præfert) de inchoatæ ab eo Sanctorum hujus collectionis exordio, progressu, ac universa ratione, de amicorum Principumqve officiis ad eam provehendam collatis, de piorum atqve eruditorum virorum circa ipsum judiciis, deqve ejus extremis, legitur. *Secundo* Tomo Martyrologium Bedæ, & Flori ad istud Supplementum, ex Mssis edita; *Tertio* Observationes ad S. Theophanis Chronographiam, & Genealogicum stemma Regum Francorum per tres Dagobertos (in primo Februarii Tomo assertos) deductum, præmiserunt: singulis autem Tomis græca Synaxarii, ex Menologio jussu Basilii Imp. collecto, subjunxerunt.

APRILIS Acta anno 1675 prodierunt tribus arctata Tomis: qvorum *primus* duos antiqvissimos Catalogos Romanorum Pontificum, cum variis ad illos Observationibus, præfert; *secundus* præfixum habet Propylæum antiqvarium, circa veri ac falsi discrimen in vetustis monumentis ac chartis, præsertim diplomatis, observandum: non tantum ut cognitæ reddantur formulæ notariales pro seculorum atqve locorum varietate diversæ, sed ipsi qvoqve literarum in Diplomatis ductus cognoscantur. Cum enim in istis ad historicam fidem conciliandam recipiendis non minori sit versandum cautela qvam in nummis, qvorum multi sub larva antiqvitatis inducunt in fraudem, vix ab oculatioribus agnoscendam: rationem earum cognoscendarum discernendarumqve tradendam censuit Daniel Papebrochius, ante qvem nemo in hunc usqve diem peculiari tractatione istam rem aggressus fuerat, qvam postea discutiendam sibi sumsit Joannes Mabillonus in augusto *de Re Diplomatica* Opere; Horrense diploma, qvod falsum

censuerat Papebrochius, verum esse asserens. Ut adeo doctissimorum horum virorum acceptum sit ferendum industriæ, qvod novum hoc antiqvariæ artis genus intelligamus, in qva de veterum instrumentorum ratione, formulis & auctoritate agitur: unde non solum ecclesiastica & civilis historia, sed maxime privatorum hominum Ecclesiarumqve fortunæ plurimum pendent. *Tertius* tomus in fronte prælimina-rem gerit Exegesin, qva ea qvæ hactenus de Dagobertis tribus Francorum Regibus, nullo prævio auctore adjutus, primus Henschenius in Diatriba antehac edita, & in Februarii Actorum tomo primo illustrata, constituerat asserueratqve, stabiliuntur & confirmantur, nonnulla autem ob nova qvædam interea reperta documenta innovantur, annusqve determinatur, qvo Dagobertus II obiit; ex cujus (non vero Dagoberti III) posteris assumtos ultimos stirpis Merovingicæ Reges, clarius comprobatur. Singulis iterum Tomis Acta Græca ad qvemvis eorum pertinentia subjecta sunt. Sancti autem qvorum annua memoria in hunc mensem cadit, propriis designati nominibus sunt mille qvadringenti viginti, certo numero ultra octodecim millibus expressis.

MAJI Sanctorum Acta anno 1680 prodiere tribus Tomis, non integra tamen sed dimidia saltem & sedecim priores dies exhibentia, reliqvis in tres secuturos Tomos rejectis. *Primo* Papebrochius Ephemerides Græcorum Moscorumqve præfixit: has qvidem æneis insculptas tabulis, qvæ omnium Sanctorum, qvorum qvovis die apud Ruthenos memoria colitur, figuras referunt; istas vero metricas, qvæ de singulorum dierum Sanctis hexametrum græcum versum, & e græco in latinum conversum, recitant. Utrasqve annotationibus illustratas licet cernere. Sancti autem Antonii, vel Antonini, Archiepiscopi Florentini Vitam ad secundum Maji diem prolixius idem executus est, eqve Francisco Castilionense, & Leonardo de Serubertis, & Summario Processuum descriptam eam ad MSC. Codices Florentinos exactam dedit, ac Antonio Magliabechio dicavit. Nec exiguam Tomi hujus partem occupat Vita Pauli V. Pont. Max. qvam a Jo. Ant. Gabutio descriptam integram Actis inserendam duxit Henschenius. *Secundo* tomo Hodœporica duo sacra præmittuntur alterum Joannis Phocæ, qvi anno 1185 loca sancta adierat, cujus loc orum sacrorum ecphrasin e græca Leo Allatius latinam fecerat, græcolatinamqve anno 1653

Bartholdus Nihusius ediderat; alterum Antonini Placentini e MSC. eru.um per Ignatium a S. Antonio, decimo vel undecimo scriptum seculo. Cæterum ingravescens Henschenii ætas, & infirma Papebrochii valetudo, curam injecerant Moderatoribus hujus Operis de socio illis dando; adjunxerantqve *Danielem Cardonum:* verum Antverpiensibus anni 1678 feralis autumnus, qvi e sola Professorum domo qvatuordecim sustulerat intra hebdomades qvatuor, istum qvoqve, dum in solatium auxiliumqve morientium se incautus effundit, e vivis subtraxit, priusqvam alicui Parti Anni sacri præfigendo nomen suum famam publicam mereretur. Elogium tamen ejus Tomo alteri præfixit Conradus Janingus, in partem sacrorum horum laborum ipsius loco adscitus. Vita Stanislai auctore Joh. Longino, sive Glugosso, Canonico Cracovienſi scripta, & Gregorii Nazianzeni auctore Baronio prodita, Carmen item prolixius Nazianzeni græcum de Vita propria a Dan. Cardono in solutam orationem latinam conversum, præ cæteris in hoc Tomo annotari merentur. *Tertium* præliminaris de Episcopis & Patriarchis Ecclesiæ Hierosolymitanæ tractatus insignit, in qvo Chronologiam & Acta eorum, cum nonnullis aliis ad Historiæ orientalis notitiam facientibus, exposuit Papebrochius: ad exemplum Henschenii, qvi similem operam in Romanorum Pontificum accurate texendo Catalogo posuerat, sub initium Actorum Aprilis extante. Singulis Tomis his subjuncta sunt *Acta Græca* ex Menologio, Basilii Imp. jussu collecto, & MSCis Bibliothecarum Vaticanæ, Regis Christianissimi, Collegii Claromontani, Ducis Sabaudiæ, Petri Franc. Chiffletii, & aliunde ita congesta, ut qvodlibet Volumen in fine ea reddat, qvæ ad dies pertinent, qvorum Sanctos istud describit, & proinde sedecim saltem dierum Acta Græca prodeant; reliqvis mensis hujus (qvem in sex Tomos Collectores partiti sunt,) diebus in tres reliqvos Tomos seposits: sed qvos ante qvartum & octogesimum seculi annum non prodituros esse, Auctores in Dedicatione primo Tomo præfixa ad Reverendissimum & Celsissimum Principem FERDINANDUM L. B. DE FURSTENBERG Episcopum Paderbornensem & Monasteriensem, ut omnium studiorum sic & Operis hujus Mæcenatem, professi sunt. Nisi, qvod metuendum, spes nostras nunc longius differat Henschenii fatum, qvod octogenario major superiori anno d. 12. Septembris obiit. Sed bene sperare jubet Papebrochii, cui novus nuper socius *P. Franc. Bartius* additus

ditus est, alacritas & indefessus in his tractandis studiis animus: a qvo non residuam modo Maji partem & Junii Acta nobis promittimus, verum totius Semestris a Bollando, Henschenio, & ipso adornati grande Supplementum, egregiis eruditionis monumentis instructum, expectare jussi sumus: nil dubitantes, si vitam Divina concesserit gratia, eundem in habitum reliqvorum etiam sex mensium Acta Sanctorum ipsum, ac Socium esse composituros.

NOVUS ISMAEL, CUJUS MANUS contra omnes & omnium manus contra eum; sive P. DANIEL PAPEBROCHIUS Jesuita omnes oppugnans orbi expositus, per D. Justum Camum.

Augustæ Vindelicorum, 1683. in 8.

SAtyram, sub Dialogi forma adornatam, libellus hic continet adversus Jesuitas infidos, ut Auctor ait, reliqvorum Ordinum socios, & ex istorum Ordine præ cæteris, contra superstitem Actorum, qvæ modo enarravimus, collectorem Danielem Papebrochium. Nam cum ab istis *Jansenismum Lovanii recrudescere* passim jactaretur; hic autem in Commentationibus suis ad Acta passim reliqvos Ordines, Benedictinos puta, Augustinianos, Franciscanos, Minimos, Dominicanos, & cumprimis Carmelitas, eorumqve auctores, perstrinxisse, certe antiqvitati eorum minus favere videretur, calumniis hanc toti gregi illatam injuriam confutandam censuit, qvi sub *Justi Cami* nomine libellum hunc evulgavit. Facetus inprimis & lepidus in Papebrochium videri voluit, in præmissa Tomo III Maji Patriarcharum Hierosolymitanorum Historia Chronologica Parergo VII. n. 131. 133. p. 30. scribentem: *Bollandum motu omnino proprio, molesteqve nonnihil ferente Henschenio, ac joco potius qvam serio, S. Jacobum Eremitam in Palæstina, qvi seculo VI vixit, Carmelitis accensuisse*; qvod is nullos isto tempore Carmelitas extitisse statueret. Igitur in jocos hos, qvos e seriis Bollandi verbis confinxisse Papebrochium Satyræ auctor persvasus est, qvindecim epigrammatibus ludendum sibi duxit, Carmelitarum Ordinis antiqvitatem in dubium vocari ægerrime ferens.

BIBLIOTECA

VALENTINI HENRICI VOGLERI de rebus Naturalibus ac Medicis, quarum in Scripturis Sacris fit mentio, commentarius; accessit Ejusdem Physiologia historiæ Passionis JESU CHRISTI.

Helmstadii, 1682. in 4.

UT nulla philosophiæ sanioris pars est, quæ non perito Sacrarum literarum interpreti genuinum earundem sensum eruere volenti inserviat; ita scientiam rerum naturalium, non tantum historiæ creationis declarandæ multum lucis afferre, sed aliis quoque locis sacris explicandis prodesse insigniter, præter *Franciscum Vallesium in libro singulari de Sacra Philosophia, Guilielmum Ader in Enarrationibus de ægrotis & morbis in Evangelio, Tolosæ* impressis, *Johannem de Mey in commentariis physicis, Medioburgi anno* 1651. publicatis, *Thom. Bartholinum* de *Morbis* (ut vocat) *biblicis*, & alios in vulgus eruditorum notos, nuper in commentario quem diximus ostendere aggressus est *D. Valent. Henr. Voglerus, in Academia Julia non ita pridem artis medicæ Professor clarissimus.* Ediderat ipse ante hos novem annos *Physiologiam historiæ passionis JESU CHRISTI*, quam commentario huic iterum subjungere hæredibus Viri jam beati placuit. Nisi ipse morte fuisset præventus, haut dubie majorem limam operi adhibuisset suo; interim multa in eo occurrunt, quæ curiosum Sacrarum historiarum studiosum oblectare aut erudire possunt. Loca quæ physicæ doctrinæ ope dilucidantur, *aut* rerum naturalium mentionem solum faciunt, ut in historia creationis a Mose descripta factum; *aut* descriptiones earundem continent, quales apud Jobum, XXXIX. XL. XLI. capp. potissimum leguntur; *aut* res supra, vel contra naturæ vires, factas memorant, ad quam classem pertinent miracula a DEO aut sanctis viris patrata, quorum omnium catalogum in fine operis leges consignatum. Quod deinde res medicas attinet, eo refert non tantum quæ ad morbos in sacro codice nominatos ac eorundem curationem pertinent; verum etiam ea, quæ generationis aut nutritionis mentionem injiciunt; ut de conceptu, uteri gestatione & partu, cum quæ alibi, tum quæ præcipue in historia Abrahami, Isaaci, & Jacobi, Johannis

hannis item Baptistæ & CHRISTI memorantur. Multa etiam de variis generis morbis ac ægrotantibus, leprosis, gonorrhæis, cœcis, surdis, mutis, claudis, & modis curandi hosce disserit. Ubi tamen τὸ θεῖον in morbis dictis, nec non discrimen eorum qvi per miraculum, ac qvi per vires naturæ aut artis opera sanati sunt, observare & annotare non neglexit. In *Physiologia historiæ passionis JESU CHRISTI* declarat acerrimum Christi angorem animi, qvem in horto, anteqvam caperetur, sensit: deinde sudorem ejus sanguineum, spineam coronam, acoti felle & vini myrrha conditi potum, solis eclipsin, sitim in cruce pendentis, acetum & hyssopum potui datam, clamorem Christi morientis, mortem repentinam illico secutam, terræ motum ingentem rupes dirumpentem, ex latere mortui perfosso profluentes humores, condituram demum corporis monumento inferendi; qvam prolixius, aliorum sententiis in medium allatis, describit.

PHILOSOPHIA VETUS ET NOVA AD usum Scholæ accommodata &c. Editio altera multo auctior.

Parisiis, 1681. in 12. & Norimbergæ, 1682. in 4.

OPus hoc, cujus prior editio Parisiis itidem prodiit anno 1678, Illustrissimo Domino Jacobo Nicolao Colbert Archiepiscopo Carthaginensi, Rothomagensi Coadjutori &c. a Bibliopola in epistola dedicatoria veluti Auctori nuncupatum, Philosophiam tum Scholasticam tum experimentalem hodiernam utiliter conjungit, eleganterqve ac perspicue explicat. Distributum est juxta posteriorem editionem in sex tomos; primus Logicam, alter Metaphysicam, tertius philosophiam Moralem, qvartus Physicæ partem primam generalem, qvintus Physicæ partem secundam de corporibus vitæ & sensus expertibus, sextus partem Physicæ tertiam de Corpore animato continet. Prior editio qvatuor Tomis ista omnia complectitur: nam in secundo philosophia Moralis & Metaphysica, in qvarto partes Physicæ tum de viventibus tum de rebus vitæ expertibus conjunctæ sunt. Intercedit nihilominus inter utramqve editionem haut leve discrimen, tum qvoad ordinem partium, tum qvoad res ipsas propositas. In priore editione Logicam philosophiæ Moralis statim seqvitur, in posteriore Logicæ Metaphysicam mox subjicere placuit, qvoniam

qvoniam utriusqve eadem pene eſt ſubjecta materies, dum circa generales qvasdam notiones ambæ indefinite verſantur. Phyſicæ prior editio ordine doctrinæ prius de animatis, poſt de inanimatis agit; poſterior oppoſita naturæ methodo explicatis vitæ expertibus viventia tradit. Multæ doctrinæ ex priſtinis ſedibus in alias repoſitæ, inprimis qvæ in Phyſica erant, de materia prima, formis ſubſtantialibus, qvantitate, infinito, tempore, loco, motu univerſim ſpectato, in Metaphyſicam rejectæ ſpeculationes. Multæ plenius denuo expoſitæ, qvanqvam & in priore editione legantur, qvæ in poſteriore omiſſa ſunt aliqva ſtudio, qvædam negligentia Typographorum. Inſignes acceſſiones factæ ſunt Metaphyſicæ, *de Deo ut infinito & immenſo*; Philoſophiæ Moralis articulis *de Libertate, Religione, Lege divina*; Phyſicæ capitibus de natura corporis; de cauſis extrinſecis gravium deſcenſum efficere potentibus ex D. Perrault; de motu gravium juxta numerorum imparium progreſſum accelerato; de experimentis circa aerem ex D. Mariotte; de firmitate & ſiccitate; de vi elaſtica; de Mundo; de maculis Solaribus ex D. Picard; de Lunæ motu (ubi de novis Cyclis a Caſſino excogitatis, qvibus tempora longe facilius & accuratius, qvam hactenus contigit, digeruntur, item de eclipſium Solarium & Lunarium obſervatione & utilitate ex eodem) de motu Lunæ circa proprium axem ex ejusdem Caſſini Inſtitutionibus Selenicis nondum editis; de fontium origine; de Thermis, de æſtu maris, de terris, ſalibus, lapidibus, metallis; de plantarum vegetatione & nutritione, de ſtructura & uſu cerebri, de inceſſu animalium ex Malpighio & Perrault; de tactu, guſtatu, aure, oculo, ſaporibus, odoribus; de lumine & coloribus ex Mariotte & Boyle; de vocis organis & mechanica eorundem ſtructura ex D. Perrault; de diaphragmate ex eodem; de ſtructura & motu cordis, de hepate, hepaticis remediis & affectibus, de ſangvinis per renes percolatione, de ſangvinis analyſi mechanica ex obſervationibus microſcopicis a Lowenhock factis, de inſectis &c. Integra capita acceſſerunt parti ſecundæ Phyſicæ; *de Artis Gnomonicæ principiis, de plantarum analyſi & viribus*. Parti vero tertiæ; de nova ratione explicandi motus muſculorum, de volatu & natatu; de motu animalium naturali, de qvalitatibus tactilibus, de tubo optico, de microſcopio, de varia animalium reſpiratione juxta diverſos aeris ſtatus, de arteriarum ſtructura & pulſu, de perturbato cordis & ſangvinis motu, item febribus, de prima alimentorum præparatione. Colophonis loco eſt ex Boyle Appendix de Phosphoris. *LA*

LA PHILOSOPHIE DES IMAGES, PAR le P. C.F. Menestrier, de la Compagnie de Jesus.

Philosophia imaginum, sive Symbolorum & Emblematum: Auctore R.P. Claudio Francisco Menetrerio, Soc. Jesu.

à Paris, 1682. in 8.

SApientia, qvæ in Emblematis Symbolisve habetur, antiqvam habet originem; nec hodie aut heri ista sunt nata, sed Sapientum primis in usu fuere: qvibus imagines erant qvod verba, & qvi tabulis signisqve, etiam cum non loqverentur docentes, doctrinas discipulis suis instillabant. Universa rerum natura materiam præbet huic philosophiæ, nec qvicqvam ista protulit, qvod non in emblema abire possit, ex cujus contemplatione utilem virtutum doctrinam in vita civili capere liceat: adeo ut qvemadmodum Historiæ ex Numismatibus, ita Moralis philosophiæ ex Emblematis lux inferatur, qvæ ad qvosvis humanæ vitæ actus insigne commodum & eximium decus afferunt. Hæc sane ad immortalem Heroum gloriam repræsentandam e triumphalibus suspenduntur arcubus, hæc ad prodigiosam & admirandam Majorum virtutem ostentandam explicantur in atriis, hæc ad defunctorum memoriam sancte colendam circumferuntur in exeqviis, hæc deniqve passim reperiuntur ab Imperatoribus, Pontificibus, Regibus & Principibus depicta, fusa, impressa, incisa, æri, argento, aurove: ut in symbolicis his involucris interioris animi affectus erudite explicatos & æternitati commissos agnoscamus.

Collegerunt ea, sive ab aliis inventa, sive proprii ingenii felicitate reperta, in peculiares libros præstantissimi diversarum gentium Viri: qvorum qvidam, cum liberum hoc doctrinæ genus existimaretur, ut unusqvisqve pro arbitrio qvidvis assumeret condendis emblematis, certam in artem istud redegerunt & ejus præcepta tradiderunt: qvæ tamen non ab omnibus recepta, sed adversis legibus oppugnata sunt. Nam cum qvidam statuissent, omne symbolum velut corpore & anima constare, qvorum istud figura, hanc lemma referat: corpus autem in eo simplex esse debere, nec e pluribus consarcinandam esse imaginem: integrum humanum corpus symbolicam iconem ingredi

non posse, partem tamen corporis ei constituendæ non esse ineptam: sensum ejus non cuivis obvium, neqve tamen ita reconditum esse debere, ut nec eruditis pateat: lemma non alia qvam Latina vel Italica lingva esse efferendum & hemistichio inclusum: plures etiam hujusmodi regulas tradidissent; alii in contraria omnia ivere, Symbolum ab emblemate toto distare cœlo existimantes, nec lemma in symbolo rationem formæ, figuram materiæ instar habere contenderunt, species etiam, in qvas alii symbola dispescunt, heroica, naturalia, & moralia commenti, minus agnoverunt. Ejusmodi autem sunt plerorumqve rationes, ut contendere pro se qvisqve magis qvam evincere videatur.

Omnes qvotqvot in hoc studio elaborarunt Auctores, tam eos qvi artis hujus præcepta & regulas dederunt, vel peculiaribus libris, vel dum aliud agunt expositas, qvam qvi insignibus exemplis studium hoc illustrarunt, MENETRERIUS elegantissimus aliarum non magis qvam hujus scientiæ Doctor recensuit. Qvi postqvam universam Imaginum, qvam vocat, Philosophiam, a nemine antea ea docendi ratione & doctrinæ copia excultam, Orbi exponere statuisset; egregium etiam Commentarium edidisset, qvo a præstantissimis in Gallia Viris Maximo Regi attributum emblema & symbolum, Solem plures irradiantem orbes referens, adjecto lemmate: NEC PLURIBUS IMPAR, eleganter, copiose & erudite asseritur & illustratur; *(la Devise du Roy justifié; à Paris 1679. in 4.)* hoc anno omnes, qvi de Symbolis & Emblematis aliqvid in literas miserunt, commemorandos sibi putavit. Cumqve ab *Italis*, ut imaginum pingendarum sic emblematum condendorum facultate & perspicacissimis & excitatissimis, labor ille præcipue occupatus sit, horum laudat plures, eorumqve Opera succincte enarrat & de iis sententiam fert. Sunt vero: Paulus Jovius, Ludovicus Domenicus, Hieronymus & Vincentius Ruscelli, Scipio Ammiratus, Alexander Farra, Bartholomæus Taegius, Lucas Contilus, Johannes Andreas Palatius, Franciscus Camburaccius, Scipio Bargalius, Torqvatus & Hercules Tassi, Julius Cæsar Capacius, Albertus Bernardettus, Jacobus Sassus, Andreas Chioccus, Johannes Baptista Licinius, Horatius Montaldus, Johannes Baptista Personus, Paulus Aresius, Abbas Ferrus, Silvester Petrasancta, Constantius & Pamphilus Landi, Cæsar Trevisanus, Felix Milensius, Stephanus Guazzus, Thomas Garzonus, Petrus Gritius, Johannes Bellonus, Rudolphus Mojeschinus

ſchinus Pius, Johannes Baptiſta Piccaglia, Guido Caſonus, Franciſcus Lancus, Franciſcus Contarenus, Ruggerius Peſcus, Hieronymus Alexander, Marinus Bolizza, Johannes Baptiſta Albertus, Emanuel Teſaurus, Petrus Abbas, Franciſcus Carmenus, Philippus Picinellus, Aurelius Corbellinus, Gabriel Simeonius, Bernardinus Percivalius, Alcibiades Lucarinus, Johannes Baptiſta Pittonus, Bartholomæus Arnigius, Valerius Zanus, Octavius Strada, Ulyſſes Aldrovandus, Johannes Paulus Reinoldus, Simon Birallius, Principius Fabricius. Ex *Anglia* unicum Abrahamum Frans: Ex *Batavis* neminem: Ex *Hiſpanis* Didacum Savedram, Johannem Oroſcium Covarruviam, Johannem Franciſcum de Villava, Andream Mendonem, Alphonſum de Ledesma, Johannem Baptiſtam Chriſtinæum, Johannem Pinedam, Balthaſarem Corderium, Didacum Ortuneſium de Calaorra, Petrum la Sierra, Marcum Martineſium: Ex *Germania* Anshelmum Botium, Athanaſium Kircherum, Jacobum Maſenium, Academicos Altorfinos, Henricum Engelgravium, Carolum Regium, Martinum Breſſerum, Julium Gulielmum Zincgrefium, Jacobum Typotium, Joachimum Camerarium, Salomonem Neugebauerum, nominat.

A *Gallis* autem ingenii acumine & felicitate ad ſummam dignitatem emblemata cum lemmatibus evecta eſſe prædicat; verumqve hujus artis eos indagaſſe uſum, cum priſcis Franciſci & Adriani Amboſiorum, Andreæ Alciati, Claudii Paradini, Claudii Minois, Ludovici Brettani, Henrici Stephani, Mauritii Sevi, Caroli Bovii & aliorum exemplis, tum recentioribus Petri Moanæi & Dominici, Buhurſii illuſtribus documentis demonſtrat: qvorum iſte egregium de arte emblematum lemmatumqve *(de l'art des deviſes)* commentarium venuſtiſſim is ingenioſiſſimisqve emblematis illuſtratum edidit; hic inter Dialogos, qvos elegantiſſimos eruditiſſimosqve inter Ariſtum & Eugenium inſtitutos compoſuit, inſignem & prolixam tractationem de eorum natura & conſtitutione, vitiisqve ac virtutibus ſuſcepit, ſelectiſſimaqve eorum exempla attulit, peculiare huic argumento tribuens Colloqvium, qvod in iſto Opere ſextum locum tenet. Artem vero hanc emblematicam illuſtrium Virorum in Galliis opera ad majus & conſummatum decus provectam Auctor oſtendit; ac ipſi Cardinali Mazarino, qvi ex Italia in Galliam ſtudii hujus amorem attulerat, maximopere iſtud probatum fuiſſe, ingenio præſtantiſ-

simorum hominum Henr. Lud. Haberti de Montmor, Dnn. Clementis, d'Ouvrier, Chapelain, Charpentier, Perraut, Qvinault, Bourzeys, Talemann, Bussieres, & Mademoiselle de la Vigne postea excultum & perfectum docet.

Huic de Auctoribus, qvi emblematum symbolorumqve naturam & exempla tradiderunt, Dissertationi, ipse subjicit Auctor exempla plurima & symbola de Cœlo, Sole, Aurora, Lumine, Nocte, Planetis, Pareliis, Cometis, & sideribus desumta, qvæ pleraqve ex Scriptoribus, de qvibus antea sententiam dixerat, depromsit. Partem autem *primam* se jam saltem dare, symbola ab astris & cœlestibus rebus petita exhibentem, indicat; cui *alteram* ex elementis conflata; & *tertiam* ex artificialibus corporibus composita ostensuram, numero eorum millenarium qvater superante, sit adjecturus. *Historiam* etiam Symbolorum ac emblematum, *Artemqve* eorum condendorum certis inclusam regulis, qvæ fismioribus nitantur fundamentis, se traditurum pollicetur. Eo nempe allaborans ut absolutam reddat & omnibus numeris perfectam hanc doctrinam, qvam & hodie passim in magnatum aulis, superbis ædificiis, magnificis monumentis, templis, aris, monetis, libris, vestibus etiam exornandis insignem utilitatem afferre ac egregium decus conciliare videmus: de qva, licet apud ipsos non satis exculta, præclare judicarunt Veteres; qvod vel unius Clementis Alexandrini patet sententia, dum Lib. V. Stromat. pag. 415. inqvit: Χρησιμώτατον τὸ τῆς συμβολικῆς ἑρμηνείας εἶδος εἰς πολλὰ, καὶ πρὸς τὴν ὀρθὴν θεολογίαν συνεργῶν, καὶ πρὸς εὐσέβειαν, ἢ πρὸς ἀπόδειξιν συνύσεως, καὶ πρὸς βεβαχυλογίας ἄσκησιν, καὶ σοφίας ἔνδειξιν. Σοφῶ γὰρ τῷ χρῆσθαι τῇ συμβολικῇ φράσει δεξιῶς, φησὶν ὁ Γραμματικὸς Δίδυμος, καὶ τὸ γνωρίσαι τὸ ἀφ' ἑαυτῆς δηλούμενον.

MARTINI RUARI nec non aliorum illustrium, spectabilium doctorumqve Virorum, ad ipsum vel ejus causa scriptarum EPISTOLARUM SELECTARUM Centuria altera & ultima.

Amstelodami, 1681. in 8.

MARTINUS RUARUS natione Holsatus, Vir exceptis sectæ suæ, qvæ fuit Socini, erroribus sic satis probus, ob summam eruditionem

nem & maximas ingenii dotes non modo inter ſuos illuſtre obtinuit nomen, ſed & magnis ubiqve virtis, a religione ejus alioqvin alienis, gratiſſimus vixit. Occaſionem qva ex Lutherano Altorfii factus ſit Socinianus, ipſe memorat Centuriæ hujus pag. 173. 174. 175. 176. dum nempe in Erneſtum Sonerum CryptoSocinianum incidiſſet, ac Gregorii Nyſſeni λόγον qvendam κατηχητικὸν, ſvaſu Rittershuſii & Hoeſchelii, Romana veſte tum primum induendum ſibi ſumſiſſet. E Norico agro pulſus egit deinde paſſim in Germania, Dania, Anglia, Belgica, Gallia, Italia, maxime autem Polonia, & tandem in urbe Gedanenſium domicilium ſibi legit, fortunarumqve ſuarum ſedem ibi collocavit, præcipuorum Regni Poloniæ Senatorum negotia curæ ſuæ commiſſa adminiſtrans. Et qvamvis Eccleſiæ miniſtri munus inter ſuos nunqvam geſſerit, ſibi tamen haud potuit temperare qvominus errores ſuos diſputando, diſſerendo, aliove modo inter cives Dantiſcanos diſſeminaret. Hinc aliqvoties a magiſtratu hujus urbis loco excedere juſſus eſt, ſed interveniente Caſtellani Cracovienſis Stanislai Koniecpolski, ſupremi militiæ Regni Poloniæ Ducis, aliorumqve nonnullorum ex præcipua Nobilitate interceſſione, iterum iterumqve ſuſpenſa fuit injunctæ migrationis executio. Cum autem libertate propriæ conſcientiæ non contentus, dogmatis ſui virus nihilominus hominum animis inſtillare pergeret, Dantiſco expulſus in Straſſinio, uno vel altero milliari inde diſtante pago, cum familia ſubſtitit: donec a Vladislao & Johanne Caſimiro Poloniæ Regibus ex commendatione cum aliorum Regni Conſiliariorum, tum inprimis memorati Cracovienſis Caſtellani, in miniſtrorum Regiorum numerum adſcitus, libere ubiqve non modo commorari & negotia exercere, ſed & ſacra ſua peragere potuit: id qvod uberius cognoſcere licet e pluribus Centuriæ huic inſertis epiſtolis a XLIIX ad LXXXIX, tum ab ipſo tum ad ipſum vel ejus cauſa exaratis, pag. 324.—417. Scriptorum hujus Viri cum antea nullum prorſus extaret, qvod ipſe vel ſua non amaret adeo, vel incommodis qvibusdam intercedentibus perficere non poſſet, qvæ majorem animi & corporis tranqvillitatem poſtulabant; ejus tandem *Epiſtolæ* hinc inde diſperſas poſt obitum Parentis colligere inſtituerunt ſuperſtites duo filii, Joachimus & David Ruari. Harum *prima* Centuria Amſtelodami anno 1677 in lucem & conſpectum hominum edita, magno cum applauſu eruditorum, qvod illic res magni in religione momenti

inter diverſarum ſententiarum atqve ſectarum aſſoclas, pertractari & examinari viderent, fuit excepta. Qvæ res animum addidit natu minori filio Davidi, ut ex ſua officina *alteram* qvoqve eamqve ultimam parentis aliorumve illuſtrium & doctorum Virorum ad eum vel ejus cauſa ſcriptarum Epiſtolarum Centuriam anno 1681 evulgaret, eam ſimul ſpem in Præfatione faciens Lectori, propediem & *reliqva* hujus Auctoris tam *Hiſtorica* qvam *Theologica, qvæ nullius turbare conſcientiam, ſed ſolummodo ad mores corrigendos pietatemqve colendam incitare Chriſtianos* ſcribit, eſſe ſecutura.

Multa vero in altera hac Epiſtolarum Centuria continentur, qvæ cuivis docto, tum ob ſtili elegantiam, tum rerum erudite cognoſcendarum jucunditatem, eas facile commendant: ſiqvidem in iis non Philoſophus modo, Politicus, & Hiſtoricus, ſed & potiſſimum Theologus invenit, qvorum notitia eum forte antehac fugiebat. Et ad *Philoſophum* qvidem ſpectat ſubtilis admodum diſputatio de loco mundi, ſeu ſpacio illo qvod ipſum univerſum ambitu ſuo complectitur p. 206.207.285. de diviſione puncti in infinitum ſive actuali ſive potentiali a p.207. usqve ad 217. & p.286.287.288. de mundi æternitate contra Peripateticos p. 29. 218. 241. de ratione formali pœnæ in malo ob culpam ſimpliciter ſumtam poſita, ſive hæc ſit propria ſive aliena p. 242. 250. *Politicum* non minus qvam *Hiſtoricum* oblectabunt ea, qvæ leguntur de ſtatu Galliæ poſt Henrici IV. mortem p. 25.26. de Rhatichio profitente novam docendi methodum Auguſtæ Vindelicorum p. 32. de Argentorato ejusqve Academiæ ſtatu p.34.35. de Judæorum Cracoviæ ſynagoga p.75. iſtiusqve urbis intra & extra muros ſpectatæ amplitudine, templo item arcis regiæ cum nonnullis ejus monumentis p.77. de ſalis fodinis qvæ ſunt Velicæ & proventu earundem annuo p. 77. de reliqvorum Poloniæ oppidorum ratione p.96. de elegantiis iſtius gentis in excipiendis hoſpitibus p.97.98. de homagio Imperatori a Noribergenſibus præſtito, & pompa qva exceptus is fuit ſub urbis hujus ingreſſum p.197. de Nelli, qvi Cæſari a jocis fuit, faceto qvodam reſponſo p.199. de inſigni ſpectaculo ſive certamine σφαιρικῷ, qvod annulare vocant, Onolzbachii edito in nuptiis Joachimi Erneſti Marchionis cum Solmenſe Comitiſſa Sophia p.201. de Conventu Principum Francofurdienſi & bello Germanico circa annum M DC XXX. p.290. de fœdere ſuper mutua qvorumvis de religione diſſidentium tolerantia inter Ordines

dines Regni Poloniæ anno MDLXX ſancito p. 379. de bello Scythico feliciter a Polonis anno MDCXLIV profligato p. 397. 400. de formandis ſtudiis politicis p. 405. de felici Polonorum expeditione in Moſcos p. 436. Qvæ *Theologo* diſcutienda ſint, ad unam haud facile redegeris claſſem. *Didactica* ſunt qvæ diſſeruntur de baptiſmo aqvæ, an & qvatenus in Eccleſia neceſſario ſit retinendus p. 251. in Scripturis ſacris explicandis antiqvorum Scriptorum conſenſu haud eſſe innitendum p. 284. de uſu gladii inter Chriſtianos p. 300. 301. de Chriſti Deitate p. 303. 304. in qvibus ſubinde heterodoxa adſperſa prudens Lector deprehendet. In *Polemicis* exercere qvem poterit Ruarus, more Socinianorum acerrime diſputans contra ſervum arbitrium in rebus ſpiritualibus p. 13. 14. futurorum contingentium divinam præſcientiam p. 15. 16. 17. 18. fidem infantum p. 19. 20. finalem electorum perſeverantiam p. 53. 54. 55. 56. trium Perſonarum in una Eſſentia Divina ſubſiſtentiam p. 124. 125. Chriſti Deitatem p. 308. ſeqq. unionem perſonalem duarum naturarum in Chriſto p. 126. 127. 128. officium ejus mediatorium p. 129. 130. nomen Patris eſſentialiter ſumtum & de Chriſto uſurpatum p. 131. 132. 133. communicationem idiomatum p. 134. 135. 136. peccati originem ex lapſu Adami naturalem p. 154. Idem diſputat contra idololatriam Eccleſiæ Romanæ p. 438. 439. abuſum auricularis confeſſionis atqve indulgentiarum p. 440. & qvi committitur in alleganda veteris Eccleſiæ auctoritate p. 441. *Exegeticis* annumeranda veniunt ea, qvæ ad loca Scripturæ varia utpote Pſalm. XCVII. 5. (p. 120. 121.) CX. (p. 116. ſeqq.) Jeſ. IX. 6. 7. (p. 52. 53. 112. 113. 114.) XXXV, 4. 5. 6. (p. 108. 109.) LIII. (p. 114. 116.) Zach. II. 8. (p. 110. 111.) Matth. IX. 2. (p. 101. 102. 103.) XXIV. 24. (p. 54. 56.) Joh. XII. 41. (p. 106. 107. 108.) Actor. II. 34. (p. 119. 120.) VII. 53. (p. 270. ſeqq.) 1. Cor. IIX. 6. (p. 132. 133.) Gal. III. 19. (p. 270.) Hebr. I. 7. (p. 118. 119.) II. 13. (p. 53.) aliaqve more ſuo, id eſt, Sociniſtico commentatus eſt. *Caſiſtica* & Practica ſunt: An cum nemine in religione diſſentiente literarum liceat colere commercium? ob dictum Johanneum II. Epiſt. v. 3. p. 7. 10. 11. Num aliqvanto liberius in ſententias variatum ſectarum Chriſtiano integrum ſit inqvirere? p. 38. 39. Qvomodo is, qvi deſperationi propter peccatum aliqvod proximus ſit, erigi & in ſtatu ſuo firmari debeat? p. 140. ſqq. An & qvatenus Sociniani ſacram ſynaxin celebrare poſſint apud Lutheranos? p. 27. (& iterum p. 169. 170. ubi eadem legitur epiſtola, Leuſchnero tributa, qvam p. 27. Huſwedelius

ſcripſiſſe

ſcripſiſſe ferebatur) Num ab iis ſententiis, qvæ manifeſta & conſentiente piorum Veterum interpretatione firmantur, ob conſeqventias, qvas forte aliqvis non poſſit ſolvere, ipſi diſceſſio facienda ſit p. 258. ſeqq. An & qvatenus Chriſtiano liceat magiſtratu fungi p. 268. ſeqq. An omnia exacte prius in Theologia cognoſcenda ſint ipſi, qvi ad munus aliqvod publicum in Eccleſia cupit accedere, p. 297. An qvisqvam religionis & conſcientiæ cauſa ullo incommodo afficiendus ſit in Republica p. 333. ſeqq. p. 351. 363. 369. 378. 425. An major in eo eluceat charitas, qvi bona proximi ad ſe non rapit, qvam qvi ab uxore alterius abſtinet p. 422. An ob tranqvillitatem in Eccleſia ſervandam reticenda ſint aliqvando dogmata, ſi maxime vera, minus ad ſalutem tamen neceſſaria p. 443. Inter *Aſcetica* prolixa illa paræneſis ad colendum pietatis ſtudium p. 41. ſeqq. cum diſcurſu de militia hominis Chriſtiani p. 47. 48. 49. numeranda eſt. Huc referenda etiam commonefactio eorum, qvæ virtutum homine Chriſtiano dignarum cultum non parum impediunt p. 412. Ad *Critica* pertinet virgula cenſoria, qvam in Dialogum Weigelii de Chriſtianiſmo Ruarus ſtringit p. 56. 57. nec non judicium Georgii Konigii Theologi Altorfini de Socinianorum ſcriptis p. 180. ſqq. vindicatio cujusdam loci Volkeliani ex ejus Lib. IV. de Vera religione male intellecti p. 422. laudatio funebris & luctus ob mortem Johannis Crellii p. 428. 429. & judicium de ſcriptis Hugonis Grotii p. 438. *Hiſtoriæ* ac prudentiæ *Eccleſiaſticæ* tandem inſerviunt, qvæ memorantur de Heilbrunnero Theologo Neoburgenſi p. 51. Valentino Weigelio p. 57. 58. Joachimo Eberhardo, Philoſophiæ magiſtro, ejusqve enthuſiaſmo Argentorati in publica concione ſe exerente, carcere & deportatione coërcito p. 81. de Jona Schlichtingio p. 317. de Erneſto Sonero, e cujus diſciplina ſe & alios fratres profectos eſſe teſtatur Ruarus p. 86. 91. 92. 174. 175. de Martino Smiglecio p. 96. de Petro Bertio p. 164. 165. ejusqve defectione ad Papatum p. 167. de Jo. Crellii Locis Theologicis, qvi nunqvam tamen prodiere, p. 171. ejusqve virtutibus p. 187. de templo Freidenſtadienſi, viros a fœminarum aſpectu, ſuæ ſtructuræ commoditate, prohibente p. 33. de Synagoga Judæorum Cracovienſi pictis imaginibus intus exornata, qvas in Romanenſibus alias hi deteſtantur p. 75. 76. de ſtatua lignea templi Cracovienſis in formam hominis aſino inſidentis facta, ejusqve ſolenni deductione, qvæ in Dominica Palmarum qvotannis ſuſcipitur p. 77. de moderato Ruari ac prudenti ſectam ſuam ſeqvendi ſtudio p. 177. 178. 179. de diſputatione

ejus

ejus Gedanenſi p.345. de feliciore ſtatu Remonſtrantium in Belgio, ſuccedente in Principis Mauritii locum Frederico Henrico Naſſovio pag. 266.267. de Floriani Cruſii medici in ſpargendis erroribus Socinianis apud Gedanenſes ſtudio p.361. de ejusdem & Zwickeri ac Ladebachi proſcriptione p. 372. de libero ſacrorum Socinianorum exercitio in Straſſinio prope Dantiſcum pago p.373. ſqq. de Duræi εἰρηνοποιῷ conatibus fruſtraneis p.425. &c.

S. ANASTASII SINAITÆ ANAGOGICARUM Contemplationum in Hexaëmeron Liber XII, hactenus deſideratus; cui præmiſſa eſt Expoſtulatio de S. Johannis Chryſoſtomi epiſtola ad Cæſarium Monachum, adverſus Apollinarii hæreſin; a Pariſienſibus aliqvot Theologis non ita pridem ſuppreſſa.

Londini, 1682. in 4.

ANASTASIUS Antiochenus Patriarcha, qvi qvod in monte Sinai vitam monaſticam excoluiſſet, *Sinaita* vulgo dicitur, exeunte ſexto ſeculo ſatis ſuis defunctus varia poſt ſe opuſcula, & inter hęc Anagogicas contemplationes in Hexaemeron reliqvit, qvod opus extrema ſui parte hactenus caruit. Nam in Bibliothecis Patrum Contemplationum iſtarum libri tantum undecim comparent. Nunc vero duodecimus, juxta fidem MSC. qvod ex Johannis Dallæi Bibliotheca in Colbertinam tranſiit, cum interpretatione Latina & conjecturis *Andreæ Dacerii* acceſſit. Ac ne qvis miretur, cur liber hic duodecimus tamdiu in tenebris delituerit, præfationis Auctor monet, in eo nonnulla cum Tranſubſtantiationis doctrina pugnantia contineri, qvæ librorum Cenſores ſupprimere, qvam ſibi ſuæqve religionis hominibus negotium faceſſere, maluerint. Atqve idem fatum *D. Chryſoſtomi ad Cæſarium Monachum epiſtolam* ob eandem rationem etiamnum experiri, in Expoſtulatione præfationi ſubjuncta qveritur. Enimvero celeberrimum iſtum Eccleſiæ Doctorem epiſtolam aliqvam ad Cæſarium Monachum exaraſſe, qvamvis ea nec inter opera Chryſoſtomi legatur, nec a Catalogorum Scriptoribus recenſeatur; ex *Vetere* aliqvo *Scriptore, qvi* poſt ſeptimi ſeculi medium *contra Severianos & Acephalos ſcripſit*, opera Turriani in lucem edito, nec non e *Nicephori Patriarchæ Conſtantinop.* diſputa-

tione adversus Iconomachos, qvæ in Colbertina Bibliotheca manuscripta extat, & aliis monumentis, abunde constare arbitratur eruditus Expostulator. Neq; dubitat eam Chrysostomi epistolam adhuc extare, cum superiore seculo Petrus Martyr e Florentina Bibliotheca istam descripserit, qvod apographum in Cantuariensis Archiepiscopi Thomæ Crammeri bibliothecam translatum qvorsum postea pervenerit, cum sub Mariæ Imperio hæc bibliotheca diriperetur, incertum. Accidit autem, ut doctissimus Vir *Emericus Bigotius*, dum ante aliqvot annos in Italia versaretur, Florentiæ in eandem epistolam, qvam olim Petrus Martyr ibidem descripserat, incideret; qvam Parisiensem Archiepiscopum Petrum de Marca pro genuino Chrysostomi fœtu agnovisse ejusdem consobrinus Fagetus epistola ad primum Palensis in Bearnia Curiæ Præsidem testatus est. Nec Fagetus modo rem istam in publicum protulit, sed ipse etiam Bigotius se epistolam illam, qvam primum occasio daretur, in publicam lucem emissurum pollicitus est, & cum sub prelo gementem *Palladii Dialogum de vita Chrysostomi* illico lucem visurum amicis significaret, hanc Chrysostomi epistolam post ejusdem vitam, loco maxime oportuno, se itidem editurum haud semel pronunciavit. Qvod neminem non novisse, cui aut ipse Bigotius, aut *Menagius*, aut *Justellus*, aut *Baluzius*, aut *Formentinus*, aut *Santolius*, aliiqve clarissimi viri non sint penitus insalutati, Expostulationis Auctor asserit; subjungens, fuisse etiam, qvi Bigotii præfationem viderint, ipsumqve apud amicos libere professum, se aliqvot ejus exemplaria jam excusa sibi asservasse, & alia nonnulla apud amicos qvospiam reposuisse; esse insuper Viros probos, qvi *Robertum Bigotium* in supremo Parisiensium senatu Consiliarium, hanc ipsam Chrysostomi epistolam in consanguinei sui manibus vidisse profiteantur, deniqve in Angliam, Belgium, ac alio missa prioris paginæ jam excusa aliqvot exempla, hanc epistolam cum Palladio mox prodituram, rem omnibus notam feciſſe. Sed eventum promissis non respondisse dolet; cum a Parisiensibus nonnullis Theologis, e qvibus *Dn. Grandinum* & *Dn. Faure* nominat, & epistola illa diu desiderata, & Bigotii præfatio, suppressæ fuerint; eamqve ob causam in isto Palladii volumine post pag. 236 integer qvaternio desit, per qvam immanem lacunam lector ad fraudis cubilia deducatur. Causam autem tam inopinatæ suppressionis non aliam esse scribit, qvam qvod Chrysostomus in hac epistola Transubstantiationi adversetur, asserens, *panis naturam*

turam integram permanere; quamvis Divina sanctificante Gratia, mediante Sacerdote, Corporis Dominici appellatione dignus habeatur. Quæ verba Petrus Martyr anno 1548 in *Disputatione adversus Gardinerum* Wintonienſem Epiſcopum allegavit. Quæ vero ad hoc Chryſoſtomi teſtimonium Gardinerus, & poſtea Perronius adverſus Pleſſæum diſputans, & Gamachæus regeſſerunt, (quorum ultimus epiſtolam illam non Johanni Chryſoſtomo, ſed Eleemoſynario tribuit, illumque excuſandum pronunciat, quod Tranſubſtantiatio ejus temporibus non ita perſpicue tradita fuerit,) Expoſtulationis Auctor breviter recenſet & confutat; & quod Pariſienſes illi Theologi, qui hanc Chryſoſtomi epiſtolam ſupprimendam cenſuerunt, rebus ſuis haud bene conſuluerint, demonſtrat. De cætero, quod Chryſoſtomum non modo Tranſubſtantiationi, ſed etiam reali Corporis & Sanguinis Dominici præſentiæ adverſatum, cum Albertino & Auctore Diſquiſitionis de Sangvine Chriſti exiſtimat, in eo Virum Clariſſimum falli minime dubitandum eſt.

Die unüberwindliche Feſtung / oder gründlicher Bericht / wie gantz neue Feſtungen / auf eine faſt unüberwindliche Weiſe / anzulegen.

h. e.

MUNIMENTUM INEXPUGNABILE; SEU Munitionum, tum pene inexpugnabilium exſtruendarum, tum legibus Bat avicæ architecturæ extructarum firmandarum magis perficiendarumque, ſolide oſtenſa ratio.

Auctore Erneſto Friderico a Borgsdorff, Architecto.

Ulmæ, 1682. in 8.

HOdierno Marte oppugnandis munitionibus impetum ſuum novis indies artibus intendente, nec operibus ex Architectura militari hactenus recepta, ſive procul arcendis longo tempore hoſtilibus inſultibus; ſive tumultuariæ per ſubitam vim expugnationi cavendæ; ſive mutuæ inter ſe opi ferendæ, ſufficientibus: occupatum hactenus ab illuſtribus ingeniis plurimis laborem, in perficienda Architectonice, ſtruendisque quantæcunque hoſtium vi paribus munimentis, ſibi etiam

ſumere voluit Auctor, editoqve hoc ſcripto publicis impertiri commodis.

Profeſſus autem, ſe minime ſtudio detrahendi qvicqvam debiti honoris illis, qvibus præcipua ſua debeat Architectura (ſic dicta) Batavica aut Freitagiana, animum huic operæ adjunxiſſe; ſed exemplo celeberrimorum hujus ævi Architectorum inductum, arti promovendæ cogitata ſua, qvantumvis ab aliorum ſenſis aliena, publicare decreviſſe. *Inexpugnabilis* titulum, Munitioni ad normam a ſe præſcriptam exſtructæ tributum, eo jure tuetur, qvo ſupremos mundi Magnates Invictiſſimos ſalutamus: qvos qvemadmodum heroica ſua facta, qvibus alios antecellunt, hoc titulo inſigniunt; ſic merito Illam, qvæ ſupra conditionem aliarum, nec ſubitis impreſſionibus capi, nec diſpoſitis per ſuggeſtus tormentis accedi, disjicive poſſit, & cui expugnandæ parem omnino viribus oppugnatorem nulla bellorum hucusqve geſtorum ſuppeditet hiſtoria, hoc nominis ſibi vendicare.

Novæ porro ſuæ muniendi rationi XVII ſeqventia Axiomata (eo, qvo ab Auctore referuntur, ordine hic recenſa) tanqvam principia præſtruit:

I. Hoſti tectis itineribus, foſſis vineisqve ad munitionem acceſſum; & diſpoſitis per aggeres tormentis valli ruinam molienti, maxima infertur a tormentorum viribus noxa & impedimentum.

II. Vineæ hoſtiles eruptionibus, manuqve facta disjectione, efficaciſſime retardantur.

III. Violenti impetus impreſſionesqve jactibus tormentorum, impactos globos &c grandinatim evibrantium, validiſſime infringuntur.

IV. Ab occupatione & inſeſſione ſtratarum valli ruinarum Hoſtem oportet poſſe prohiberere.

Partes Munitionis

V. plurimi ſumtus plurimum conferant ad defenſionem.

VI. defenſæ defendentibus mutuam viciſſim opem præſtent.

VII. defendentes defenſis robore minimum ſint pares: ne Hoſtis plus, qvod impetere, qvam a qvo impeti poſſit, offendat.

VIII.

VIII. Cuivis lineæ oppugnatæ, individuæ ab altera qvapiam ſuppetiæ ſunt deſtinandæ.

IX. Qvo pluribus Munitio cincta fuerit Propugnaculis, eo eſt validior.

X. Cavendis ſubiti impetus expugnationibus Polygonum interius æqvè munitum ſit atqve exterius.

XI. Anguli defenſi exigantur ad rationem angulorum defendentium.

XII. Munimentum obſeſſorem ubivis ictibus tormentorum ſuorum habeat obnoxium.

XIII. Hoſtis uſibus terra, qvoad fieri poteſt, ſubducatur: ut qværendis latibulis eandem ſecum advehere neceſſe habeat.

XIV. Munitio oppugnantem nec ex alto magis, nec ex profundo, ſibi habeat infeſtum, qvam idem Ipſum poſſit experiri.

XV. Defenſorum commeatui communicationiqve tutus tectusqve Munitionem circumcirca ſit ambitus.

XVI. Juſta Munitio, exercitus probe inſtructi prœliumqve capeſſituri exemplo, diverſis ſibiqve in ſubſidium & vicem ſuccedentibus operum ſuorum velut acicbus, Hoſti ſuo occurrat.

XVII. Qvemadmodum in prœlio, proſtratis cæteris, vel ultima legio ſuſtinere adhuc pugnam poteſt; ſic Munitionis hæ acies ita inter ſe ſint diverſæ, ut ſingulas, ad extremam usqve continuata oppugnatione, Hoſtem oporteat devincere.

Atqve his ſive conditionibus ſivè defenſionis debitæ momentis omnibus, ut propoſitos hucusqve muniendi modos deſtitui; ſic ſuum veluti fundamento niti, ſpecioſis admodum diſcurſibus contendit: qvibus brevem ſubjungit explicationem ſex Schematiſmorum, diverſas munitionum, legibus ſupra dictis exſtructarum, ſpecies exhibentium.

Defectibus deniqve Munitionum Batavicarum medetur, correctis præcipuis Munimenti partibus, Collo puta, Alis, & Faciebus Propugnaculi, Foſſâ, Collibus tormentariis, Præmunitionibusqve: ita ut Axiomatibus modo memoratis utcunqve conciliatæ, defenſioni præſtandæ ſint ac alias aptiores.

LE CABINET, OU LA BIBLIOTHEQVE des Grands, &c. Par Gedeon Pontier, &c,

id est:

Bibliotheca Magnatum, continens observationes & indagationes omnium Statuum sive Potestatum supremo dominio gaudentium, multasqve nostri temporis relationes singulares & exquisitissimas: Historiam, Chronologiam, Topographiam, Hydrographiam, Politicam, Insignia, Symbola, Miracula, & egregia alia. Dedicata Regi a Gedeone Pontier, *Presbytero Theologo, & Protonotario Sedis Apostolicæ.*

Parisiis, 1682. in 8.

QVicqvid amplissimus hic titulus promittit, exhibetur Tomis parvis duobus, in unum non magnum volumen compingendis: Ita compendio laboris factum est, ut ex vastissima & infinita pene materia paucissima allata sint, qvæ lectores expectant. Nec minima libri pars in digressiones absumitur, qvas in præfatione excusaturus Autor, non utiles solum, sed & necessarias, ad relaxandam lectoris lassitudinem, & amœnam ejus instructionem, esse asserit. De delectu etiam sive ordine, qvem lector exigeret, ita se defendit, ut dicat genus scribendi naturale, qvo ipse usus sit, semper præferri a sagacioribus, compilationibus scholasticis & affectatis. Tractat autem Tomo opusculi primo de *Pontifice Romano, Duce Sabaudiæ, Magno Duce Hetruriæ, Duce Mantuæ, Mutinæ, Parmæ,* & de Ditione *Tridentina.* Ex Italia in *Galliam* progreditur, & de Rege qvædam, pluscula de Episcopis refert, commemoratis omnibus, qvi hodie Cathedras Metropolitanas & Episcopales obtinent. Pergit ad Ducem *Lotharingiæ*; ad *Imperatorem*, ut vocat, *Germaniæ*, ubi pauca qvædam, sed mutila, de Augustissimo Cæsare, dein provincias, urbes, flumina refert; singularibus verò capitibus agit de Electoribus; concludens hunc tomum narratione de Rege *Hispaniæ.* Tomo secundo tractat de Regibus *Britanniæ, Lusitaniæ, Sveciæ, Daniæ, Poloniæ,* tum de *Moscorum, Tartarorum Precopensium* Dominis. Dein de Rebuspubl. Liberis, *Venetæ, Belgio fœderato, Helvetiis, Genuæ,*

Genua, Geneva, Luca, & *Ragusa.* Inde ad Barbaros digressus, de *Turcis, Persis, Tartaris Asiaticis, Sinensibus, Indis;* Denique etiam in Africa de *Mauritanis,* sive *Maroccensibus, Abyssinis, Ægyptiis,* de *Monomotapa,* & *Congi* Regnis. De omnibus aliqva, eaqve pauca, digressionibus plurimis interpolata. v.g. Tomo primo, capite de Pontifice, agit de *Etymologia tituli Cardinalium*; de *origine Campanarum*; de *ritu Jubilæorum*; de *titulo Pontificis*, cur *sanctissimus* appelletur, contra Protestantes, (hos enim arrepta occasione undiqve insectatur;) de *acu magnetica*, de *Prophetia S. Malachiæ*, qva Pontifices futuri per ænigmata designantur, & aliis ejusce modi, intermixtis etiam & annexis Philologicis qvibusdam, aut potius Grammaticis, qvæ notare & excerpere longum foret; atqve hoc modo per totum Opus sibi indulget.

Etsi vero instituti nostri memores, censura abstineamus, non possumus tamen vel in ipsius auctoris gratiam, (qvi in calce operis observationes & correctiones qvasdam ipse adjecit,) vel ad nostratium institutionem dissimulare, excidisse Scriptori huic multa, dum compilatores qvalescunqve, vel rumores incertos sequitur, & locorum peritia caret, qvæ emendatione indigent. Specimen unum & alterum ex illis capitibus apponemus, qvæ res notissimas continent. Tom. I. p. 252 hoc habet: *Erfordia est urbs præcipua Landgraviatus Thuringiæ, sitam ad Domum Saxonicam, sicuti etiam Dresda; Est alia urbs Erfordia qvam defunctus Archiepiscopus Moguntinus sub dominationem suam, ante aliqvot annos redegit, adjutus copiis Gallicis sub ductu Pradelli Gubernatoris S. Qvintini.* Hæc manifeste etronea sunt: una est enim in Thuringia Erfordia, ut omnes norunt, neqve aliam possidet Elector Moguntinus. P. 269 refert: *Visurgim oriri in Saxonia Naumburgensi, haud procul a Saxonia Altenburgensi*; qvod plane falsum est, oritur enim Vierra, (qvi postea auctus ad Mundam Fulda flumine, Visurgis nomen sumit) in finibus Franconiæ, trans sylvam Thuringicam, milliaribus Germanicis 16 a Naumburgo dissitis. P. 294, ubi paucissima de Serenissimo Potentissimoqve Saxoniæ Electore, Domino nostro Clementissimo, refert, (qvæ examinare supersedemus,) pro descriptione qvadam provinciæ, qvam Lector merito expectare poterat, hæc subjungit: *Magdeburgum est maxima totius provinciæ urbs; possidet hanc Elector Brandeburgicus, ex præscripto Pacis Monasteriensis; tenet in hac præsidium validum, nulliqve sumtui parcit, ut eam muniat. Archiepiscopus ejus est Luthe-*

rus

nus, idemqve simul est Episcopus Hallensis &c. Magdeburgum autem nunqvam fuit urbs superioris Saxoniæ, sed inferioris, nec in Electoratu Saxonico præsidium aliud tenetur, qvam summi Principis nostri. Tacemus qvæ occasione Wittebergæ, (nam præter hanc & Dresdam nullam aliam neqve Saxoniæ neqve Misniæ urbem, ne Lipsiam qvidem nostram, nominat) in B. Lutherum effundit, dudum explosa. Pag. 279 Beatum Rhenanum, scriptorem Germanicarum rerum citans, prænomen ejus pro Sanctitatis elogio habet. Scribit enim *le Bienheureux Rhenanus*: Ita scilicet vocari solent, qvos minorum gentium Sanctos, sive beatificatos, Romanus Pontifex pronunciat. Contra Geographiam etiam, præter alia plurima, peccant enormiter, qvæ in descriptione Norvegiæ p. 70, Tom. II affert: *Hæc regio*, ait, *est extreme frigida, inprimis illa, qva est ultra polum Arcticum*; At Norwegiæ ultimum promontorium viginti plus minus cis polum gradibus situm est, & constat cum summo periculo explorantium, plagam ulteriorem & polo vicinam esse inhabitabilem. Sed alia omnia excerpere & refutare majoris operæ, nec nostri est instituti. Notavimus hæc cavendi errorsis causa, nullo, ut jam professi sumus, insectandi auctoris studio; scimus etiam facilem esse in materia diffusissima lapsum, & qvantumcunqve docti & laborioſi hominis vires ad scribenda talia vix sufficere, ut adeo tutissimum sit, unumqvemqve de rebus patriæ suæ, qvas probe cognitas habet, aut de peregrinis ex diuturna experientia, vel probatissimis auctoribus, commentari.

DE MOTU ANIMALIUM J. A. BORELLI Neapolitani, Opus posthumum. Pars altera.

Romæ, 1681. in 4.

POstqvam de externis Animalium motionibus, qvas spontaneas communiter vocant, harumqve viribus, seu de virtutis robore, qvam natura in contrahendis musculis, ac superandis ipsis appensis resistentiis seu ponderibus adhibet, in *prima*, elapsi anni mense Novembri exhibita, parte Borellus egerat: in hac *altera* primo immediatas mirabilium horum effectuum causas, hinc motiones animalis internas, v. g. sangvinis circulationem, respirationem, urinæ secretionem &c exponit, uno verbo

verbo, integram qvasi œconomiam animalem, felici non minus successu ac methodo plane mechanica atqve probabili tradit.

Prius dum præstare satagit, cum contractio seu decurtatio actio musculi primaria sit, multis nihilominus modis fieri qveat, inqvirit, qvinam horum possibiles & huic negotio congrui magis sint. Negat siqvidem, musculum contrahi per simplicem ac talem fibrarum suarum tractionem, qva pondera a funibus sublevantur: negat, idem fieri virtute qvadam elastica ejus fibris propria: pariter, nec musculos tendi ac indurari putat, ob qvietem suarum partium, nec per exsiccationem aut alterationem illi similem, qvalis pilis torrefactis contigit, nec per corrugationem fibrarum, ut in lumbricis apparet, verum non tam causa, qvam effectus contractionis musculorum lumbrici internorum est. Tandem autem, postqvam evicit, musculos non per condensationem longitudinis fibrarum & approximationem extremitatum ad invicem contrahi, concludit, illos indurescere ac tendi per inflationem a corpore superveniente, i. e. per incuneationem aliqvam horum contractionem fieri.

Proin, rejectis causis contractionis musculorum immediatis, qvæ ab aliis hactenus venditatæ, sc. facultate Galenicorum locomotiva incorporea, spiritibus animalibus aëreis, item sangvine aut succo qvovis musculi porositates inflante, sive a cordis vi impelli, sive, perinde ac in contractione funis madidi, per aëris compressionem, aut proprio pondere immitti supponatur: veram hujus motus æthiologiam declaraturus duas causas socias ad eum reqviri suspicatur, unam intrinsecam magis, alteram forinsecus supervenientem & a voluntate instillatam, qvarum hæc priori superveniens simile qvid fermentationi aut ebullitioni moveat, qvod subitaneam illam musculorum inflationem contractoriam præstet.

Extrinsecus hoc superveniens succum cerebri spirituosum pronunciat, eumq; per nervos cavos ac medullari substantia infarctos adduci, probabiliter satis edisserit: qvi tamen sibi relictus cum ad inflationem illam efficiendam minus adæqvatus foret, de alio qvodam subjecto seu concausa, ex cujus cum succo nerveo contactu tale qvid contingat, sollicitus est hic Scriptor, eamqve Lympham vel Sangvinem pronunciat. Ita qvidem, ut hi succi salini simili ratione, ac alia diversi generis salina concreta horumqve fluores, per vices, a voluntate seu arbitrio

determinatas, ebulliendo fibras muſculorum divellant ac diſtendant, adeoqve abbreviationis horum cauſa vera exiſtant.

Qvibus abſolutis, ſimulqve difficultatibus, qvibus theoria hæc impugnari poſſet declinatis, Motiones animalis internas tam naturales, qvam mixtas, explicandas aggreditur, & primo qvidem Cordis & Sangvinis circulatorium motum. Sangvinem continuo motu per corpus ferri, licet in corde interruptus hic appareat, docet, mox ſubnectendo, qva ratione a corde inchoatus ad & per venas idem continuetur: illud qvidem a fluidi moti gravitate, qvæ augmentum ab impetu motus proprii pariter ac ab impulſu cordis ſuſcipiat, ſangvinemqve eadem ratione mechanica, qva ſyphunculi, ſpongiæ, filtra, funes & cuncta poroſa ab aqva contigua madefiant, ad venas capillares cogat; hoc vero a Venarum conſtrictione, qvam vel harum fibræ, vel muſculi & viſcera ambientia, præſtent, valvulis maxime iſtarum parietibus internis affixis ſangvinem verſus cor potius dirigentibus ejusqve regurgitationem ad partes impedientibus. Atqve horum occaſione a circulari hoc ſangvinis motu craſin ejus vitalem conſervari oſtendit, ſimulqve, qva neceſſitate natura tanta celeritate (i. e. paulo majori ſpacio, qvam una vigeſima parte horæ) totum ſangvinis circuitum abſolvere cogatur, diverſis phænomenis animalibus exponit, ac deniqve, qvare per easdem vias reiterari ſæpius ſangvinis curſus debuerit, ſcilicet ad flumen hujus vitale conſervandum, illum defœcandum, chylum commiſcendum, reliqvasqve œconomiæ animalis functiones perficiendas, deducit Auctor.

Pro cordis autem motu explicando membrum hoc cum aliis Neotericis muſculum concipit, ex fibris maxime ſpiralibus coagmentatum, adeoqve, non ſecus ac cæteros muſculos, totam hujus ſubſtantiam, inflari, tendi ac indureſcere: ita tamen, ut turgeſcentia hæc fibrarum a natura non ad tractionem & approximationem extremorum terminorum ordinetur, ſed potius ut fibræ inflatæ & turgidæ cavitates ventriculorum arctent & inſtar præli ſangvinem in his contentum exprimant, i. e. cordis, inſtar glomi excavati fibræ tumeſcentes ſinus illos repleant figura cordis externa haud immutata, neutiqvam vero, ut communis fert ſententia, ſua contractione illius parietes abbrevient ac illorum ſpatia conſtringant. Hinc uſum & actionem auricularum & valvularum cordis declaraturus, & cum Anatomicis aliis Venæ Cavæ extremitatem

tatem totam musculosam observans, hoc in eum finem factum auguratur, qvo illa sua restrictione sanguinem in obliqvum auriculæ dextræ sinum propellat, adjuta, ut superius dictum, a totius sui tractus motu peristaltico & musculorum atqve viscerum repetita compressione, qvod idem Vena Pulmonalis ageret: usqve dum utraqve auricula vi suarum fibrarum contractiva arctata ostiis suis clausis regressum sanguinis ad venas sufflaminent, huncqve ad ventriculos elutrient, qvi sua plenitudine seu mole valvulas horum tricuspidales ac mitrales inflando ostia venarum dictarum exacte claudat, proin suæ resilitioni obicem injiciat, a cordis vero præli compressione ad arterias urgeatur.

De cætero in propositione 56 & inseqventibus, præmissis nonnullis lemmatis mechanicis, vim facultatis Cordis motivæ commensurare ac ponderare suscipit, & postqvam virtutis musculorum reliqvorum potentiam ex cognitione effectus seu ponderis ab eo suspensi in *parte prima* elicuerat, methodus nihilominus hæc cordi adaptari haud posset: ex similitudine potius & analogia, qvam cor cum cæteris ejusdem animalis musculis habet, magnitudinem hujus effectus conjicit. i. e. existente cordis mole fere æqvali unius v. g. temporalis & masseteris musculi, dum horum vim præsciremus, probabiliter satis cordis vim motivam illi æqvalem asserere possemus, i.e. tantam, qvæ per se considerata, æqve ac musculi illi maxillæ, majus pondus, qvam 3000 librarum, suspendere posset: imo ulterius demonstrat, cor sua contractione majorem longe resistentiam superare, qvam sit vis illa, qvam ipsius cordis musculi fibræ exercent, seu potentiam musculi cordis minorem esse ejus momento, qvod resistentiam totius arteriarum sanguinis & impedimentorum earundem dilationis ulterioris, adeoqve vim ponderis 180000 librarum, transcendat.

Tandem in causas motum cordis efficientes dum inqvirit, harum immediatam non differre ab ea, qvæ musculos artuum movet, i.e. pariter hujus tensionem ab ebullitione succi nervorum spirituosi & sanguinis, hincqve emergente inflatione, dependere, autumat Borellus: primam vero ac mediatam motionis cordis ab ea, qvæ musculos artuum agitat, discrepare, qvatenus musculus cordis sui juris videatur, & qvodam sibi naturali instinctu moveatur, e contra ex musculis artuum illi & tunc saltem, qvos & qvando volumus, contrahantur. Et cum exin

concludendum veniat, non a voluntate & absqve omni vellicatione succum nerveum cordi instillari & pulsationes hujus reciprocas effici, de organica qvadam structura cogitandum fore, tali, qvæ passim in operationibus naturalibus observetur, & adæqvata videatur ad phænomena pulsationum cordis salvanda, qvam hanc suspicatur. Nimirum qvemadmodum spongiæ, filtra aut fistulæ vitreæ angustiores, licet fluore qvodam repletæ fuerint, hunc ex inferioribus suis orificiis non sensim, sed guttatim & interpositis morulis emittant, & qvidem propter canaliculorum nimiam angustiam & liqvoris aliqvalem lentorem: Sic (qvamvis non impossibile plane credat, motum cordis ab eadem facultate animali cognoscitiva, sed sine advertentia seu actu reflexo, ob consvetudinem habitu acqvisitam fieri) succus spirituosus intra cerebrum semper eqvidem nervorum cordiacorum orificia madefaciat, per illorum tamen angustias, spongiosa medulla plenas, difficulter & per vices tantum defluat, & momentaneas guttularum illarum ejectiones momentanei pulsus seqvantur, propter succi vero spirituosi præsentiam & nervulorum angustias perpetuas & uniformes morulæ qvietis æqve temporaneæ, i.e. motibus æqvales existant, donec succus ille vel fluxibilior aut acrior evadat aut a causa qvavis concitatius agitetur. Qvoniam autem orificia & canales nervorum ad artus abeuntium aliter conformati sint, ut nisi motu qvodam convulsivo concutiantur, a motione spirituum, qva actus imperii appetitus exercetur, succus spirituosus per illo ad musculos exprimi neqveat, interrupti & inæqvales magis horum motus contingant.

Et hic qvidem abrumpimus Lector Benevole. Nam copia solidæ abstrusæqve doctrinæ, qvam fusius exhiberi, cum liber adhuc in paucorum manibus versetur, publici interesse putamus, qvæ supersunt plurimi momenti cætera in mensem proximum rejicere noscogit.

LES DISCOURS DE CHIRURGIE, POUR l' explication des nouvelles Machines pour les Os & pour la Verole, ou maladie venerienne, lors qu' elle y fait des Nodus & Exostoses & des Anchyloses aux jointures, Avec l' art de la guerir methodiqvement par la seule application du Mercure. Par I. Michault.

A Paris, 1682, in 8.

i. e.




D
B
D
A
C
H
A
D
A

i. e.

Discursus Chirurgici, explicantes novas machinas, inservientes reductioni ossium luxatorum & fractorum, ac Lui Venereæ, si in illorum juncturis nodos, exostoses & anchyloses produxerit, cum arte hanc methodice per solum Mercurii usum curandi, &c.

PRimarius eqvidem Scriptoris hujus scopus videtur, utnaturam, differentias, causas ac therapeiam Luis venereæ exponat, hancqve posteriorem a solo Mercurio expectandam esse, edoceat, decocta vero Lignorum (alias in hoc affectu freqventioris usus ac felicissimi successus) rejiciat ac detestetur, eo qvod calefaciendo & exsiccando acrimoniam Salis Venerei augeant, adstringendo evacuationes cohibeant, doloresqve partium, morbo huic solennes, potius intendant, qvam levent. Anteqvam nihilominus argumentum hoc tractandum suscipit, in Cap. I nonnulla circa machinam qvandam, ossibus luxatis & fractis reponendis maxime appropriatam, qvam cunctis reliqvis, hactenus Chirurgorum officinis familiaribus, anteponendam putat, præfatur, hancqve & ejus explicandi rationem Iconismo *Tab. I* exprimit. TAB. I.

Sc. qvatuor figuræ 1, 2, 3, 4, Instrumentum hoc qvatuor exhibent modis, ut 1 illud integrum & restituendo humero luxato accommodatum denotet: 2 ut actu reponendo eidem humero applicatum: 3 prout fracturis ministratur: 4 ut complicatum, qvo de loco ad locum commode transportari qveat. Litera A totum machinæ corpus indicat, B hujus in medio incisuram, C ferramentum ad formam circini vietorii inversi paratum, ac trochleam, ex ligno solidiore factam, longiorem & brachii crassitiem æqvantem, in medio sui gerens, D annulos duos exiles, qvibus membrum inter operandum machinæ alligatur; E, F, G hujus pedem, H Chirurgum operantem, & I ejus ministrum, qvi solitarius hujus instrumenti tractationi sufficit, dum reliqva veterum machinamenta pluribus ministris opus habeant; K duas trochleas tractorias, qvibus extensio & contraextensio simul atqve æqvaliter peraguntur, qvale qvid in Medicina nondum visum Autor ait.

Ast qvia nostris Chirurgis jamdum a pluribus annis similis & forsan latioris seu amplioris usus innotuit machina, explicato hacte-

TAB. II. nus Iconiſmo *Tabulam II* jungere voluimus, Chirurgo prudentiori, utra ex his duabus majoris æſtimanda veniat, judicandum concedentes.

Fig. 1 Machinam ſiſtit integram, ex ferramentis tribus longis & parallelepipedis A,B,C,ac ſcuto D,pro extendendo humero parato, corio molliore obducto & zonulis duabus inſtructo, coagmentatam.

Fig. 2. Idem inſtrumentum in ſuas partes A, B,C, D reſolutum, qvibus accedit ferramentum E,femori extendendo dicatum,corio exterius pariter obvelatum, interius autem cochleam (*a*) qvemadmodum ſcutum D foramen (*b*) pro excipienda habenula,ſeu clavo trochleari, (*c*) habens.

Fig. 3. Trochleam tractoriam, inverſa ſua parte conſpiciendam, qvo uncus ejus prominens (*d*) appareat, furcula (*e*) ferramenti A excipiendus & per clavum (*f*) firmandus.

Fig. 4. Zonam cum laqveo, membro extendendo injiciendam.

Fig. 5. Machinam integram luxato humero applicatam.

Modus autem operandi hic eſt. Si humerus reponendus fuerit, ferramento C affigitur ſcutum D alæ ſupponendum & Zonis ſuis thoraci alligandum: qvod ſi vero femur luxatum, eidem C adaptatur ferramentum E, convexitate ſua perinæo ægri applicandum. Hinc Zona *Fig.* 4 membro læſo, & illius laqveus uncis machinæ tractoriæ injicitur. Qvo facto Chirurgus partem luxatam ſupra Zonam dictam manibus ſuis firmiter complectitur, Miniſter autem trochleam *Fig.* 3 eousqve vertit ſeu circumagit, donec iſtam ſufficienter extenſam deprehendat Chirurgus, qvi miniſtro ab extenſione ſenſim remittente eam verſus acetabulum ſuum dirigit adeoqve reponit.

JOH. HELFR. JUNGKEN M. L. MEDICUS præſenti ſeculo accommodandus &c.

Francof. 1682, in 8.

SOlertem atqve ingenuum maxime Rerum Chymicarum ac Medicarum Propagatorem pronunciare haud veremur hunc Scriptorem, utpote qvi, qvæ in *Chymia ſua Experimentali*, cujus tenorem ultimus elapſi anni recenſebat menſis, tradiderat, præcepta Chymica & Medica, qvo veros

TAB. II. ad pag. 38



fig. 4.

E. Andreæ fecit.

B

veros generaret & aleret Hippocratis filios, nunc, paucis ſaltem, iisqve vix ſenſibiliter immutatis, repetiit, qvædam ibi dictorum transponendo, contrahendo, prolixius explicando, ac negligendo, qvorum tamen loco alia ibi omiſſa ſubnexuit, v. g. Camphoræ, Scammonii & fuliginis Anatomen, item ſectionem ſatis amplam de puerorum affectibus, horumqve cura.

CAUSA SPIRITUS SANCTI VICTRIX, demonſtrata a Chriſtophoro VWittichio.

Lugduni Batavorum, 1682, in 8.

ANni jam qvatuor elapſi ſunt, qvod novus Arianorum promachus, Chriſtophorus Sandius Coloniæ (ut libelli titulus habet,) *Problema paradoxum de Spiritu Sancto* typis exſcribi publicis curavit. In qvo, ut Spiritus S. ὑπόστασιν & ſubſiſtentiam, contra Sabellianorum, Samoſatenianorum & Photinianorum ſententiam adſtruere videretur, non qvidem per eum cum *Bidello* unam perſonam Angelicam, ſed *genus Sanctorum Angelorum*, vel *collectionem Spirituum S.* intelligi poſſe exiſtimat. Hanc novam ac portentoſam opinionem, a Sandio ad examinandum orbi eruditorum propoſitam, *Chriſtophorus Wittichius, Theologus ac Profeſſor Lugdunenſis* celeberrimus diſcutere ſuſtinuit, edito Lugduni Batavorum anno 1678 tractatu, cui titulus: *Cauſſa Spiritus Sancti Perſonæ divinæ, ejusdem cum Patre & Filio eſſentiæ, contra C. C. S. Problema paradoxum aſſerta vel defenſa.* Ad hunc libellum, primum ſocius qvidam Sandii, qvi ſub literis A.A. (ut ille ſub C. C. S.) latere voluit, Epiſtola qvadam ad Chriſtophorum Gittichium (ita enim ſcriptum pro *Wittichio*) exarata, reſpondit: Deinde a C. C. S. reſponſum MStum & qvidem prolixum ad Wittichium, ut ipſe memorat, transmiſſum fuit. In qvibus qvidem ambo antagoniſtæ priorem ſententiam dereliqverant; ſed ne tacuiſſe cenſerentur victi, novas exceptiones attulere, qveis *Spiritum Sanctum plures Angelos principes eſſe*, v. gr. Septem illos, de qvibus Apocal. I, 4 agitur, probare auſi ſunt. Has *Autor Cl.* heic diluit, exiſtimans, non poſſe dictum problema melius confutari, qvam ſi contendatur, *Spiritum Sanctum in illis locis, in qvibus*

bus ut persona distincta a Patre & a Filio introducitur, describi ut Deum Summum ejusdem cum Patre & Filio essentiæ. Itaqve loca illa V. & N. T. a Sandio & socio suo propter hanc causam in alienum sensum detorta, vindicat ac a detorsione perversa liberat. Et qvoniam hac occasione, de usu consequentiarum in rebus theologicis, item de ratione varia disserverat Sandius; Wittichius qvoqve *primo*, qvid sit ratio & qvomodo illa sese habeat in Adami posteris; *secundo*, qvid censendum de revelatione, qvidqve ea, prout in Scripturis continetur, valeat; *tertio*, qvomodo ratio ad revelationem se habeat exponit, non dissimulans, se cum Vedelio in Rationali Theologico, circa usum rationis in rebus Theologicis facere.

CHRISTOPHORI VVITTICHII CONSENSUS Veritatis in Scriptura divina & infallibili Revelatæ cum veritate Philosophica a Renato des Cartes detectâ, cujus occasione Lib. II & III Principiorum Philosophiæ dicti des-Cartes maximam partem illustrantur: cum Indice. Editio secunda a multis mendis emaculata & non parum aucta.

Lugduni Batavorum, 1682, in 4.

AUctor ante tres & viginti annos primum edidit hunc Consensum Veritatis adversus illos Cartesianæ Philosophiæ hostes, qvi dissensum inter hanc & Theologiam dari statuunt; qvos inter tum eminebant Lentulus & Revius. Hinc methodus Autoris; qva per 50 capita partim generalia de philosophandi ratione ex Sacra Scriptura, partim specialia, de motu telluris &c. elenchtice pertractat, & ita qvidem, ut Christianismum & Cartesianismum nullibi adversa fronte concurrere arbitretur. In hac vero secunda editione non tantum Sphalmata qvæ in prima Typographus commiserat, delevit, sed &c, ne fine novo ornatu prodiret, nonnulla, qvæ ad uberiorem intellectum veritatum demonstratarum facere viderentur, variis in locis adjunxit; ceu notat ipse in præfat. ad Lectorem.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Februarii, Anno MDC LXXXIII.

S. CÆCILII CYPRIANI Opera recognita & illustrata per JOANNEM OXONIENSEM Episcopum. Accedunt Annales Cyprianici, sive tredecim annorum, quibus S. Cyprianus inter Christianos versatus est, historia chronologice delineata per JOANNEM CESTRIENSEM.

Oxonii, 1682. in fol.

QVem in frontispicio egregii hujus operis figura æri incisa capite plexum sistit, Cæcilium Cyprianum Carthaginensis Ecclesiæ Episcopum, hunc in ipso opere vivum adhuc & spirantem animadvertimus. Relicta enim a Sanctissimo Præsule tractatuum & epistolarum monumenta perlustrare nemo potest, qvin ejusdem ingenium sacris & profanis literis excultissimum, pectus seculi contemptu & insigni pietatis zelo flagrans, os ad facundiam animos penetrantem natum atqve factum, oculos ad disciplinæ ecclesiasticæ custodiam assidue intentos, viscera ardentissima caritate & misericordia erga captivos, exules, & paupertate pressos redundantia, totumqve spiritum corporis ergastulo pro Christi gloria cum omni sanguine egredi paratum, velut in speculo nativis coloribus repræsentari deprehendat.

Ac jam olim qvidem labor iste Viros de re literaria & Christiana præclare merendi cupidos occupavit, ut Beatissimi hujus Martyris scripta ex Bibliothecis collecta & a mendis repurgata, qvo omnium oculis usurpari manibusqve versari possent, prælo subjici curarent. Nam post vetustissimam ipsiqve arti typographicæ pene coævam editionem, qvæ *Spiræ* A. C. 1471 prodiit; & aliam antiqvam, cujus neqve patriam neqve ætatem Typographus notavit; & *Parisiensem*, qvam A.

C. 1512 *Gulielmus Remboldus* procuravit; *Erasmi Roterodami* opera denuo Cyprianus A. C. 1520, & 1525. ex *Frobenii* officina emendatior, auctior & nitidior in publicum exivit. Intra idem tempus *Coloniæ* A.C. 1520 apud *Henricum Alopecium*, & ibidem A.C. 1522 apud *Johannem Soterem* Cypriani opera excusa sunt, quæ deinceps *Lugduni* A. C. 1528, 1537, 1549, & 1550 *Sebastianus Gryphius*, & *Parisiis* A. C. 1541 *Arnulphus Langelier* e suis officinis typis iterum expressa publicarunt. Neqve hic prætermittendum *Henrici Gravii* in exornando Cypriano studium. Is enim *Coloniæ* A. C. 1544 notas suas in officina *Qventeliana* impressas ejusdem operibus adjecit. Hunc *Romæ* A. C. 1563 *Paulus Manutius*, qvi qvatuor epistolarum libris qvintum addidit, & paulo post *Parisiis* A. C. 1564. *Gulielmus Morellius* excepit. Sed omnes operosis suis in Cyprianum lucubrationibus, qvæ *Antverpiæ* A. 1568, & 1589, *Parisiis* A. C. 1574, 1603, & 1616, nec non *Coloniæ* A.C. 1617 lucem publicam aspexerunt, prætergredi conatus est *Jacobus Pamelius* Canonicus Brugensis. Hic enim codicibus editis pariter & manuscriptis diligenter inter se collatis Cypriani opera novo plane ordine digesta, & tribus tomis distincta annotationibus suis illustravit, ut vitam Cypriani ex ejusdem scriptis contextam, & locupletissimos indices ipsius cura concinnatos taceamus. Atqve hæc Pamelii in illustrando Cypriano diligentia longe majoribus encomiis digna foret, si ad propositum hoc, præter industriam, sincerum & nullis partium præjudiciis addictum animum attulisset, nec primitivæ Ecclesiæ statum, invito Cypriano, ad hodiernos Ecclesiæ Romanæ mores accommodare laborasset. Qvod cum animadverteret *Simon Goulartius*, operæ pretium facturum se existimavit, si Pamelianis annotationibus responsiones suas, ubi opus foret, superadderet, qvas *Genevæ* A.C. 1593 cum Pamelianis annotationibus, diverso charactere conjunctim editas, Ecclesiarum in Belgio Reformatarum Pastoribus & Symmystis dedicavit. Nostro vero seculo de Cypriano egregie meruit Vir Clarissimus *Nicolaus Rigaltius*. Cum enim prius Tertulliano operam suam impendisset, postea etiam Cyprianum, Magistro suo Tertulliano, cujus qvotidiana lectione valde delectatus est, haud inferiorem, ad fidem optimorum codicum accurate recognovit, & eruditis observationibus, qvas galeata, ut appellat, præfatione munivit, A. C. 1648 *Lutetiæ Parisiorum* illustravit, iisdemqve ignoti Auctoris de non iterando hæreti-

corum

eorum baptismo tractatum nunqvam antea editum interjecit. Et ex hac Rigaltii recensione, cum ejusdem annotationibus integris, nec non Pamelii & aliorum Commentariis sparsim interjectis, Cyprianum *Parisiis* A. C. 1666 rursus edidit *Philippus Priorius*, qvi suas etiam annotatiunculas adjecit, & eandem rationem in Minutio Felice, Arnobio, Firmico Materno, & Commodiano, qvos cum Cypriano simul uno volumine complexus est, servavit.

Sed his jam omissis ad postremam Cypriani editionem, qvam indefessa plurium annorum diligentia adornatam superiore demum anno in Anglia Viri incomparabili doctrina, singulari erga exteros humanitate, & maximis in rem literariam meritis insignes, *Joh. Fell* Oxonienſis & *Joh. Pearſon* Cestrienſis Episcopi vulgarunt, veniamus. Ea vero post elegantissimam præfationem, primum genuina Cypriani opera in Tractatus & Epistolas distincta hoc ordine exhibet, ut tractatum de Dei Gratia ad Donatum, & reliqvos tractatus seu libellos de idolorum vanitate, de testimoniis adversus Judæos ad Qvirinum, de habitu virginum, de unitate Ecclesiæ, de lapsis, de oratione Dominica, de mortalitate, de exhortatione martyrii, ad Demetrianum, de opere & eleemosynis, de bono patientiæ, nec non de zelo & livore scriptos, qvibus Concilium Carthaginense de baptismo hæreticorum Præside Cypriano habitum subjicitur, excipiant Epistolæ partim pacis tempore, partim in secessu, partim post reditum, partim in exilio, partim post reditum ab exilio, & partim deniqve in ultimo secessu paulo ante mortem exaratæ. In qvibus cum neqve Erasmi, neqve Pamelii ordo servatus fuerit, ne qvem hæc varietas perturbet, recepti hactenus numeri ad principium cujusqve epistolæ in margine signantur, in qvo etiam per universa Cypriani opera singulorum librorum & capitum argumenta, & allegata S. Scripturæ dicta, & temporum, qvibus Carthaginenſis Ecclesiæ Antistes libellos suos & epistolas edidit, momenta diligenter annotantur. Ipsi vero contextui, majoribus literis expresso & certis paragraphis distincto, variæ plurimorum codicum undiqve diligenter conqvisitorum lectiones, & post exigui intervalli discrimen doctissimæ Oxonienſis, qvem laudavimus, Episcopi annotationes, qvibus integer fere Rigaltius simul interseritur, ad singularum paginarum calcem attexuntur.

Cæterum cum jam olim librariorum vel inscitia vel ad lucrum

ſuum ingenioſa perverſitas Cypriano non minus ac aliis Eccleſiæ Patribus ſpurios qvosdam fœtus obtruſerit, hæc etiam Cypriano adſcripta vulgo opuſcula, ſive genuinis ſuis Auctoribus vindicata, ſive ignotis & incertis Auctoribus relicta, cum liberali mantiſſa qvorundam hactenus nondum editorum, ſeorſim acceſſerunt. Longum nimis foret omnium iſtorum opuſculorum, qvæ Reverendiſſimus Fellius itidem variarum lectionum collatione & ſuis annotationibus illuſtravit, ſeriem recenſere; qvocirca ea tantum, qvæ in reliqvis editionibus, Rigaltianis etiam & Pamelianis, deſiderantur, breviter notamus. Atqve hic primo loco *Arnoldi Carnotenſis* Bonæ Villæ Abbatis, cujus librum de Cardinalibus Chriſti operibus Cypriano perperam adſcriptum a Libraiis fuiſſe jam pridem Viri docti monuerunt, *Opera omnia* cum ejusdem *meditationibus*, qvæ hactenus delituerant, nunc primum ſimul edita occurrunt. Neqve ſilentio prætereunda *S. Cypriani Pœnitentia* ſeu confeſſio, juxta fidem Bodlejani codicis & aliorum exemplarium nunc primum evulgata, qvam Illuſtriſſimus Editor ante Conſtantini M. ætatem compoſitam, & illam ipſam ἐξαγόρευσιν vel ſaltem ejus partem eſſe exiſtimat, cujus in Panegyrico Cypriani *Gregorius Nazianzenus* meminit, qvam *Gelaſius* cum Concilio Romano inter Apocrypha rejecit, & qvam *Photius* in Bibliotheca ſua prolixius exponit, dum Cod. 184 tres de Cypriano Martyre libros ab Eudocia Auguſta heroico carmine redditos enarrat, qvorum primus res Juſtinæ virginis, ſecundus Cypriani juvenilem ætatem magicis artibus & peſſimis qvibusqve flagitiis infamem, & tertius utriusqve martyrium perſeqvitur. Eqvidem cum hodierna Eccleſia Græca pariter & Romana duos Cyprianos Martyres & Epiſcopos agnoſcat, unum Carthaginenſem, & alterum Antiochenum, cui vulgo tribui ſolent qvæ de magia & Juſtinæ amoribus veteres nonnulli tradunt; exinde pleriqve hactenus exiſtimarunt, Nazianzenum, Prudentium & reliqvos, qvi horum veſtigiis inſiſtunt, nominum ſimilitudine deceptos Cyprianum Carthaginenſem cum Antiocheno confudiſſe. Verum cum Gregorium Nazianzenum ea qvæ paulo ante ætatem ſuam Antiochiæ geſta perhibentur, tam immani errore ad Cyprianum Carthaginenſem retuliſſe haud probabile videatur, & jam priſcis illis ſeculis fingendi licentia & credendi facilitas rerum geſtarum fidem perturbaverit, Illuſtriſſimo Fellio veriſimillimum videtur, Chriſtia-

thanum aliqvem, dum Cypriani acta posteritati commendaret, ne res ejus gestæ nimis humiles & qvotidianæ viderentur, pia qvadam fraude prodigiosas illas narrationes attexuisse, &, ut patriam suam demereri posset, dramatis hujus scenam Antiochiæ posuisse, & hæc figmenta alios qvidem credidisse, alios autem, cum hæc Cypriano Carthaginensi minus convenire perspicerent, Cyprianum qvendam Antiochenum in theatrum produxisse: qvamvis ne sic qvidem somnia ista cum personarum, locorum atqve temporum circumstantiis ita cohæreant, ut non mendacium ubiqve pellucere periti rerum æstimatores deprehendant. Ex his igitur fontibus profluxit illa Cypriani Pœnitentia seu confessio, cujus particula aliqva in Latinum e Græco sermone conversa nunc cum aliis Cypriano vulgo adscriptis opusculis publicatur. At Cypriani secreta & librum Græco idiomate ejusdem orationes complexum, postqvam e membranis describi Reverendissimus Præsul curaverat, religioni habuit in publicum edere, qvæ fœda barbarie & superstitiosis dæmonologiæ mysteriis scaterent. Succedit igitur *Cypriani de Pascha Computus* seu *expositio bissexti* ex codice Cottoniano & Rhemensi, qvem *P. Mabillon* Ord. Benedict. pro suo erga Antiqvitatum Ecclesiasticarum studium amore ex Gallia suppeditavit, cum *Jacobi Ussherii* Archiepiscopi qvondam Armachani, *Thomæ Gale* S. Theologiæ Professoris, & *Johannis Wallisii* Geometriæ in Oxoniensi Academia Professoris, conjecturis & notis edita. De qva cum Viri docti varie sentiant, Cl. Fellio probabile videtur, opus hoc Paschale, qvod Cypriani seculo non indignum judicat, illum ipsum librum esse, qvem Paulus Diaconus tanqvam Chronicum non inutile a Cypriano conditum laudavit.

Sed de his Cypriani opusculis pro instituti ratione satis diximus. Pergimus igitur ad *Annales Cyprianicos* a *Johanne Cestrienſi* elaboratos, a qvibus qvantum lucis S. Cypriani operibus accedat, æstimare qvilibet facile potest, qvi in Auctorum scriptis accuratum historiæ ordinem commentarii vicem supplere cogitaverit. Qvamvis vero vita S. Cypriani, a principio fidei susceptæ & cœlestis nativitatis usqve ad martyrium deducta, breve admodum annorum spatium complectatur; vix credi tamen potest, qvantis difficultatibus hæc tempora laborent, cum præsertim intra tredecim hos Cypriani annos qvinqve Episcopi Romanæ Ecclesiæ præfuerint, nec pauciores Successores

Imperium tenuerint Romanum, qvorum chronologiam admodum confusam & perturbatam cum Cypriani annis & rebus ab ipso gestis ita conciliare, ut ad amussim omnia qvadrent, magnis utiqve constare laboribus oportet. Sed nihil in Historia Ecclesiastica tam arduum est, qvod Viri hujus celeberrimi ingenio impervium esse possit. Itaqve per omnes istas difficultates feliciter eluctatus, qvid Cyprianus non modo singulis annis, sed singulis etiam fere mensibus egerit exploravit, ut non tam Annales Cyprianicos, qvam Cyprianica menologia scripsisse videatur. Simile qvid ante Cestrienſem Episcopum *Pamelius* tentavit, in Cypriani scriptis, & præcipue epistolis, idem præstare conatus qvod in Ciceronis epistolis ad Atticum juxta temporum seriem digerendis Manutius præstitit: sed receptæ Pontificum Romanorum chronologiæ rimis inhærens haud raro a recto tramite aberrat, & lectorem secum in transversa rapit. Nec satis feliciter Pamelianos calculos Annalium Ecclesiasticorum conditor *Baronius* correxit. Meliorem in hoc ordine disponendo operam posuit eruditissimus *Lombertus*, sed cum ea res ulteriorem adhuc diligentiam postulare videretur, id operis Cestrienſis Episcopus in se suscepit, qvod ut ipse in præfatione horum annalium fatetur, non sine maximis molestiis consummavit, dum omnes temporis notas in Cypriani epistolis & libellis expressas excuteret, Imperatorum & Pontificum Romanorum annos observaret, & ut singula inter se & cum iis, qvæ *Cornelius*, & *Pontius*, & *Dionysius Alexandrinus* eodem tempore divulgarunt, collata amice conspirare possent, solicitus curaret.

Annalibus his Cyprianicis Vita Cypriani per *Pontium* ejus Diaconum descripta subjungitur, cum passione Cypriani, & Veterum qvorundam Scriptorum elogiis, & septem indicibus, qvibus admonitio ad lectorem inserta legitur de notis Senecæ & Tironis, qvas S. Cyprianus auctario satis grandi locupletasse fertur, dum vocabula Christianorum usibus necessaria adjiceret, qvæ in Codice a *Grutero* edito affatim comparent.

Qvod superest, Cl. Virum *Henricum Dodvvellum*, ut observationes suas Cyprianicas, qvarum edendarum spes nobis facta est, orbi literato communicare haud moretur, communi nomine rogamus; summopere gaudentes, tot præclaros Viros qvasi agmine facto in id incumbere, ne in Cypriani cultu qvicqvam amplius desiderari possit.

Mel-

MELCHIORIS LEYDECKERI S.S. Th. Doct. & Prof. de œconomia Trium Personarum in negotio salutis humanæ libri VI. quibus universa Reformata fides ex certis principiis congruo nexu explicatur, demonstratur, ac defenditur,

Trajecti ad Rhenum, 1682. in 12.

POstqvam Theologia Christiana in Scholis per modum artis, servato doctrinarum certo inter se invicem nexu, tradi cœpta est, nulla propemodum secta fuit, qvæ non placitis magistrorum suorum insistens, peculiarem & scopo suo commodam elegerit methodum. Ac, ut de aliis hoic taceamus, nuper apud Reformatos Theologus in Belgio Fœderato celeberrimus *Melchior Leydeckerus*, seriem dogmatum Theologiæ suæ, novo invento ordine, ex œconomiæ gratiæ Trium SS. Personarum in negotio salutis occupatarum ordinare instituit. Nam operum gratiæ salutarium dispensationem, distributionem, atqve patefactionem, prout terminantur ad SS. Trinitatis Personas distincte, *œconomiam*, ex *Ephes. I. 10. Coloss. I. 25.* sumto vocabulo, nominat.

Præmissa est opusculo erudita præfatio, qva Ecclesiam Christianam per Judaismum & Gentilismum potissimum oppugnatam & corruptam fuisse docet, omnem simul in fide Christiana errorem, istius SS. mysterii impugnationem esse statuit. Libere vero in eadem pronunciat, illorum methodum sibi non probari, qvi hodie (Coccejanos haut dubie notat,) omnem Theologiam ad œconomiam fœderum Dei reducunt: partim qvod illa non æqve ac SS. Trinitatis œconomia, omnium fidei veritatum demonstrationem, tanqvam principium præstet; partim qvod illa SS. Trinitatis œconomiam præsupponat; qvippe in qva hæc manifestetur πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, fœderisqve adeo sit promissio: *Ego sum DEUS tuus*, Justificator, Redemtor, Sanctificator. Qvinimo nunqvam fœderis œconomiam intelligi posse, nisi cognita prius SS. Trinitatis œconomia, contendit. Inde porro τῶν ἐξ ἐναντίας errores de fœdere & V. & N. T. derivat, qvod non, ut ipse fecit, a SS. Trinitatis œconomia cœpisset θεολογεῖν. Hoc enim si factum, visuros illos fuisse putat, Filium

lium Dei Expromissorem fuisse, non fidejussorem, & trinam Trium Personarum gratiam semper viguisse ad patrum V. T. ut sanctificationem & salutem, sic etiam plenariam justificationem. Qvod cum Coccejanis fuisset neglectum, Patri in V. T. negatam esse plenariam justificationem, uti Filio mediatorii muneris executionem ac expromissoriam (ut ipse loqvitur) sponsionem, & Spiritui S. ὑοθεσίας testimonium cum conscientiarum tranqvillatione.

Et hac de causa ipse ulterius hypothesi suæ incumbens, per omnes Theologiæ Reformatæ articulos, sex libris comprehensos, demonstrare nititur, Trium Personarum in negotio salutis humanæ operationem, variis Scripturæ S. locutionibus expressam. Ubi recte qvidem cum Orthodoxis tradit, articulum modo nominatum ita fundamentalem esse, ut ex eo omnis Dei salutaris notitia dependeat. Sed dum trinam operationum salutarium œconomiam per singulas fidei Christianæ partes explicare aggreditur, Calvinianorum hypothesin de absoluto prædestinationis decreto, & qvi inde fluunt alios errores, vel substernit, vel admiscet. Retenta igitur illa hypothesi, cum *libro I* generalia exhibuisset, *Patri* in *libro II* attribuit operationes, qvæ ad Judicis officium & beneficiorum salutarium procurationem & destinationem pertinent: *Filio* in *libro III* eodem modo, qvæ impetratoriæ & mediatoriæ sunt operationes, adscribit: *Spiritui S. libro IV* qvæ applicationem & speciatim sanctificationem spectant, sine qva non est cum Deo Sancto peccatoribus commercium. Itaqve pergit docere, Patrem in V. T. mysteria gratiæ & promissionem Filii sub umbris dispensasse, atqve œconomiam legalem instituisse, data lege, qva suam majestatem, ut Domini, Creatoris, & Judicis ostendit, additis ceremoniis, qvæ postulatam & præstandam per Mediatorem peccati expiationem demonstrarent; non negata interim per promissum Messiam remissione, ἀφέσει, qvæ & Sacramentis sit obsignata. At ἐν πληρώματι τῦ χρόνυ (pergit) revelatum esse per incarnationem Filium. Qvi qvidem ut Propheta docuerit, obtulerit se in cruce ut Sacerdos; ac postqvam παρέστησεν ἑαυτὸν ζῶντα ἐν πολλοῖς τεκμηρίοις, triumphans Rex assumtus sit in gloriam. Exinde factam esse Spiritus S. conspicuam revelationem; & qvidem per symbola sensibilia, qvando is in Christi locum παράκλητος successit, consedit veluti ad Ecclesiæ gubernacula, eamqve, ceu suum templum, abundantissime

sua

ſua replevit gratia ac donis, ſeu ordinariis ſeu extraordinariis, qvæ deſcribuntur. His ita expoſitis *libro V* œconomiæ SS. Trinitatis objectum, qvod Eccleſia eſt, declarat. Tandem conſummationem ejus plenisſimam in fine ſeculorum futuram *libro ultimo* traditurus, qvatuor Noviſſima, qvæ Theologis dicuntur, hypotheſi ſuæ convenienter, ſed breviter explicat. Sub finem opuſculi, ſpecimen Oratoriæ eccleſiaſticæ, in gratiam S. Theologiæ cultorum editurus, tres Exercitationes practicas, de *cognitione peccati ex lege: Paupertate ſpirituali* ad Matth. V. 3. & *Ductu Spiritus S.* annexuit, addito etiam epilogo, qvo de methodi concionandi auctoribus apud Reformatos celebrioribus agit.

L. ANNÆI SENECÆ TRAGOEDIÆ

cum notis Johannis Frederici Gronovii, auctis ex chirographo ejus; & Variis aliorum.

Amſtelodami, 1682. in 8.

QVi primi formis exprimendos Scriptores veteres dederunt, neqvaqvam ex probatiſſimo qvemqve exemplari ſemper perierunt: interdum etiam in corrigendis, qvæ non aſſeqvebantur, & propterea mendoſa putabant, nimium ſibi permiſerunt: & qvi deinceps renovatis identidem editionibus inchoatum a prioribus munus perficere conati ſunt, in non paucis offenderunt ipſi, & aliqvid rectius inveniendi occaſionem præbuere ſeqventibus. Atqve hi præclare omnino agere cenſendi ſunt, dum in Veterum monumentis id præſtant, ut, veram ac genuinam cuiq; Auctori lectionem reſtituruti, librariorum errores fraudesve detegant; verba omiſſa vel disjecta ſuo loco reponant; repetita aut ſpuria, qvæ interdum in ipſum recepta ſunt textum, explanationis ſaltem aut memoriæ cauſa ad marginem olim a ſtudioſis allita, ejiciant; ignoratione alicujus ritus, moris, caſus, fabulæ, vocisqve rarioris obſcura loca illuſtrent; ſincerumqve adeo & priſtinum in habitum compoſitum Scriptorem qvemlibet orbi exhibeant. In hoc ſtudiorum genere eximiam noſtris temporibus navavit operam doctrinæ copia, ingenii acumine, & indagandi felicitate præſtantiſſimus vir *Johannes Fredericus Gronovius*. Qvi poſtqvam pluribus Græcis æqve ac Latinis Scriptoribus, Mſcorum Co-

dicum ope & ingenii solertia, utilissimis emendationibus lucem attulisset, verasqve e variis lectionibus constituisset: SENECÆ etiam Tragœdiis eandem operam præstitit, plurimasqve in iis corruptas lectiones ejecit, veris in eorum locum repositis; cumprimis membranaceo Codice Florentino adjutus: qvem spectatissimæ manus ac fidei cum in Magni Hetruriæ Ducis bibliotheca agens deprehendisset, potissimum sequendum putavit, utpote antiquissimum, integerrimum, & γνήσιον τὸ πατρὸς παιδίον. Ex hoc igitur multa loca depravata emendavit, correcta ab aliis vel assensu ejus confirmavit vel dissensu dispunxit; integros versus loco suo motos restituit, dumqve *Octaviam* isto Codice abesse videret, eam Senecæ non esse, prorsus confirmatus est. Idem studium, conferendi istum Codicem cum editis Senecæ tragœdiis, qvum postea Nicolaus Heinsius Florentiæ degens suscepisset, varietatesqve, qvibus ab aliis membranaceum isthoc exemplar abiret, enotasset; ex ipsius excerptis sua supplevit Gronovius, & anno 1661 Senecam sibi redditum edidit, Serenissimoqve Electori Palatino dicavit. Cujus editionis exemplaribus haud ita multo post distractis, novam eamqve auctiorem moliebatur, & jam recensere Scriptorem hunc cœperat: sed vix absoluto Thyesta superveniens mors anno 1671 huic operi eum subtraxit, & in decem usqve annos iteratam editionem distulit. Qvam aggressus *Jacobus Gronovius* eruditionis paternæ hæres, & qvæ parata erant, & qvæ alia hic illic occurrebant adscripta, e qvibus consilium parentis intelligeret, congessit, ac superiori anno in publicum emisit. *Variorum*, qvæ adjectæ sunt Gronovianis, Notas se auctore neutiqvam accessisse, in Præfatiuncula indicat; ac correctione indigere monet: qvas tamen ob leves qvosdam nævos rejiciendas non existimamus, cum multa utilia ad gravissimum Scriptorem rectius intelligendum afferant. Etsi mirandum utiqve est, *Fernabium* in lectione Classicorum Auctorum, e qvibus non paucos notis ipse suis illustravit, diligentissime versatum hallucinari adeo potuisse, ut in *Hercule Oetæo* v. 1193, 1194, verba hæc: *aut centum angvibus vallatus hydram tabe pavissem mea*; per paraphrasin sic redderet: *aut circumdatus fœcundæ capitibus hydræ mortem extimuissem, sangvine meo ab hydræ veneno in tabem verso*; persvasus nempe, *pavissem* hoc loco a *paveo* esse, qvod a *pasco* deducendum vel tyro videt.

LES

LES DIVERSES ESPECES DE NOBLESSE, & les manieres d'en dreſſer les preuves: par le R. P. Meneſtrier de la Compagnie de Jeſus.

id eſt,

De diverſis Nobilitatis generibus, eamqve probandi modis: auctore R. P. Claudio Franciſco Meneſtrerio e Soc. Jeſu.

Pariſiis, 1681. in 12.

AD ſcientiam, qvam vocant Heraldicam, ſive ut Galli loqvuntur *du blaſon*, de qva Auctor antehac commentarios ſcripſit, neceſſariam idem exiſtimat notitiam diverſorum Nobilitatis generum ac titulorum: rationis item, qva ea probetur demonſtreturve, cognitionem. Hanc tradere doctiſſimus Jeſuita libello hoc, duodecim qvi capitibus abſolvitur, allaboravit. Capite I diſtinctionem hominum in liberos & ſervos inde uſqve a Noachi temporibus deducit: diſcrimen autem liberorum ſive ingenuorum univerſali gentium mori tribuit; qvo factum, ut alii aliis dignitate & prærogativa qvadem præferrentur, ſive qvod *Sacerdotes* eſſent divino cultui vacantes, ſive *milites* tuendæ patriæ intenti, ſive *aulicis* miniſteriis occupati. Cum autem nobilitas a *noſcendo* nomen acceperit, non mirum eſſe, qvod primis ſtatim temporibus ſigna qvædam uſurpata fuerint, qvibus Nobilitatis prærogativa innoteſceret, eaqve gaudentes a vulgo ſecernerentur. Eo pertinere ait, inſignia clypeorum & galearum, qvorum antiqviſſimus uſus; qvorum etiam jus & uſum probare oportuit eos, qvi aulas Principum ſectari, inqve ſolemnibus feſtivitatibus ſuas caperent eſſe partes, Froiſardo, Olivario de Marca, Monſtreletio, & aliis veteribus Gallis Romanorum, qvos vocant, ſive fabularum heroicarum ſcriptoribus *Paladins* dicti, id eſt, Palatini. Cum vero non una eſſet nobilitatis ſpecies, diſqviri cœptum, qvali qvisqve gauderet: nec promiſcue ad haſtiludia & hujusmodi eqveſtres ludos omnes eſſe admiſſos, qvi nobiles cenſeri vellent. Nam qvum inter plebejos eſſent, qvi magiſtratus gererent, aut amplas facultates, poſſeſſiones, & fundos adepti mercatura & opifi-

ciis abſtinerent, indeqve a Principibus aliqvam nobilitatis ſpeciem, qvæ *patritia* & *urbana* nominaretur, impetraſſent: ab his potiſſimum diſtingvi voluiſſe militaris nobilitatis viros, vocariqve *Gentiles* cœpiſſe, ſive *Gentils hommes*, *Gentil huomini*, qvi gentis ſive familiæ ſplendorem demonſtrarent, qvi arces ſive caſtella poſſiderent, aut poſſeſſas a majoribus probare poſſent. Confirmat hoc antiqvis & recentibus exemplis, & vocabula atqve gloſſemata, qvibus militaris hæc nobilitas indicatur, explicat: qvalia ſunt *hidalgos, escuyer, damoiſeau, valet, chevalier, ſcutarius, armiger, domicellus, junker, freyherr &c.*

Capite II Originem probandæ Nobilitatis in adipiſcendis Eccleſiaſticis dignitatibus exponit. Nam etſi ad Chriſtianam religionem omnia hominum genera, etiam ſervi, reciperentur; hos tamen, ut & libertos, ab Ordinibus ſacris Canones arcuiſſe, ex Decretis Conciliorum Nationalium Gallicanorum & Germanicorum probat. Factum inde putat, qvod nobiliores tantum & opulentiores ad Eccleſiaſticas dignitates adſi irare potuerint, & in monaſteria recepti ſint, cum plebeji paupertate a ſtudiis repellerentur. Expreſſe poſtea cautum, præſertim in Germania, ut excluderentur plebeji: qvod indecorum exiſtimarent, ſi in Conventibus publicis Prælati Eccleſiaſtici admitterentur, qvi ignobili loco eſſent nati; accedente præſertim poteſtate & juriſdictione in ditiones & urbes, qvas Eccleſiaſticus ordo Nobilium inſtar ſibi acqviſiverat. Diſplicuiſſe qvidem iſtum rigorem Pontificibus, qvod probat ex eorum Decretis in gratiam plebejorum factis; Imperatores autem Germanicos Nobilitati eſſe patrocinatos, imo id ſtuduiſſe, ut filii, fratres, agnatiqve ſui in Capitula reciperentur, unde mos manaverit, ut etiamnum Archiepiſcopi Electores *Nepotum* titulo a Cæſare inſigniantur. Ortis dein inter Imperatores, Fridericum Barbaroſſam cumprimis ejusqve ſucceſſores, & Pontifices diſſidiis, ac diſtractis in Gibellinam & Gvelpham factionem animis, Nobilitatem fere ab Imperatorum partibus ſtetiſſe, plebem Pontificibus adhæſiſſe: qvorum ope ad Eccleſiaſticas dignitates plebeji adſcenderint, & in monaſteria recepti fuerint.

Capite III diverſam probandæ Nobilitatis civilis rationem Gallorum a Germanis ex Tacito & Cæſare affert. Germanos enim Principes ſive proceres, qvi omnes ex eqveſtri nobilitate erant, aſſumſiſſe ſibi comites ex plebe, ut iſti jura redderent & patritiorum partes age-

rent;

rent; at in Gallia plebem servorum loco habitam fuisse. Ibidem tamen postea invaluisse, ut *Seniores* (ita enim olim Nobiles, qui hodie *Seigneurs*, vocabantur) principum loco essent, minores, id est, plebeji, in consilium adhiberentur. Idque etiamnum in Gallia Aquitanica, *Langvedoc* dicta, ubi conventus Ordinum sub Rege habentur, servari quodammodo asserit: in aliis quoque Galliæ provinciis munia quædam soli Nobilitati conferri, exclusis plebejis, multis exemplis demonstrat. In Germaniæ quibusdam provinciis, Franconia, Svevia, Bavaria, ab Equestribus Societatibus, præsertim hastiludiis, Nobilitatem patritiam exclusam esse: idemque pluribus in locis circa receptiones ad præbendas Capitulorum Cathedralium servari docet. In Italia eo ventum esse, ut Nobiles a dignitatibus urbanis plane excludantur, aut ad eas cum plebe dividendas adigantur, per exempla deducit; & quomodo sodalitia plebeja in civitatibus constituta, certisque insignibus & vexillis distincta fuerint, enarrat, in quæ equestres familiæ referri maluerint, quam muneribus publicis carere. In Germaniæ quibusdam locis, veluti Augustæ & Noribergæ, patritias familias solas in Senatum admitti, observat.

Capite IV. de receptis modis, quibus Nobilitas probetur, agit: sive per testimonium Principis, ut aliquando a Pontificibus & Regibus factum; sive per Nobiles alios duos, quatuorve, interdum etiam septem, qui juramento interposito, vel editis scriptis, generis claritatem attestentur. Tutissimam vero probationē per Instrumenta fieri; de quibus multa annotat, ut & de monumentis aliis sepulchrorum, antiquis item picturis in parietibus fenestrisque templorum, in quibus Equites cum scutis, galeis, sagis, alioque vestitu & ornatu, quo soli Nobiles utebantur, intueri, indeque generis claritatem cognoscere liceat. In Italia argumentum nobilitatis etiam peti a turribus, quas ædibus in urbe suis jungere non nisi Nobilibus fas fuit. In Hispania & Lusitania libros publicos extare, quibus nomina & natales nobilium inscribantur, & qui plenam faciant fidem. In Germania plurimum tribui libris hastiludiorum, sive torneamentorum: certiorem autem probationem haberi ex receptione ad Capitula. Refert etiam exempla testimonii quod Heraldi, sive Reges, uti vocabantur, insignium (*Roys des armes*) dederint; inter quæ notabile est quod datum fuit Petro Baroni de Brandenburg Belgæ, quem Carolus V Imp. in ipso prælio ad Al-

bim cum Johanne Friderico Electore Saxoniæ commisso, anno 1547 Eqvitem creavit.

Capite V, (cujus numerus & rubrica errore typographi pag. 169 deest) formulas qvasdam attestationum de Nobilitate in Gallia, annis 1534, 1537, & 1556 conscriptas profert.

Capite VI (pro qvo *qvintum* falso numeratur pag. 187, ut ex adjecto indice sub finem libri patet) de diversis Nobilitatis speciebus agit, qvarum tres constituit: *magnam*, *militarem*, *civilem*. Ad *magnam* Principes refert, & illustribus ex familiis ortos, ac Principibus sangvine junctos, aut magnis dignitatibus & titulis claros. Excelsæ nobilitatis hujus argumentum esse ait, si ea gaudentes recipiantur in Ordines Eqvitum regios & illustres, v. g. Sancti Spiritus, Aurei velleris, Periscelidis, Elephanti, Annunciationis. Eqvitum auratorum decus illustre olim, hodie obsoletum, eviluisse notat. Qvod autem de Ordinibus Eqvitum Melitensium & Teutonicorum addit, qvasi eorum dignitas oli majori Nobilitati competeret, ita verum est, ut qvi ad summam horum Ordinum præfecturam sive Magisterium perveniunt, principali dignitate gaudere censeantur; ad ipsos autem Ordines adipiscendos Eqvestre genus sufficiat. Alteram Nobilitatis speciem, qvam *militarem* vocat, iis constare ait, qvi eqvestria stipendia Principibus a longo usqve tempore præstare tenentur, & in Gallia Gentils-hommes vocantur. Horum signa esse scuta, vexilla, galeas, trabeas, & alia: hos in Conventibus provinciarum statim post Ecclesiarum prælatos, ante Civitates collocari, inqve hastiludiis, Capitulis & officiis qvibusdam solos admitti, Contineri has prærogativas in Diplomatibus, præsertim Cæsarum, qvæ interdum hac clausula concedantur nonnullis, ut eodem jure censeantur, qvo illi, qvi qvatuor generationum Nobilitatem demonstrare possunt. Exemplum hujusmodi diplomatis affert a Carolo Qvinto Imperatore Georgio Sabino, eruditione clarissimo viro & insigni Poëtæ, anno 1541 concessi. Dubitat tamen, an in Capitula hunc in modum nobilitati recipiantur. Probationes vero Nobilitatis post annum demum a millesimo trecentesimum exigi cœpisse existimat, qvod ante istud tempus nulla, nisi sola militaris, extiterit, qva gaudentes ex feudalibus bonis, a solis militibus possessis, noti satis fuerint; sed postqvam civicus ordo ad Nobilitatem adspirare cœpit, distinctiones & vetustæ Nobilitatis probationes exortas esse, præsertim in admissionibus ad Capitula. Hoc loco digredi ad Episcopos Galliæ,

liæ, qvi nobiles creant; vasallosqve nobiles habent, & eorum ministerio utuntur ad pompam, qvoties Episcopatum solenniter adeunt, qvod pluribus exemplis confirmat. Addit multa de dignitatibus & officiis, qvæ non personis tantum, sed & familiæ nobilitatem tribuant: atqve ita de tertio Nobilitatis genere, nempe *civili*, & qvomodo in Gallia id obtineatur, docet, ejusqve exempla affert. Fatetur tamen, hanc olim ignotam fuisse, neqve ab his, qvi civilia munera gererent affectatam, aut ad liberos propagatam: videri potius ab initio eatenus tantum inventam esse aut valuisse, ut a tributis immunes faceret.

Capite VII persequitur tractationem de Nobilibus militaris & antiqvi generis: formalem eorum rationem in feudis militaribus positam asserens, qvæ majores eorum possederint, omni alio plebejæ vitæ genere abstinentes. Exponit hoc loco locum Ciceronis de *Gentilibus* in Topicis ad Trebat. & notat ex Spelmanno, nomina & insignia nobilium familiarum circa annum Christi millesimum cœpisse, & esse adhuc aliqvos in Hibernia, qvi insignibus careant: in Svecia etiam pluribus familiis nobilibus deesse cognomina, & patris nomen a filio referri, Græcorum more. In Hispania cognomina ex auctoribus gentis orta fuisse refert, vel ab arcibus, qvas possederint, vel a munitis locis, in qvorum expugnatione strenuam operam præstiterint, vel ab urbibus oppidisve, in qvibus diu habitaverint: præcipuos autem esse, qvos *Hidalgos de Solaro conocido*, Nobiles terræ cognitæ sive celebris vocant. Interserit qvædam de Venetis, Florentinis, & Neapolitanis familiis. De Germanis qvæ affert non usqve adeo certa sunt: neqve verum, omnia Franconicæ Nobilitatis insignia in arce Herbipolensi, qvod narrat, depicta esse: cum tantum earum familiarum ibi conspiciantur, qvæ feuda ab Episcopatu illo, sive Ducatu Franconiæ tenent: & plurimæ aliæ, non minus nobiles, ab aliis Franconiæ Principibus & Dynastis, qvi ad Franconiæ Ducatum non pertinent, feuda habeant; diversa enim est Franconia, sive circulus Franconiæ, a Ducatu Franconiæ.

Capite VIII de Nobilitate Gallica, tam veteri qvam nova, speciatim agit; & per singulas provincias familiarum qvarundam refert nomina, qvæ exeerpere nil attinet. Cumprimis autem memorabile est, qvod hic narrat: Reges Galliæ necessitate temporum adductos, civibus *Parisiensibus* indulsisse, ut feuda Franca, id est nobilia seu eqvestria, sibi compararent, & pro lubitu Eqvitum titulum assumerent,

rent: præcipuas tamen Pariſinas familias non facile ex hoc indulto beneficio, verum ex dignitatibus & muneribus potius collegiorum, ſeu tribunalium & curiarum, qvæ in urbe ſunt, nobilitatem ſuam allegare. Ex Italia complures illuſtres familias propter crebra commercia, & occaſione nuptiarum Catharinæ Mediceæ cum Henrico Secundo, in Galliam perveniſſe, v.g. Gondios, Eliſcos, Grimaldos, Spiſamas, Trivultios &c. In *Neuſtria* ſive *Normandia* propter Gallorum & Anglorum bella familias veteres plurimas interiiſſe: unde factum ſit, ut Ludovicus XI plusqvam octingentos prædiorum eqveſtrium poſſeſſores nobilitarit. In *Campania* bellorum injuria vetuſtam Nobilitatem maxima ex parte jam Caroli Calvi temporibus extinctam fuiſſe: ſtatutis igitur qvorundam locorum, veluti Tricaſſium civitate, Catalauni, & alibi, cautum, ut Nobiles haberentur, qvi nobili materno ſaltem genere eſſent nati. Poſtea cum provincia hæc ob nundinas celebres diteſceret, in eam non paucas familias ex aliis provinciis conceſſiſſe, aut in majoribus civitatibus emerſiſſe. *Picardiæ* Nobilitatem incrementa ſumſiſſe ex Gallorum cum Anglis & Belgis bellis, interiiſſe tamen præcipuas familias, qvarum tituli ad alios fuerint delati. At illas regiones qvæ Principes ſuos ſupremos olim habuerunt, v.g. *Bituricenſem, Delphinatum, Burgundiam utramqve*, magnum Nobilitatis numerum & ſplendorem conſervaſſe. Qvasdam etiam familias in urbibus extitiſſe, qvarum Senatoribus dignitas Nobilitatis a Regibus per diplomata fuit conceſſa: qvod inprimis Lugduni factum, qvam in urbem ob mercaturæ præſertim commoda ſplendidæ ex Italia familiæ confluxerint. In *Delphinatu* olim qvatuor Barones in Conventu Ordinum reliqvæ Nobilitati prælatos, in ſedilibus conſediſſe, cæteris omnibus circumſtantibus. Multas vero familias nobilitatem ſuam functionibus debere, qvas majores in tribunali ſive parlamento regio Viennenſi geſſerunt: qvod tamen Conſtitutionibus regiis poſtea reſtrictum eſt. In *Arvernis* & *Lemovicibus* vicinisqve regionibus, ubi nulla parlamenta aut alia ejusmodi collegia habentur, veterem Nobilitatem magis qvam in aliis locis conſervatam fuiſſe, neqve alibi clarioribus titulis eam probari poſſe: eſſe etiam in regionibus illis montanis, a bellorum tumultibus remotis, egregia prædia; qvasdam vero familias originem ſuam Pontificibus debere, qvi Avenione ſederint, vel Cardinalibus ex infima plebe

inter-

interdum electis. In provincia *Narbonenſi*, & urbibus Maſſiliæ, Arelati, & Avenionis, ingentem eſſe veteris & novæ Nobilitatis mixturam, multasqve familias ex Italia & Hiſpania Comitum tempore eo confluxiſſe. In *Septimania*, vulgo *Langvedoc*, tempore Hæreſis & belli Albigenſium, veteres familias fere intercidiſſe, ſurrogatis novis, ex urbium incolis, præcipue ex Toloſanis. In *Aqvitania*, ab Anglis olim poſſeſſa, urbem Burdigalenſem privilegiis immunitatum tam large fuiſſe ornatam, ut plurimi ex illuſtribus & nobilibus familiis in civium numerum recipi affectaverint, idqve etiam in aliis civitatibus obtinuiſſe, ut lege fuerit corrigendum. Ad hanc provinciam referuntur tractus *Agennenſis*, *Condomenſis*, *Armeniacus*, & alii, illuſtribus olim & nunc repleti familiis. Idem refert de regione *Foxenſi*, *Bearnenſi*, & partibus *Navarræ* ac *Biſcajæ*: in qva poſtrema omnes incolas nobilitatem prætendere ait, qvod ſoli Chriſtianam religionem ſervaſſent, cum totam Hiſpaniam Mauri Mahometica ſuperſtitione inficerent. Recenſet deinde præcipuas *Pictavienſium* & *Andegavenſium* atqve *Turonenſium* familias. De *Britannia* autem *Armorica* notat, ſplendorem familiarum ſitu locorum a commerciis cum aliis remoto, tum maxime jure primogenituræ fuiſſe conſervatum, vetita diviſione inter fratres, & aſſignata junioribus, qvos *juveigneurs* vocant, modica ad alimentum portione, qvam *paragium* nominant, qvamqve junior a ſeniore in feudum accipit: neqve tamen ad juramentum homagii tenetur, neqve juriſdictioni primogeniti ſubjectus eſt, & ab hoc ita honoratur, ut dextræ ejus, ſi in domum Senioris venerit, aſſideat. In *Burgundia* deniqve utraqve illuſtrem & freqventem Nobilitatem reperiri ſcribit.

Capite IX agit de Nobilitate *Allobrogum* ſive *Sabaudiæ*, ejusqve diſtrictuum, e qvibus multas numerat familias. Conſervatam harum nobilitatem per collegia ſupremæ Curiæ & Cameræ Camberitanæ, in qvam ſoli nobiles admittuntur, aſſerit. *Genevæ* etiam, cum Sabaudiæ ſubeſſet, Præfectos ſive Capitaneos Principum nomine conſtitutos fuiſſe ex ſola Nobilitate docet, eorumqve nomina ab anno 1223 ad annum uſqve 1519 recenſet: in Capitulum item Genevenſe, qvod nunc Anecii ſedem habet, ſolos Nobiles recipi affirmat. Nobilitatis majoris indicium eſſe Ordinem Annunciationis, cujus catalogum Capreus ediderit. *Breſſenſem* & *Bugrienſem* tractus, a Sabaudia avulſos & Burgundiæ annexos, multa ait Nobilitate inſideri,

cujus familias, monaſteria item ſolis Nobilibus patentia recenſet. Addit qvædam de tractu *Valdenſi*, ſive *pays de Vaud*, cujus partem Bernates Helvetii occuparunt; ſed plura de Nobilitate *Pedemontana* affert, qvæ Auguſtæ Taurinorum, Vercellis, Coni, Aſtæ, Clerii, Niceæ, Salutiæ, Suſæ, Foſſani, Cleraſſi, aliisqve in oppidis freqvens habitat, qvam Franciſcus Auguſtinus della Chieza Salutienſis Epiſcopus libro integro deſcripſerit. Claudit hoc caput recitatione publicationis ſententiæ contra Bernates, per fecialem Imperatoris anno 1544 dictæ, qva iſti jubentur reſtituere Duci Sabaudiæ regionem Valdenſem & alia; qvod ſe facturos receperunt, modo Dux ſolveret qvæ ipſis debet ſtipendia.

Capite X recenſet Nobilitatem *Lotharingicam*, qvam in ſex Marchionatus & duodecim Comitatus diviſam eſſe ſcribit. Inter antiqvas Nobilitatis hujus prærogativas refert jurisdictionem in ſubditos exercendam cum Paribus, qvos ex ſubvaſallis ſuis conſtituebant: hoc jus paragii ſive *de parage* vocatum, olim in civitatibus etiam locum habuiſſe, adductis exemplis Metenſium, Montenſium in Hannonia, & Valencenarum oſtendit. Sed Carolum Lotharingiæ Ducem, non ita pridem defunctum, Nobilibus jurisdictionem ademiſſe commemorat, poſtqvam pace Pyrenæa in ditionem rediiſſet. Belgium fœcundum nobilibus fuiſſe a multis ſeculis, occaſione bellorum inter Gallos & Belgii ſive Burgundiæ Principes geſtorum: Leodienſem vero regionem, olim Nobilibus abundantem, paucos hodie habere Nobiles ait, mercatoribus aliisqve Leodii incolis opulentioribus plurima prædia poſſidentibus. Officium Advocatorum, qvi jus tuendi Eccleſias & monaſteria, indeqve certos reditus vel feuda ab Eccleſiis recognoſcenda habuerint, valde honoratum fuiſſe ſub nomine *Voweit*, qvod Germanico Voigt vel Voyt reſpondet, ex *Advocati* voce corrupto, ex Jac. Hemricurtio tradit. Recenſet etiam *Luxemburgenſem* & *Limburgenſem* Nobilitatem ad exiguum numerum redactam; dein *Brabantinam* & *Namurcenſem* enarrat, in qvibus & ipſis antiqvæ familiæ pleræqve extinctæ ſint; addit *Geldricæ* Nobilitatis catalogum, & laudat Jo. Bapt. Chriſtinæi tractatum *de Jurisprudentia heroica*, ſive de Jure Belgarum circa Nobilitatem & inſignia. Qvamvis vero olim in illis provinciis ſoli Eqvites ad Præfecturas & judiciaria Collegia admiſſi fuerint, creatos tamen poſtmodum

dum esse a Principibus ad aliarum regionum exemplum Nobiles ex civico ordine: & nunc qvi munera in supremis Curiis exercent, per ea ipsa nobilitari tradit, sed cum aliqva restrictione, qvalis anno 1631 facta est.

Capite XI ad modum probandæ Nobilitatis demum accedit, qvi in Gallia, Burgundia, & Lotharingia observatur, dilata de *exteris* tractatione.

Caput XII *De Inqvisitione Nobilium* inscribitur: in qvo refertur, qvomodo cum seculo undecimo & duodecimo illustres & eqvestres viri ad bella ultramarina sive sacra a Pontificibus inducti, prædia & feuda sua ob sumtus incolis urbium & oppidorum vendidissent, Reges, qvia ab emtoribus & possessoribus ejusmodi militaria servitia recipere non possent, illorum loco prædiis onera imposuerint. Ortum inde discrimen feudorum francorum, sive immunium, & non immunium: probandamqve fuisse Nobilitatem antiqvam ab iis, qvi immunes esse ab impositionibus illis cuperent, qvarum aliqvot exempla ab anno 1316 usqve 1617 adducit.

Hæc non piguit ex libro hoc exiguæ qvidem molis, sed multa complectente, paulo fusius excerpere, qvia non ubiqve obvia sunt, & antiqvitates illarum gentium referunt, qvæ cum Majoribus nostris vel communes origines, vel consvetudines non multum discrepantes habuerunt: ut adeo Auctoris hujus studium lucem haud exiguam Historiæ Germanicæ afferre possit.

BREVIARIUM THEOLOGICUM, seu Controversiarum præcipuarum, inter Theologos Augustanam Confessionem invariatam profess, post publicatum Librum CONCORDIÆ *non sine periculo aliqvando schismatis agitatarum,* THEOLOGICA CONSIDERATIO, *edita auctore* AUGUSTO VARENIO *D. Sereniss. Ducum Megapolit. Consistorii Provincialis Directore, Facult. Theolog. & totius Academiæ Seniore.*

Rostochii, 1682. in 4.

INter Eccleſiæ Doctores jam inde ab incunabulis ejus non leves ſæpe diſſenſiones ac ſchiſmata viguiſſe, dum qvisqve qvam ſententiam animo complexus eſt, mordicus tenere, alienas moroſius & arrogantius refellere ſtuduit, nemo in Hiſtoria Eccleſiaſtica tam hoſpes eſt qvi ignoret. Ac utinam hic fidem ſolum facerent jactæ ſeu hæreſium ſeu ſchiſmatum faces in cauſis Victoris Romani, Adamantii, Novati, Donati, Arii, Neſtorii, Eutychis, Theodori Mopſueſteni, Fullonis Antiocheni, Severi, Themiſtii, Hormisdæ, Sergii & Cyri, Felicis & Elipandi, aut Byzantinorum cum Romanis, vel Latinorum inter ſeſe, aut qvicqvid uſpiam diſcordiarum Eccleſiam Chriſtianam priſcis temporibus afflixit! nec iſtud incendium bellorum plusqvam civilium, qvibus damnis mutuis certatur, noſtras etiam, qvæ poſt reformationem B. Lutheri, ab Auguſtana Confeſſione nomen adeptæ ſunt, corripuiſſet Eccleſias. Qvantum enim damni a Filiis intra ſinum ſuum educatis iſtæ perpeſſæ fuerint ſuperiori ſeculo, & ipſa Synergiſtarum, Majoriſtarum, Interimiſtarum, Flacianorum, Oſiandri, Huberi, Islebii aliorumqve in fanaticas partes abeuntium oſtendunt nomina, & plenius explicat ipſa *Concordiæ* inter Theologos illorum temporum ſanctæ *Formula*: etſi & hæc in ſignum contradictionis poſita, non minus Filios matris unius inter ſe digladiantes, & mutuis ſeſe vulneribus ingenti Eccleſiæ malo conficientes, experta fuerit. Verum de his ſuperiorum temporum diſſenſionibus Auctori noſtro, celebratiſſimi nominis & maximorum meritorum Theologo, in præſenti Libro aut nihil aut parum eſt negotii, qvi ſaltem inſtituit *domeſticas illas Controverſias, qvæ noſtro inprimis ſeculo, poſt undiqve receptum Concordiæ Librum, ejusdem Confeſſionis Auguſtanæ Doctores, & ſolicitos habuerunt, & nunc placide ſalvaqve Eccleſiæ pace, nunc majore contentione nec ſine periculo ſchismatis agitatæ, varie aliqvando diviſerunt*, ſuccincta collatione & examine repræſentare & πάνλα ἐπὶ τὸ μίαν σύνοψιν σωμαλοποιεῖν. Intempeſtivum eqvidem videri poterat hoc argumentum, poſtqvam Auguſtanæ Confeſſionis Doctoribus ſectas & diſcordiam domeſticam ſæpius objiciunt οἱ ἐξ ἐναντίας. Sed cum & hi ſatis bellorum domi habeant, Pontifices puta in cathedra toties ſibi contradicentes; contradictorios Conciliorum Canones; Doctores ſcriptoresve publicos; imo integros Ordines in præcipuis fidei articulis & in ipſa ſumma rei Chriſtianæ diſſidentes, & ſe mutuis armis, aſſidente ac imparem ſe liti dirimendæ oſtendente

ſumario

ſummo Pontifice, conficientes: ideo nec ipſi de aliorum diſcordia magnopere triumphare poterunt, nec Auctor, pro eruditione ſua, & qvam longo rerum uſu comparavit, prudentia Theologica ſumma, ſibi negligendum eſſe duxit, ſi qvid Iliacos intra muros peccetur. Qvanto enim pretioſior & auro contra carior, qvanto res delicatior vera Religio & fides catholica eſt, adeo ut niſi tota ſuſcipiatur, tota repellatur, nec ullas veri cum falſo mixturas aut conciliationes admittat; qvanto etiam nunc ingenioſioribus inſidiis a Cacodæmone impetitur, & vel cautis ſæpe nec opinantibus, multo magis dormitantibus eripitur, interqve tot diſcrimina difficilius tenetur; tanto magis pro illa ſincera illibataqve retinenda cordatis Theologis vigilandum, & velut pro aris ac focis dimicandum erat. Id animo ſecum reputans θεολογικώτατος *Varenius*, non ſaltem in aſſerendo vero Theologico, ſed & falſo deſtruendo hic parem adhibuit ſolertiam, omnia ſecundum Scripturæ regulam dirimens, ac ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων in Libris Symbolicis Eccleſiæ ſuæ comprehenſam. Deinde cum regna veritatis cœleſtis etiam contra maledicentiſſimos adverſarios, citra invectivas aſperiores perſonales, inculpato moderamine, ac prudenti caritatis temperamento defendi, imo latius extendi poſſent; idem Noſter omnibus qvoqve conviciis & mordentibus verbis, velut manifeſtis operibus carnis, ſemper & ubiqve abſtinuit, inqve revincenda refellendaqve hetorodoxia magis de illorum, contra qvos tecto ut plurimum nomine calamum ſtrinxit, emendatione qvam ſubverſione ſolicitus fuit, ut errorum qvidem regna & Diaboli μεθοδεῖα in iis deſtruantur, homines tamen non perdantur, ſed, ſi velint, ſanentur, vel emendentur; totusqve adeo elenchus citra rixas zeli veritatis pallio velatas ad medicinam valeat, non ad hominis in doctrina exorbitantis interitum, vel extremum ſupplicium, etſi qvotqvot illam pertinaciter reſpuunt, huic tandem reſerventur. Ipſam vero dogmatum σωματοποίησιν ſic adornavit ſubactiſſimi judicii Auctor, ut ea omnia, de qvibus nunc leniore ſententiarum collatione, nunc majore contentione ac declinationis periculo ad caſtra adverſa, inter A. C. Theologos hucusqve certatum fuit, juxta ſeriem Articulorum, in ſummam vel breviarium qvoddam redigeret; (cum antea ſingula minutius, per integros XV annos, Collationibus Academicis XXIV in Academia Roſtochienſi publice habitis ac ſeorſim excuſis excuſſiſſet) factis hinc inde neceſſariis digreſſionibus, qvois

modo ſententiam adverſariorum & ejus a vera doctrina diſſonantiam, modo certamina ſuperiori ſeculo jam ſepulta & ex Eccleſiis ſublata, ſed noſtra ætate renovata aut interpolata, plenius exhiberet. Qvalis eſt inprimis in fine ſubjuncta *peculiaris Diſſertatio* de ſatisfactionis & meriti Jeſu Chriſti univerſali ſufficientia, efficacia, & circa hanc Reformatorum modernorum ſententia moderatiore. Articulorum vero & materiarum ſingularum hic pertractatarum Catalogus ſub calcem libri attexitur locupletiſſimus, qvem jam exſcribere ſuperſedemus, Auctori celeberrimo immortales gratias pro utiliſſimo hoc labore a Theologorum filiis & omni poſteritate decernentes.

Hiſtoriſches Spruch-Buch/ darinnen 100 vornehme Sprüche aus GOttes Wort Alten und Neuen Teſtaments mit Hiſtorien illuſtriret, durch Johann Meelführern/ anietzo mit den andern 100 vermehret durch *M. Jacob Thomaſen* der *Philoſ. Fac.* zu Leipzig *Seniorem* und *Prof. Publ.*

ſeu

Sylloge Dictorum illuſtrium, V. & N. T. hiſtoriis memorabilibus illuſtratorum a Jo. Meelfuhrero; cui totidem adjecit ac ſimili modo illuſtravit M. Jac. Thomaſius Fac. Philoſoph. Lipſ. Senior & Prof. Publ.

Lipſiæ, 1682. in 4.

SI fideliſſimum præcipiendi genus eſt, exemplis doceri, iisqve ad rationem vitæ erudiri; operam illos ludere dici neqvit, qvi aut in morum doctrina, aut in ſacrarum etiam literarum expoſitione, ſententias illuſtres exemplis ſtatim ex hiſtoria petitis illuſtrant. Nam ut aures hominum novitate rerumqve ſingularium narratione maxime lætantur; ita ſententiæ & vitæ regulæ ejusmodi exemplis confirmatæ, memoriæ imprimuntur facilius & retinentur fidelius. Hanc ob cauſam vir olim pie doctus *Johannes Meelfuhrerus, Paſtor & Eccleſiaſtes Onolbacenſis, νῦν ἐν ἁγίοις*, centum dicta illuſtriora ex S. codice V. & N. T. collegit; qvæ, ut lectori Chriſtiano redderentur magis familiaria, adſperſis variis hiſtoriis, exemplis & monitis condire qvaſi voluit

volvit. Piam laudati viri industriam ac institutum utile imitari placuit nostro *Jacobo Thomasio*, viro ob merita in rem literariam celeberrimo. Nam etsi is per muneris sui rationem aliis studiis occupabatur; tamen ubi per horas subsecivas, ad jucundissimum laboris levamentum, historias confugeret, aut pietati excitandæ S. Literas evolveret, sententias inde insignes cum exemplis annotavit, qvæ ab ipso vel ulterius declarantur, vel illustrantur, vel collatis diversorum testimoniis comprobantur; utili sane ad pietatis studium promovendum labore. Cui libro Auctor doctissimus tres indices subjici curavit, qvorum unus, ut pericopis Evangelicis ac Epistolicis in Ecclesia receptis illa dicta vel exempla applicari qveant, ostendit: id qvod in gratiam eorum, qvi populum Dei publice informant, monendum erat.

DE MOTU ANIMALIUM J. A. BORELLI

Opus posthumum. Pars II.

Romæ, 1681. in 4.

CUm Actis superioris mensis totum partis secundæ Operis hujus tenorem, propter rerum summam ubertatem, inserere non licuerit, qvæ illius restant præsentibus exhibere voluimus. Cap. 7 ad Motus mixtos progreditur Auctor, & inter hos primo de Respiratione agit, cujus causas motivas non pulmones statuit, sed diaphragma & musculos intercostales thoracem extendentes, hinc aeri, pondere & elasticitate connata tracheam irruenti, spatium parantes, ita tamen ut costæ, remittente hoc motu musculorum tractorio, resiliant & thoracem constringant, sicqve, clausa simul epiglottide, aërem ad penitiores pulmonum cavernulas urgeant. Dum autem rima laryngis aperiatur, & adhuc ab actione sua qviescant musculi dicti, relaxeturqve simul diaphragma, aerem sponte & absqve ullius musculi conatu recedere, vi sua elastica locum, in qvo expandi possit, sibi qværentem, i. e. liberam contingere expirationem: in vehementioribus vero expirationibus, v. g. tussi, vociferatione &c. musculos abdominis constrictos hujus viscera cum diaphragmate sursum impellere, hinc aërem excludere, simul costis ab expansione sua libere resilientibus; nunqvam tamen omnem aërem e pulmonibus ejici, sed ejus non exiguam molem in horum tubulis remanere.

Sicut

Sicut autem natura ex unica actione & eodem instrumento plura commoda non raro acqvirat, ita Respirationem qvoqve plures animali utilitates præstare docet, inter qvas sine dubio potissima & præsentanea magis sit vitæ conservatio & perennatio: qvæ neutiqvam à refrigerio & ventilatione flammæ atqve caloris cordis, nec a seqvestratione fuliginum ab igne hujus genitarum, nec ab exactiore sangvinis & lymphæ seu chyli miscela, nec totaliter & absolute a circulationis sangvinis e ventriculo cordis dextro ad sinistrum promotione dependeat; sed, qvia aer respiratione attractus potissima vitæ animalium causa sit, hic sangvini commixtus ratione motus sui tremuli seu oscillatorii, instar penduli, motum vitalem ipsi imprimat & conservet. Hinc problematis illius Harveani, hactenus vix a qvopiam soluti, cursc. fœtus secundinis exutus, si semel aërem hauserit, postea ne momentum qvidem sine illius usu vivere possit? aliorumqve phænomenorum circa respirationem observabilium, v. g. cur expiratio cohibita non minus ac inspiratio impedita molestiam suffocationis inducat & perimat? qvomodo in aëre rariore & in vase vacuo animalia mox intereant? qvare aqva pulmonibus immissa, item aër crassior ac nimis condensatus, suffocent? &c. rationes reddit: explicatæ vero respirationis utilitati aliam adhuc addit, ad animalis perfectam conservationem pariter facientem, sc. qvod sangvis venosus & nutritioni, spiritum animalium elaborationi, aliisqve actionibus ineptus una cum chylo novas aëris particulas intra pulmones recipiat, ejusqve grumi intra angustias pulmonum denuo solvantur, & arterioso sangvinis fluorem recuperent.

Postqvam ergo de compositione sangvinis in pulmone facta egit, de ejus purificatione seu a sero secretione, qvæ in renibus celebratur, sollicitus est, qvam non per fermentationem, sed necessitate qvadam mechanica, i. e. per vasorum renalium angustiam & configurationem fieri, ostendit; hacqve occasione *Willisii*, serum a sangvine per præcipitationem, interveniente coagulo qvodam separari, asserentis, item *Malpighii*, qvi præter renum structuram fermentationem sangvinis perpetuam ad urinæ secretionem concurrere docet, sententias stringit.

Qvo facto ad epatis, officinæ animalis satis famosæ, conformationem & usum se convertit, glandularum structuram & mechanicum operandi modum his præmittens: atqve bilem pariter in jecore absqve

ullius

allius fermenti concursu, ac solo artificio mechanico separari autumat, & qvidem non a tota massa sangvinea, sed ab hac saltem ejus portione, qvæ per lienem, intestina, mesenterium aliaqve abdominis viscera circulata a vena portæ adducitur, utpote qvæ bilioſum succum partim ab alimentis novis suppeditatum, partim per ductus cholodochos ad duodenum depositum, resorbeat, & epatis acinis glanduloſis reaffundat: adeoqve circulationem qvandam bilis per abdomen, æqve ac circulationem sangvinis massæ per totam corporis peripheriam, concipit.

Porro Spirituum animalium naturam atqve influxum explicaturus, illis consistentiam liqvidam & spiritui vini analogam attribuit, eosqve ad nutritionem duplici modo conferre, ait: vel qvatenus ad viscera & glandulas abdominis, in qvibus immensi ac freqventes nervorum plexus conspiciuntur, transmissi chylum perficiant, hujusqve aliqvam portionem constituant; vel qvatenus in ipsis partibus nutriendis suum officium, modo inferius explicando, præstent.

Motum autem spirituum horum per eosdem canales seu funiculos nerveos duplicem statuit, unum a cerebro ad partes, pro motu & nutritione; alterum a partibus ad cerebrum, in sensatione, intervenientе qvo succi etiam cardiaci & venenata miasmata illi communicentur.

Succum nihilominus nerveum nutritium diversum pronunciat ab hoc, qvi locomotivam ac sensitivam functionem exercet, huncqve per ipsarum fibrarum nervearum tractus seu canales, illum per interstitia harum, nervum instar funiculi constituentium, ferri putat: ne sibi confusi unus alterius texturam alteraret seqve mutuo impedirent. Contingere autem succi nervorum nutritii effusionem somni potissimum tempore, imo hujus causam existere: qvatenus illa sine ebullitione seu effervescentia qvadam in cerebro fieri haud possit, qvam obstructio orificiorum filamentorum nerveorum, hinc animalium functionum cessatio, seu somnus, necessario excipiat, manente nihilominus cordis & thoracis motu respiratorio integro, utpote, si non omnimode, certe maximam partem a nervo intercostali & vago dependente, qvorum radices partim ab illo cerebri loco, in qvo dicta ebullitio contingat, remotiores, partim aliis nervis strictiores & peculiariter configuratæ sint, ut ab illa ebullitione affici neqveant.

Progreditur hinc Noster ad Spiritus alterius generis, seu ad succum

cum illum ſpirituoſum ſeminalem, in teſticulis elaborarum, poſtqvam horum molem totam ex innumeris canaliculis conſtare, ſibi ab *Auberio*, Anatomico Piſano, 1657 demonſtratum, hosqve ductulos ſeminales ſubſtantia qvadam ſpongioſa refertos eſſe docuit. In illis ſiqvidem, fermentitiis inſimul fluoribus turgentibus, ſangvinis portionem albugineam, glutinoſam & ſelectam in vivaciſſimũ & actuoſiſſimũ ſuccum genitalem elaborari, ad epididymidas, veſiculas ſpermaticas & uretram deponendũ: qvatenus in illis teſticulorũ vaſculis non ſaltem a nervis aliqvid recipiat, ſed a fermento illorum intrinſeco exaltetur, ejusqve partes ſpirituoſæ in libertatẽ majorem vindicentur, ut per vivificã & ſummæ activam energiam uteri muliebris poros celerrime penetrare & automa embryonis in ovulo latitans animare atqve evolvere qveat, in coitu a ſpiritibus cerebri animalibus magis actuatus, cum impetu ſingulari tunc temporis organa genitalia irruentibus. Inſimul tamen & ſecundario ſuccum hunc genitalem ſingulare balſamum & elyxir individuale, animam & corpus generantis actuans, cum aliis Scriptoribus pronunciat, per nervos membrorum genitalium maximam partem reſorbendum & ad totum corpus diffundendum. Tandem vero circulariter qvodammodo ſpiritus, ad inſtar ſangvinis, in animali moveri, concludit.

Et qvo animalium geneſis commodius percipi poſſet, hujus explicationi qvædam de generatione & vegetatione plantarum præmittit, ubi inter alia ſemini earum exiguam ejusdem ſpeciei plantulam, perfectiſſime elaboratam, ſubeſſe, cum aliis recentioribus adſtruit. Semina vero terræ commiſſa ſuccum ſuum nutritium ab aqvea humiditate petere, qvam impulſam præprimis ab aeris ambientis pondere, non per potentiam ſucci cujusdam fermentitii, ſed per ſtructuram vaſorum ſuorum mechanicam, transforment ſibiqve exin appropriatum nutrimentum parent: ipſas vero plantas productas reſpirationem imperfectionem, a qva earum vita dependeat & conſervetur, exercere. Hinc animalis generationis negotium ipſum explicat Borellus, & ſemen virile haud vi qvadam incorporea, aut per afflatum qvendam, ſed contactu corporali & per admixtionem ſuarum particularum, ovum muliebre fœcundare aït, & qvidem non organa fœtus, ipſi actu & perfecte inexiſtentia, ſaltem exagitando & actuando, ſed eadem ſimul efformando ac perficiendo.

Qvo-

Qvoniam autem eadem naturæ lege, qva aliqvod animal gignitur, crescit & nutritur, idem dissipetur ac destruatur, modusqve nutritivus in eodem sine destructivo concipi neqveat, sed se mutuo foveant ac juvent; prius de partium deperditione, hinc earum reparatione, disserit. Adeoqve doctrinam illam præclaram Sanctorii de insensibili transpiratione innuens, necessitatem hujus evacuationis pro vita animalis perpetuanda summam exponit; hinc de nutritione hujus agens primo ventriculi avium carnosi (dentibus non pennatorum sur centuriantis) structuram & actionem evolvit, diversa diversorum animalium alimenta recensèt, aliqvam chyli portionem ad epar, per venas mesaraicas deferri autumat, omnem vero chylum in corde, pulmonibus aliisqve corporis membris in sangvinem transformatum cum succo nerveo immediatam nutritionis materiam declarat, ac deniqve modum nutriendi mechanicum explicat. Postmodum famis & sitis ætiologiam cum modo, qvo utraqve tollitur, indagat, causam doloris ac lassitudinis explicat, convulsionum artuum, tremoris ac tandem febrilium excandescentiarum rationes reddit: has posteriores a succi nervei acrimonia extraordinaria, cor p.n. irritante, derivans. Et sicut partem totius hujus de motu animalium operis primam qvatuordecim, ita hanc secundam qvatuor Tabulis æneis exornat ac dilucidat.

LETTRES ESCRITES SUR LE SUJET d' une nouvelle decouverte, touchant la Veuë, faite par M. Mariotte;

A Paris, 1682. in 4.

i. e.

Epistolæ concernentes novum qvoddam inventum circa visionem, propositum à Domino Mariotto.

BInæ sunt Epistolæ, qvibus occasionem dedit assertum Mariotti, visionem non tam in tunica oculi *retina*, qvam in *choroide* fieri: qvod cum rationibus nonnullis ante qvindecim, & qvod excurrit, annos Pecqveto per literas communicasset, inter eas tamen seqvens

Experimentum expoſuerat. Sc. affigi jubet parieti obſcuriori chartulas duas albas rotundas, qvarum dextra facilioris diſtinctionis gratia ſiniſtram magnitudine notabiliter ſuperet, ita ut harum una ab altera ad duorum pedum longitudinem diſtet, & paulo altiorem aut humiliorem locum occupet: hinc minorem oculo dextro fixo (ſiniſtro interim clauſo) intueri, ſenſimq; ad novem vel decem pedes recta ab illa recedere præcipit, oculum dextrum firmum ſemper in chartula ſiniſtra detinendo. Qvod dum fit, perdit tandem hic chartulam dextram, mox denuo videndam, ſi oculum eundem ad trium, imo plurium & ultra ſeptem vel octo pedum diſtantiam, ſive in altum, ſive profundum, ſive ad latus convertas: idemqve ſuccedet, ſi ad eandem diſtantiam chartulas transponendo (ſc. ut ſiniſtra dextra evadat) ſiniſtro oculo chartulam minorem, nunc ſiniſtram, dicta ratione inſpicias. Sicut autem in illo puncto aut parte oculi, ubi radii chartæ majoris non amplius percipiuntur, ſubſit retina, choroides minime; ita non illam, ſed hanc, primarium viſus organum declarat Abbas Mariottus.

Hoc experimentum (in ſe qvidem certiſſimum & ſatis jucundum) attendens *Dominus Perrault*, per alia ſcripta philoſophica celeberrimus, ejus tam ætiologiam, qvam conſeqventiam inde elicitam, negat in epiſtola hujus faſciculi prima, ad Mariottum exarata. Poſt dubium enim illud, qvod olim ſe ad Pecqvetum transſcripſiſſe refert, qvaſi nimirum retina in diverſis locis, præprimis ubi viſio contingit, vaſis ſangvine turgidis intertexta ſit, qvæ tanqvã corpora opaca ſatis magna, & objectis ac tunicæ choroidi interjecta, conorum viſivorum puncta ſatis exilia neceſſario intercipiant, i. e. viſionem in hac impediant: Supponit ac prolixe ſatis deduxit, æqvalitatem & lævitatem organi ad functionem hanc præſtandam maxime neceſſariam eſſe, adeoqve choroidem, qvam aſperam & ſcabram valde pronunciat, minus; retinæ contra ſuperficiem, humori vitreo contiguam, qvam aptiſſimum & primarium viſus inſtrumentum exiſtere. Contra qvæ qvamvis excipi forſan poſſet, vaſa retinæ exilia adeo eſſe, ut ſua interpoſitione objecti in choroidem incidentiam haud turbent; imo ipſi retinæ aſperitatem, functioni huic minus congruam, eosdem vaſorum ramos inducere poſſe: Utriqve tamen huic dubio ſatisfacit. Primo ſc. qvod qvamvis vaſa hæc craſſitie ſua pilum haud excedant, ſatis tamen impedimento futura ſint infinitis conorum viſivorum extremitatibus, qvarum ope objectum

ctum magnitudinis notabilis, præprimis longius distans, repræsentatur, recipiendis: Alteri vero, qvod vascula illa, dum crassiorem tunicæ retinæ substantiam trajiciunt, ab hac undiq; cooperiantur, adeoqve hujus lævitas & æqvalitas conservetur. Qvibus addit, qvod, cum actio hæc per contactum, reliqvis cunctorum sensuum contactibus longe teneriorem, fiat, illius qvoqve organum teneritudine atqve subtilitate ejusmodi gaudere debeat, qvæ ad transmittendos spiritus subtilissimos hoc disponat ac per qvam ab impressionibus, etiam levissimis, idem commoveatur. Hanc conditionem pelliculæ choroideæ utpote crassæ valde, & tenui meninge, a qva emanat, longe crassiori, denegat, in gradu autem excellentiore retinæ tanqvam mollissimæ ac tenerrimæ cerebri ipsius substantiæ, concedit. Nec minoris momenti credit *Perrault*, qvod Choroides cum nervo optico haud communicet, & parte illa, qva visio fit, membrana alia, Tapes dicenda, cooperiatur.

Nihilominus phænomeni Mariotti ætiologiam facile explicari posse putat idem, Retinam in officii sui possessione minime turbando; dum concessa illa organi visorii æqvalitate seu lævitate pateſcat, locum, ubi retina a nervo optico progreditur, negotio huic minus commodum esse, qvatenus hic tunica dicta polituram seu lævitatem illam, qvam in reliqvis suis partibus exhibet, non habet. Cui accedat, locum, ubi nervus opticus in retinam nondum explicatur, partem ab hac plane diversam esse, vel qvod spiritus per locum hunc angustiorem necessario ibi cumulentur & per eundem maximo impetu ferantur; vel qvod omnes illæ fibræ, qvarum extremitates in partem retinæ diffusam spiritus visivos effundunt, ibi coarctentur, utraqve vero ratione visus turbetur. Tandem ipsi non absurdum videtur asserere, forsan hunc retinæ locum visioni ideo minus adæqvatum esse, qvod choroide subjacente, hic perforata, destituatur: Ex hoc tamen neutiqvam inferri debere, choroidem alia ratione, qvam aliqvid, sine qvo visus commode & perfecte fieri non possit (pari ratione ac palpebræ, ligamentum ciliare, humor crystallinus &c.) conferendo, minime tanqvam organum primarium, huic inservire.

Mariottus contra in Responsoriis ad hæc, præter dogmatis sui verosimilitudinem, qvam olim jamdum Pecqveto per binas epistolas declaraverat, pro illo ulterius defendendo, ac Perraulti dubiis evertendis, alia adhuc non minoris momenti profert. Et primo qvidem negat, vasa retinæ sanguiflua visionem in choroide supposita turbare, si uter-

qve oculus simul agat, qvoniam hac ratione visioni nec directe, ideo qvod in illa retinæ parte, qvæ axin visionis huicqve vicina loca in choroide tegit, nulla vasa reperiantur; nec indirecte, qvatenus unius puncti luminosi radii non unum utriusqve oculi punctum feriunt, nocere possint. Nec vasa hæc in singulo oculorum, utut in dicto loco existerent, radiorum accessum sufflaminare; qvod diaphana, tenuissima & lineæ partem vix æqvantia sint, ac qvoniam in retinæ potius superficie, vitreo humori contigua & a choroide qvam remotissima reperiantur. Qvamvis enim inter vasa ab axi visorio remotiora, nonnulla satis magna & ad turbandum visum apta sint, præprimis ubi ex nervi optici basi exurgunt ac in ramulos elabuntur: hoc tamen impedimentum longe minus esse, qvam qvod in ipsa nervi dicti basi contingit, qvatenus hæc septies aut octies latior deprehenditur, qvam crassities maximi illorum surculorum.

Qvod suum suppositum ut probet Dominus Mariottus, seqvens commendat experimentum. Sc. per oculi recentis, anteqvam extra orbitam suam protrahatur, corneam tunicam duas lineas, unam verticalem, alteram horizontalem, ducit, qvæ in centro ejusdem membranæ se ad angulos rectos secant, &, postqvam nervum opticum supra choroidem amputavit, oculi circumferentiam ligula chartacea metitur: hinc fasciolæ hujus medium, atrato puncto notatum, super dictum intersectionis locum seu corneæ centrum ponit, & hac ratione oculi peripheriam denuo secundum alterutram illarum linearum mensurat, ut in sclroticæ parte, corneæ opposita, punctum, in qvo extremitates illius chartulæ coëunt, observet; qvod idem secundum alteram lineam facit, qvo punctum axis visorii in facie sclirotidis exteriore deprehendat. In hoc oculum instrumento tenuiore ad duarum aut trium linearum profunditatem perforat, eoqve extracto foramini acum aut clavum exiliorem ejusdem longitudinis immittit: postmodum eundem transversim secat, illo modo, qvem in altera ad Pecqvetum qvondam exarata epistola docuerat, & nec in loco retinæ perforato, nec hujus vicinia ullum vas sangviferum conspici, simul tamen apparere testatur ramificationem eorum in retina circiter talem, qvalis in *prima* seqventium figurarum sistitur. In qva circulus ABCD retinam constituit, exilior circulus *ae* basin nervi optici, AED, BEC tractus duarum linearum qvæ in puncto E sibi ad angulos

TAB. III. Fig. 1.

rectos

TAB: III. ad A. 1683. pag. 70. seqv.

fig. 2.

fig. 1.



fig. 3.



fig. 5.

fig. 4.



fig. 6.



UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK

rectos incidunt, & sectiones planorum per lineas illas abeuntiũ repræsentant; E punctum aut axem visoriũ retinam perforantẽ, *edc*, *afb* vero bina majora hujus tunicæ vasa, qvorum trunci utplurimum ex basi dicti nervi exurgunt; *di* & *fi* autem propagines horum duas minores & centro E propinqviores. Qvo facto humorem vitreum a retina tollit, qvo sangvis exiliorum horum ramorum sq. lendentis & vividæ satis rubedinis conspiciatur, indeqve horum tunicas diaphanas esse, colligatur: qvod qvidem commodius fieri putat, si acu qvidam horum surculorum leventur, eis chartula alba supponatur, ac refecentur, hinc microscopio exactiori exponantur; sic enim vasa illa talia circiter apparere, qvalis est *Figura* secunda, in qva linea nigra FIL TAB. III. flumen sangvinis & reliqvum totum crassitiem membranæ transparentis & sangvinis flumine longe latioris repræsentant. Fig. 2. Fig. 3.

Qvod si vero consideretur figura oculi *numero 3.* notata, in qva AB humorem crystallinum refert; CD aperturam uveæ, $\alpha\beta\gamma$ conum luminis ab uno luminosi corporis puncto emanantem, $\delta\varepsilon$ partem superficiei anterioris retinæ axi propinqvam & basin coni minoris $\delta\varepsilon\gamma$ ut partem majoris $\alpha\beta\gamma$ excipientem, ita ut foramen uveæ CD ordinarie duarum linearum & $\alpha\beta$ ejusdem fere latitudinis observetur, $\beta\gamma$ sex circiter lineas cum duabus tertiis, ac $\gamma\delta$ retinæ crassities, tertiam lineæ partem æqvet. Qvemadmodum autem $\beta\gamma$, 6 linearum & duarum tertiarum, se habeat ad $\alpha\beta$, linearum duarum; ita $\delta\gamma$, tertia lineæ pars, se habeat ad $\delta\varepsilon$, adeoqve $\delta\varepsilon$ decima circiter lineæ pars foret. Supponendo vero, striãs seu fila sangvinis exiliora parvorum ramulorum vigesimam qvartam lineæ partem non transcendere, $\delta\varepsilon$ ad crassitiem fili ejusmodi ut 24 ad 10 se habiturum, aut, si crassities illa vigesima lineæ pars sit, ut 2 ad 1. Et per consqvens, si vasculum aliqvod in spatio $\delta\varepsilon$ adsit, notabilem coni luminosi portionẽ utrinqve tractulũ illum sangvinis superaturũ ad choroidem usqve, & si conus ille a stella qvadam producatur, hanc oculo non excisuram, etiamsi oculum in uno & indivisibili cœli puncto, satis longo tempore, figere liceat, qvale qvid ab oculi nimia mobilitate tamen vix expectandum. Imo, si forte oculus in punctum hoc dirigatur, & stella leviter tantum visa sit, impressionem, qvæ a visione præcedanea remansit, & illam, qvæ aliorsum momento post converso oculo seqvitur, stellam illam exhibituram, qvasi semper æqvaliter

liter visam: Simili circiter modo ac carbo ignitus, celerrime in gyrum motus, semper instar circuli apparet, ideo qvod secunda hujus luminis impressio fiat, anteqvam prior extincta. Et per consequens impossibile esse, aliqvid hujus defectus inter videndum percipi, aut stellam notabilem oculum elabi, si aliam lateralem qvis intueatur, qvamvis tunica vasis pellucida refractionem similem retinæ refractioni haberet. Ast qvoniam materiam sulphuream agnoscat, adeoqve ejusdem refractio fere eadem cum crystallini refractione sit, refractionem radiorum in tunica illa fieri, eosqve focum exilem in choroide, sub parvo ejusmodi vase in puncto γ formare, qvamvis hoc non nisi qvartam lineæ partem, aut adhuc minus ab ea distet, ideo qvod differentia refractionis harum membranarum atqve retinæ vix sensibili existente, radii, qvi versus extremitates exiliores deflectunt, latera fluminum sangvinis tenuiorum transeant.

Qvod vero objecta minora per interpositiones majorum sangvinis fluminum oculum effugiant, hoc experimento evincit Mariottus. Circulum sc. chartaceum album, cujus diameter pedem æqvat, secundum *figurum qvartam*, parieti obscuriori affigit, cujus lateri dextro, ad pedum duorum distantiam chartulam minorem, probe illuminatam, cujus diameter pollicis tantum dimidii est, jungit, eam ad 4 pollices inferius collocando. Ab his chartulis decem aut plures pedes recedit, usqvedum, dextrum oculum ad viciniorem marginem chartæ majoris dirigendo, parvam amittat, ac dirigendo eundem ad marginem oppositam illam pariter perdat: Uno verbo augere ac imminuere hanc distantiam juber, ac tentare, usqve dum oculum per circumferentiam chartæ majoris vertendo minor oculum semper elabatur, & videndo purum ad latus, v. g. versus puncta QRST, eam denuo conspiciat. Et tunc animadverti, qvod circa loca Y & Z, supra & sub diametro illius circuli verticali, spatium tres pollices longum & 3 aut 4 lineas latum sit, in qvod oculus directus chartulam parvam adhuc perdit: cujus rei causa non nisi truncis vasorum *afb* & *edc figuræ primæ* attribui possit.

Tab. III. Fig. 4.

Porro ut Choroideam non adeo incongruam, prout qvidem Perrault eam pronunciarat, ad videndi actionem esse demonstret, diversas hactenus ignotas in eadem per anatomen aliaqve experimenta exponit proprietates, eidem functioni maxime litantes. Sc. ejus super-

ſuperficiem concavam non aſperam, ſed qvam lævisſimam, totam hanc pelliculam non craſſam, ſed tenuem, vaſa ſangvifera exiliſſima partibus ejus nervoſis ita intertexta eſſe, ut viſum turbare minime qveant, it. nigredinem ipſius ad viſionem perfectam abſolute neceſſariam exiſtere &c. Econtra retinam minus adæqvatum viſus organum videri, ex variis hujus conditionibus, v. g. craſſitie atqve mollitie huicqve intertextis vaſis ſangviferis, concludit.

Deniqve contra cauſas viſus in baſi nervi optici deficientis, a Perraulto recenſitas varia monet, v. g. præter viſcoſam ſeu medullarem ſubſtantiam & vaſa ſangvifera nihil aliud, adeoqve nec fibras, in retina reperiri, nihil lucis ſenſibilis per poſteriora & nervum opticum oculum ſubintrare: imo ſi ætiologiæ illæ veræ exiſterent, i. e. ſi faſciculus fibrarum baſin nervi optici oppleret, aut notabile lumen per oculi tergum ſubingrederetur, hæc in anteriore retinæ parte viſionem deſtruere.

INVENTA NOVA MACHINÆ AC NAVIS urinatoriæ: auctore Joh. Alphonſo Borello.

UT ſcientiis omnibus magis magisqve excolendis ſtrenue per Europam omnem, qvæ ſeculi noſtri felicitas eſt, viri docti incumbunt: ita non defuerunt etiam, qvi *urinandi artem*, utiliſſimam utiqve, & pretioſis qvibusqve ex imo maris fundo extrahendis inventam, novis excogitatis machinis perficere conati ſunt. Campanarum urinatoriarum ea in re uſus dudum innotuit, aliæqve ſunt ab aliis inventæ rationes, qvibus reſpirare ſub aqva homo poſſit. Aſt noviſſime *Joh. Alphonſus Borellus*, cum in eo ipſo *de Motu animalium* Opere, cujus extrema ſupra recenſuimus, modum, qvo ſub aqva libere piſces natant ac qvoqvoverſus moventur, accuratiſſime ſcrutatus eſſet, ſpeculando novum genus machinæ, qvo homo longo tempore non vivere tantum ſub aqva, ſed & progredi qvo velit, ac natare piſcium inſtar, aut inſtar cancri repere poſſit; navis item qva navigare ſub aqva commode poſſimus, conſecutus eſt. Nos, cum in paucorum adhuc manibus Borelli laudatum ſæpius Opus verſetur, non dubitavimus inventorum horum deſcriptionem ipſis Borelli verbis, una cum figuris hoc loco exhibere, rem omnem Curioſorum examini ſubjicientes.

Tab. III. Fig. V. *Machinæ conſtructio, qva homines demerſi intra aqvam poſſint per plures horas reſpirare & vivere.*

Fiat vas, ſeu veſica ænea, ſeu ſtannea BMHC diametro duorum pedum, qvæ caput A hominis continere poſſit ad inſtar galeæ, ſeu cubiculi, & ſtrictiori collo BC adhæreat ſcapulis, vertici, & ſupremo pectori, atqve funiculis circa collum æneum BC, ſtricte alligata veſte pellea caprina non penetrabili ab aqva; tunc homo ſic tectus, ſi intra aqvam demergatur, poterit per plures horas vivere, libere reſpirando aerem intra veſicam æneam BMHC incluſum, dummodo aer incluſus debitis temporibus renovetur, ut inferius declarabitur. Fieri vero debet fiſtula ænea curva IQKL, longitudine trium pedum, qvæ in inferiori intermedia curvatura burſam pellcam K annexam habeat, & duo extrema fiſtulæ orificia I, & L intra cavitatem veſicæ caput ambientis deſinant, ut in una anteriori I aer inſufflari debeat, altera vero L circa verticem hiet.

Ex hoc artificio duo bona conſeqventur: primo aer expiratus, & in fiſtulam inſufflatus in longo circuitu IQKL ab aqva externa refrigeratur, ſicut aer in tota vaſta veſica contentus ab ambiente aqva frigeſit. Secundo qvod, qvando ſtricto ore circa fiſtulæ orificium I intra eam aerem inſufflamus, non fit expiratio per nares, ſed ſolummodo per os, ut patet experientia; ergo ſi expiratio & ejectio ſpiritus fiat inſufflando aerem intra fiſtulam illam prælongam & retortam, neceſſe eſt, ut in illo circuitu guttulæ vaporoſæ adhæreant, & condenſentur in parietibus internis fiſtulæ, velut in pileo alembici contingit, & mox defluendo in burſam illam K excipiantur; hinc fiet, ut aer egrediatur ex altero fiſtulæ orificio L circa verticem, nedum refrigeratus, ſed etiam depuratus & exſiccatus; & ideo non excipietur per nares, & per os eadem illa portio aeris mox expirata calida, & madida, ſed alia diſtincta, jam refrigerata & purificata; ergo commodiſſime reſpiratio continuari poterit, ſaltem per horæ medietatem, abſqve periculo ſuffocationis.

Qvantitas poſtea aqvæ, qvæ cum vaporibus ab ore expiratur in horis 24, non ſuperat libram unam, ut Santonius obſervavit, & ideo a burſa illa commode excipi poteſt: nec te ſolicitum teneant fumi, & fuligines, qvæ ex poris capitis & faciei tranſpirant. Nam pueri, qvi hieme, tecto capite in lecto dormiunt, non ſuffocantur ab iisdem fuliginibus;

nibus; & proinde urinatores non lædentur ab iisdem fuliginibus in loco similiter clauſo.

Qvia vero homines vivere non poſſunt, niſi aer incluſus intra veſicam æneam renovetur, oportet, ut in ſummo vertice vaſis adſint duæ fiſtulæ æneæ N & O valvulis vel epiſtomiis clauſæ, ut urgente neceſſitate homo ad confinium aeris accedendo qvousqve fiſtularum orificia N, O, extent, ibi apertis epiſtomiis per unum canalem P M O exſufflari, & ejici aer vetuſtus poſſit, dum per reliqvum canalem N novus aer circulari motu excipiatur, & mox clauſis epiſtomiis denuo demergatur.

Cæterum veſtis caprina debet habere formam qvam ſimillimam humano corpori, & artubus ejus, qvæ exacte uniri & aptari debet, cum ſuis chirotecis & ſoleis, ut commode motus & contrectationes fieri poſſint.

Inſuper vas æneum, ſeu veſica capiti imponenda in anteriori ejus parte 2, 3 inſertum debet habere vitrum ſpeculare conglutinatum farina calcis vivæ, & ovi albumine, ut homo videre poſſit ea, qvæ in fundo, & in medio aqvæ exiſtunt.

Nec obeſt pondus vaſis æneo, aut levitas aeris in eo incluſi. Nam facile totum compoſitum ex homine & vaſe reduci poteſt qvam proxime ad æqvilibrium cum aqva, additis novis plumbeis fragmentis, vel augendo molem incluſam aeris. Manifeſtum eſt igitur, qvod tali artificio poteſt homo intra aqvam demerſus diu reſpirare & vivere.

Modus, qvo homo eodem artificio ſub aqva pro lubitu moveri ac qviescere poteſt, inſtar piſcium.

Tab. III. Fig. V.

Ut igitur nos in aqvam demerſi, ſimili machina uti poſſimus, portare nobiscum debemus grandem Syringam R S, cingulo D alligatam, ad inſtar gladii, qvæ molem aeris contineat æqvalem uni pedi cubico; hæc qvidem foraminulo S clauſo, & ferruminato, inſertum habeat cylindrum XV, cum ſuo epiſtomio T, exacte claudente rimas omnes laterales; idqve vite perpetua, cum ſuo manubrio Y trahi ad extra, & impelli ad intra poſſit, a qvo aer in Syringa contentus valde condenſari, & rarefieri poterit, qvod naturæ aeris non repugnat.

His præparatis ſupponamus, qvod homo A F cum caprina, qva induitur, cum cingulis & tegumento capitis æneo B G H C cum ſyringa R S, & aere incluſo, ſit minus gravis ſpecie, qvam aqva, ut emineat ſu-

pra aqvæ ſuperficiem aliqva pars galeæ M G; tunc additis fragmentis plumbeis, redigatur tota moles innatantis hominis fere æqve gravis ſpecie cum aqva, ut nimirum exter exigua verticis particula G. Et immiſſo epiſtomio T verſus S condenſetur aer incluſus T S in ſyringa, & proinde anterior ejus pars T Ω, qvæ aere prius replebatur, mox ab aqva occupabitur, & ideo moles ſyringæ cum epiſtomio minus ſpatium in aqva occupabit: qvapropter tota moles natantis hominis cum annexa ſyringa in aqva occupabit minus ſpatii, qvam prius; & proinde gravitas ejus ſpecifica augebitur, & ſic primo loco redigetur ad æqvilibrium cum aqva, & tunc ubiqve in medio profunditatis ejus homo qviеſcet: & ſi ulterius immiſſo epiſtomio T aer ſyringæ magis comprimatur, & major aqvæ copia in ea excipiatur, jam homo gravior ſpecie ipſa aqva redditus, ſponte lento motu cadet ad fundum. E contra retracto epiſtomio T verſus R, & aere ſua vi elaſtica rarefacto, & expulſa aqva ex ſyringæ cavitate TR, fiet denuo homo minus gravis ſpecie, qvam aqva; & proinde ſponte ſurſum aſcendet, qvousqve aliqva pars ſummi verticis G M extet ſupra aqvæ ſuperficiem.

Jam non eſt neceſſe, ut fuſius inſinuemus, qvomodo homo per fundum aqvæ incedere ad inſtar cancrorum valeat; & ſi libuerit, remigio palmarum manuum, & pedum, ad inſtar ranarum, per aqvam natare poſſit.

Tab. III. Fig. VI.

Navis urinatoriæ fabrica & uſus.

Artificium erit ſimile præcedenti, qvo rimirum navis occupando in aqva ſpatium ſe ipſa æqvale magis, aut minus poteſt ſponte, ad inſtar piſcium qviеſcere in medio profunditatis aqvæ, aut ad fundum deſcendere, vel verſus ſuperficiem ſupremam elevari. Hoc fiet, ſi navis ACEG fundum EF perforatum fuerit in N, N, N; & utres caprini ON, ON &c. in navi contenti promo ore N aptentur, ut orificium cujuslibet utris N minutis clavis figatur, aut funiculis circa interna labra prominentia foraminum ſtricte alligentur, ut aqva per foramina ingreſſa ventrem cujuslibet utris replere poſſit, & neqveat per futuras, aut per interſtitia clavorum intra navem exſtillare aut diffluere. Facta tali præparatione patet, qvod qvando omnes utres ON, ON, in ventre navis contenti aqva repleti ſunt, tunc qvidem navis minus ſpatii in aqva occupat, qvam prius, & qvam ſit moles navis. Et proinde gravior ſpecie in ipſa aqva reddita eſt; ideoqve deſcendet navis ad fundum non

non ſecus ac ſaxum: at ſi compreſſis utribus (vecte PO, vite aut alio modo) aqva per foramina N,N extra navim ejiciatur, tunc navis majus ſpatium in aqva occupabit, qvam prius; & tranſibit per æqvilibrium, & tunc qviescet in medio aqvæ; ſi vero deinceps levior ipſa aqva efficiatur, ſurſum aſcendet.

In tali porro navi aptari poſſunt remi VX, duplici pelle caprina ad foramina lateralia V,V, claviculis annexa, & ſtricte circa remos alligata, ut aqvæ ingreſſum in navi prohibeant: & hiſce remis ad inſtar pedum navis parum in aqva gravitans poterit impelli, & promoveri innixis vectibus remorum ſuper fundum arenoſum. Imo poſſumus alternatim eam leviorem ipſa aqva reddere, qvando ſublevata paſſus confiecre debet.

Pro motu vero transverſali, remi habere debent palmas XZ flexibiles, ſimiles pedibus anſerum, & ranarum, ut ampliari poſſint ſolummodo, qvando aqvam retrorſum impellunt; & colligantur complicenturqve, qvando remi retrahuntur.

Sed forſan facilius navis inceſſus fiet, impulſæ, non a remis lateralibus, ſed ab unico ſolo remo flexibili, & reſiliente palmato, in puppi poſito, a cujus vibratione navis, ſicuti piſces a cauda impulſi, per aqvam commodius incedere poterit.

CLAUDII PTOLEMÆI HARMONICORUM libri tres, e Cod. MSS. Undecim nunc primum græce editi, a Joanne Wallis, SS. Theol. D. & Geom. Prof. Saviliano,

Oxonii, anno 1682. in 4.

EDiderat hos Principis olim Mathematicorum libros Venetiis anno 1562, cum *Ariſtoxeni Harmonicis*, Latio a ſe donatos, *Antonius Gogavinus, Gravienſis* (*Meibomio* in *præf.* ad *Nicomachi Geraſeni enchiridion harmonicum*, ex *Geſneri* & *Deſſelii Bibliothecis*, *Antonius Hermannus Gogava dictus.*) At, qvod nulla Muſices, græci ſermonis exigua cognitione tinctus, nullo præterea uſus judicio, laborem hunc ſumſiſſet, acrem incurrit *Meibomii*, in *præf.* ad *Ariſtoxeni Harmonica*, cenſuram. E cujus manu orbis eruditus, jam ab annis circiter triginta, ex qvo ſcilicet ſuum in emaculandis Veterum ſcriptis ſtudium,

editis græco & latino idiomate *Antiquæ Muſicæ ſeptem ſcriptoribus*, eidem Meibomius comprobavit, *Ptolemæi* etiam *Harmonica*, græce hactenus nondum proſtantia, expectavit: qvippe qvæ ipſe cum *Bryennio*, Notis ſuis illuſtrata, modo memorata ad *Ariſtoxenum præfatione* diſerte erat pollicitus.

Cum vero præterlapſo tanto tempore adhuc lateret *Ptolemæus*, ſuæqve forte *Meibomium*, qvo minus promiſſis ſtaret, cauſæ retinerent; longa Eruditorum deſideria adimplevit celeberrimus Angliæ Mathematicus *Joannes Wallis*, Profeſſor Oxonienſis: qvi (editis Matheſi Univerſali, Arithmetica Infinitorum, Mechanica; Tractatibus, de angulo contactus & ſemicirculi, ſectionibus conicis, Cycloide & Ciſſoide, in Dialogum Meibomii de proportionibus; Elencho Geometriæ Hobbianæ; Hobbio heavtontimorumeno; Exercitationibus, de Cometarum diſtantiis inveſtigandis, reductione fractionum, Periodo Juliana; GrammaticaLingvæAnglicanæ &c. præclaram dudū famam adeptus) poſtqvam anno 1676 felici omnino opera *Archimedis Arenarium*, & *dimenſionem circuli Eutocii Aſcalonitæ commentario illuſtratum*, à mendis innumeris repurgata nitori ſuo reſtituiſſet, hæc Ptolemæi Harmonica, ex MSS græcis XI, non minore ingenio qvam cura recenſa, publico dedit nitidiſſima.

Conſtat autem vel Tituli indicio, argumentum horum librorum partem eſſe Veteris Muſicæ, circa Sonituum acumen & gravitatem occupatam. Atqve id qvod Harmonicæ proprium eſt, prioribus duobus explicat Autor: tertio vero, proferendis ſcientiæ hujus finibus latius evagatur, & animas humanas cum cœleſtibus corporibus, qvæqve illis accidunt; legibus ejusdem cenſet, ſubjicitqve,

Primum porro librum a criteriis, qvibus Sonituum differentiæ judicandæ, Senſu & Ratione, exorſus: ab illo qvidem, prope verum; hac, accuratum judicium, beneficio Canonis Muſici, tanqvam inſtrumenti adjutorii, petendum eſſe pronunciat: diverſus ab Ariſtoxeneis & Pythagoricis, qvorum illi ſenſui; Hi rationi ſoli partes has deferebant. Inde ad cauſas acuminis & gravitatis ſonituum, diverſasqve horum ſpecies progreſſus: Sonos (ſonitus diſcretos) harmonicæ aptos, in Uniſonos, Conſonos & Concinnos diſtribuit, & Tetrachordi juxta tria Genera (Enarmonium, Chromaticum & Diatonicum) rationabiles diviſiones proponens, qvæ horum generum auribus maxime con-

congruant, edisserit. Toto vero sparsim libro Sectarum supra dictarum hypotheses, circa mensurandas definiendasqve consonantias harumqve intervalla, & Generum Tetrachordorumqve divisiones, impugnat.

Versa inde methodo, Libr. II Generum memoratorum rationes ex sensus judicio derivat. Postea consonantiarum (diapason, diapente, diatessaron) species numero definit, easqve omnes Systematis disdiapason inesse docet: cui propterea systematis perfecti (magnitudinis ex omnibus consonantiis compositæ) appellationem, ejusqve sonis (numero qvindecim) nomina sua tribuit. Mox contemplatione ad tonos (modos sc. aut mutationes, qvibus integrum systema variatur) deducta, extremos eorum in Acutum & Grave intra diapason terminat, & qvot species ipsius diapason, tot numero tonos (Dorium, Phrygium, Lydium, Mixolydium, Hypolydium, Hypophrygium, Hypodorium) & eorum a proximis qvibusqve intervalla certa ratione constituit, nec per hemitonia tonorum numerum augendum contendit. Utqve, qva ratione ab invicem dissideant Toni, tanto sit liqvidius, singulos cum Sonis suis horumqve tum juxta Positionem (h. e. situm qvem in Dorio, Tonorum medio, obtinent) tum Potestatem, appellationes, singulis exhibet Tabellis. Qvalibus etiam, (de Monochordi Canonis veterum imperfectione qvædam præmittens) ipsum Canonis harmonici sectionem, primo ad diapason in immutabili Tono, & ad singula Genera (Enarm. Chrom. Diatonicumqve, & horum species) juxta diversos Autores; post in singulis Tonis, & ad singula cantici sveta genera distincte exponit.

Ipsam tandem Facultatem Harmonicam L. III pensius contemplatus, inter mathematicas scientias refert, & consobrinam facit Astronomiæ, ambas vero duabus sororibus, Visu & Auditu (cum utraqve circa motum occupetur: hæc, solo Visu; illa, solo Auditu perceptibilem) genitas, atqve ab Arithmetica & Geometria enutritas. Cumqve ipso judice necesse sit, Harmonicam facultatem omnibus inesse, qvæ in se utcunqve motus habent principium; iis præsertim, qvæ naturæ sunt perfectioris: in anima humana, corporibusqve cœlestibus vel maxime putat conspicuam. Unde illius tres partes tribus Consonantiis, Intellectivam, diapason; Sensitivam, diapente; Continuativam (ἐκτικὸν μέρος: de qvo *Salmasius* ad *Simplicium* p. 302, 306 & *Cicero* de finibus, sub medium l. 5) diatessaron; Virtutes, sonis concinnis;

tria

tria virtutum in regno ſpeculativo & practico (illic Phyſicum, Mathematicum, Theologicum; hic Ethicum, Politicum, Oeconomicum) genera, tribus concentuum generibus (Enarmonio, Chromatico, Diatonico;) mutationes porro affectuum pro variis vitæ conditionibus, mutationibus concentuum ſ. Tonis, non inconcinno utplurimum ratiocinio comparat. Corporum vero cœleſtium motu deſignatum circulum, Zodiacum, perfecto reſpondere ſyſtemati contendit: in cujus (ex uno puncto, per diametrum, trianguli æqvilateri, qvadrati & hexagoni latera, ſecti) diviſionibus rationes harmonicæ univerſim omnes non uno modo contineantur. Ipſum porro ſtellarum motum, in longitudinem, motui ſonorum, aut tranſitui a gravioribus ad acutiores; in altitudinem, tribus concentuum generibus; in latitudinem, mutationibus ſecundum tonos: Aſpectus ad Solem, ordini Tetrachordorum; Sphæras tandem Planetarum ſonis ſtantibus perfecti ſyſtematis congruere pronunciat.

Hos *Ptolemæi* libros *Cl. Editor*, collatis ſumma induſtria Codicibus, dilucida non ſolum *Verſione*, in qva perſpicui fidiqve, non minus ac cauti Interpretis munere probe perfunctus eſt; ſed & *Notis* uberrimis, qvas aut variæ Codicum Lectiones (e qvibus potiorem ubiqve in textu ſectatus, reliqvas calci paginarum ſingularum ſubjecit) ſufficiebant, aut ipſe pro dexteritate ſua, Autori illuſtrando emendandoqve, ex ingenio proprio cenſuit adjiciendas, inſtruxit: ubiqve, cum de *Autore*, tum de Orbe literario præclare; in reſtituendis tamen Tabellarum, qvæ ſectionem Canonis multivariam exhibent, numeris miſerrime depravatis, omnium præclariſſime meritus: qvod, purgato hoc Augiæ ſtabulo, *Ptolemæi Harmonica*, ſummo (juxta *Meibomium*) judicio ſcripta, a ſe vero hic loci codicum vitio plane diverſa, non minori ſtudio & labore ſibi denuo reddiderit ſimilia, h. e. harmonica.

Subjunxit *Idem* his eruditiſſimam *Appendicem, de Veterum Harmonicâ ad hodiernam comparata.* Ubi qvæ hac de re apud Veteres Muſicos (*Ariſtoxenum, Euclidem, Nicomachum, Alypium, Gaudentium, Bacchium, Ariſtidem, Quintilianum, Martianum Capellam*) a *Meibomio* editos; *Ptolemæum* item, & nondum editos *Porphyrium* & *Bryennium* ſparſim occurrunt; præcipua, ſi non omnia, atqve ex *Boethio*, aliisqve nonnulla, in ordinem ita congeſſit, ut uno velut intuitu, qvæ fuerit Veterum Harmonica, qvatenus ea ad nos deſcendit, ſummatim perſpiciatur: retentis ſimul Græcorum vocibus, & formulis loqvendi (qvaſi tot vocabulis Artis) adnotatis ſimul Autorum locis, unde ſunt deſumta. Qvæ omnia ita contulit cum hodierna Muſica, ut qvid utriqve commune ſit, utcunqve ſub diverſis loqvendi formulis, eruditus lector, Muſicæ hodiernæ non ignarus, facile intelligat.

(o)

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Martii, Anno MDCLXXXIII.

TITI LIVII PATAVINI HISTORIARUM Libri qvi extant: Interpretatione & Notis illuſtravit JOHANNES DOUJATIUS Anteceſſorum Pariſienſium & Regiorum Profeſſorum Primicerius; juſſu Chriſtianiſſimi Regis, in uſum Delphini. Tomis qvinqve.

Pariſiis, 1679, 1680, & 1681. in 4.

Per aliqvot hactenus annos diverſorum auctorum ſtudio, diverſo ſucceſſu adornati, Galliarum Delphini uſum præ ſe ferentes prodierunt præcipui Scriptores Latini veteres. Poſtqvam enim Illuſtriſſimus CAROLUS SANCTA MAURÆUS MONTAUSERII DUX, Vir domi & militiæ egregius, omnibusqve ingenii ac doctrinæ copiis inſtructus, poſt collatam ſibi Patricii, ſive Franciæ Paris, ſummam dignitatem, mandatumqve Normanniæ totius regimen, a Rege maximo unici præterea Filii inſtitutionem creditam & ſpes publicas commiſſas accepiſſet: Auctores veteres ad vitam recte componendam & comparandam eruditionem plurimum conferre intelligens: in uſum Sereniſſimi ſui Alumni, & Gallicæ Juventutis gratiam, iſtos novo habitu induendos duxit; ut amotis omnibus diſcendi moleſtiis, nihil admodum in iſtis relinqveretur, qvod Principem, & reliqvam Juventutem illuſtri loco natam, ab lectione eorum abſterreret, & ad vernaculas (qvæ qvotannis fere renovantur, & vix unqvam tamen Auctoris ſenſum ſcopumqve aſſeqvuntur, aut ad dignitatem ejusdem accedunt, ſemper ab ejus ratione modoqve recedentes) interpretationes invitaret. Igitur cum in iſtis multa ſupereſſe animadvertiſſet, qvæ qvanqvam ab interpretibus tractata, conjecturis tamen diſceptata & correctionibus variis in dubium vocata, obſcuriora adhuc eſſent, aut minus cohærentia,

aut non satis explicata, qvæqve adeo illustrari verbis aliis & explicari Notis oporteret: ut ad illos Auctores evolvendos facilior & mollior aditus haberetur, optimam rationem existimavit, si servato contextu Auctoris cujusvis, ad optimos Codices a qvolibet præstantissimo Editore exacto, *Interpretatione* qvadam singula ejus verba, ubi res postulat, per alia propria & eandem vim habentia redderentur, obscuris verbis expressiora, translatis propria substituerentur, & omnis locutionis difficultas, qvæ ex verborum vel recondito sensu aut impeditiore situ oriri poterat, suffectis facilioribus aliis vocibus, iisqve in naturalem ordinem revocatis, tolleretur: porro adjectis qvibusdam *Notis*, iisqve brevibus, si qvid esset antiqvi moris, aut historiæ veteris, aut fabulæ, parumqve perspecti sermonis, perspicuum efficeretur. Facit enim interpretatio, ut abditus verborum sensus perspicuus reddatur; faciunt autem Notæ, ut obscura illustrentur, & abstrusæ res pateant. *Indices* præterea copiosos & ad superstitionem accuratos omnium omnino verborum subjici voluit; qvorum beneficio qvisqve locus in auctore qvolibet, modo aliqvod ex eo verbum succurrat memoriæ, negotio facili reperiatur, vocumqve perpetuus usus, prout freqvens ille vel raro occurrit, & ad eas inveniendas via statim commonstretur.

Ad hoc institutum promovendum propositis amplissimis præmiis invitati, qvicunqve intra Gallici regni fines literarum laude florerent: & selecti ex omni genere & ordine viri literati, fœminæ etiam nobiles in societatem præstantissimi studii hujus vocatæ sunt; ingenia excitante, qvi sublimiorem Principi suo doctrinam instillabat, qvemqve ad imbuendum excolendumqve virtutibus & literis Serenissimi Delphini animum vocaverat religio & sanctitas sua, scientiarumqve divinarum & humanarum cognitio singularis, & in svadendis qvæ recta sunt incredibilis vis eloqventiæ, JACOBO BENIGNO BOSSUETO ante Condomiensi, nunc Meldensi Episcopo: eademqve fovente, cui in regendis Delphini studiis secundæ erant partes PETRO DANIELE HUETIO, Abbate Alnetensi, consummatæ eruditionis viro, editisqve in lucem ingenii monumentis clarissimo; qvi in partem principalium studiorum promovendorum adscitus, perficiendis istis utilem navavit operam, & has commentandi rationes egregie juvit: adeuntibus ipsum, tanqvam omnis eruditionis soli-

solidiorisqve doctrinæ oraculum, horum Commentariorum auctoribus, si qva difficultas occurreret, qvam excellenti ingenio & doctrinæ summa vi tollere ipse optime nosset.

Horum ἐργοδιώκτων auctoritate & consilio publicam lucem adspexerunt Scriptores Latini, qvos juxta seriem annorum, qvibus prodierunt, additis nominibus Commentatorum, hic recensebimus:

L. Annæus Florus ab *Anna Tanaqvilli Fabri Filia*, 1674.
C. Salustius Crispus a *Daniele Crispino*, 1674.
P. Terentius a *Nicolao Camo*, 1675.
Phædrus a *Petro Daneto*, 1675.
P. Virgilius Maro a *Carolo Ruæo*, 1675.
Cornelius Nepos a *Nicolao Courtino*, 1675.
Vellejus Paterculus a *Roberto Rigueſio*, 1675.
Panegyrici Veteres a *Jacobo de la Baune*, 1676.
Cl. Claudianus a *Gulielmo Pyrrho*, 1677.
Justinus a *Petro Joſepho Cantelio*, 1677.
Q. Curtius a *Michaele Tellierio*, 1678.
Valerius Maximus a *Petro Joſepho Cantelio*, 1679.
M. Accius Plautus a *Jacobo Operario*, 1679.
M. Manilius a *Michaele Fayo*, 1679.
T. Lucretius Carus ab *eodem*, 1680.
Dictys Cretensis & Dares Phrygius ab *Anna Tanaqvilli Fabri Filia*, 1680.
An. Manl. Sev. Boetius a *Petro Callyo*, 1680.
Sex. Pomp. Festus & M. Verrius Flaccus ab *Andrea Dacerio*, 1681.
Sextus Aur. Victor ab *Anna Tanaqvilli Fabri Filia*, 1681.
Aulus Gellius a *Jacobo Prouſtio*, 1681.

Horum præstantissimorum Virorum & doctissimæ Virginis exemplo, ad eandem formam TITI LIVII Patavini, Romanæ Historiæ Scriptorum principis, superstites Historiarum libros adornandos edendosqve, auctoritate Illustrissimi Montauserii Ducis, sibi sumsit *Johannes Doujatius* Antecessor Parisiensis & Professor Regius. Qvi cum Serenissimo Delphino septenni literis erudiendo per sesqviannum antea dedisset operam, ab Illustrissimo Præside Octavio Perignio, primo ipsius studiorum adjutore, qvem tanto muneri mors immatura subtraxerat, evocatus; ejusdem Celsissimi Principis studiis porro prodesse

hac qvoqve in parte, & ipsius usibus Livium auctorem eximium, cujus unius ingenium Populus Romanus par suo imperio habuit, accommodare officii sui putavit. A Romulo igitur usqve ad annum imperantis Augusti alterum & vigesimum, per annos ferme septingentos qvadraginta qvatuor, *centum & qvadraginta libris* deductum Opus aggressus est *Interpretatione*, si qvando verba occurrerent (qvod raro tamen accidit) obscuriora; & *Notis*, ubi res parum obviæ traderentur, illustrare. Nec temperare sibi potuit, qvin aliorum Interpretum exemplo alicubi etiam extra indictas necessariæ explicationis lineas excurreret; dum aut varias lectiones composuit atqve expendit, aut Geographicis scrutandis est immoratus diutius, aut accuratius tractandis firmandisqve rebus dubiis inhæsit nonnunqvam. *Effigies* etiam Virorum maxime illustrium, qvorum Livius gesta describit, e nummis aliisqve eruditæ vetustatis monumentis, qvoad licuit, suis ubiqve locis insertas, vel Volumini subjectas, exhibuit. *Fastos* magistratuum cuivis Decadi subjecit, annos etiam & magistratus summo in margine cujusvis paginæ allevit; in eorum ineunda ratione Carolum Sigonium secutus: qvi ad Marmorum seriem, qvæ in Capitolio posita a Verrio Flacco fuerant, Fastos suos digesserat, eorumqve lacunas, qvas temporum invexisset injuria, suppleverat, singulorum annorum gesta accurato ubivis studio adjiciens: qvem postea secutus est Stephanus Vinandus Pighius, magistratuum omnium seriem, qva fieri potuit, tribus Voluminibus anno 1599 editis complexus. Ad ipsum constituendum *Textum* usus est Codice vetustissimo Claudii Puteani, (qvem Gronovius jam antea evolverat) copiam ipsius e Regia bibliotheca faciente Præfecto clarissimo Petro Carcavio: alios etiam veteres Codices subministrantibus Illustrissimo Joh. Jacobo Memmio e sua, & doctissimo Stephano Baluzio e Colbertina Bibliotheca.

Cum vero longe maxima pars hujus tam ingentis tamqve egregii Liviani Operis, ingenti rei literariæ jactura, deperdita sit, vixqve exigua ejus portio, & ex *qvatuordecim* Decadibus (in qvas fastidiosam legentium ignaviam Livii centum & qvadraginta libros dispescuisse verosimile est) *tres* saltem & *dimidia* restent: huic damno aliqva ratione mederi studuit Editor. Sane qvidem qvæ desiderantur centum & qvinqve volumina an alicubi adhuc lateant, an prorsus interierint,

ierint, nemo facile dixerit; periisse tamen ea longe videtur verosimilius. Erasmus in epistola, Simonis Grynæi Livianæ editioni præfixa, ad Carolum Montioium, (qvæ est in Volumine Epistolarum Erasmi Lib. XXVIII. epist. XV. edit. Londin. f. 1685, 1686) qvinqve priorum Decadis qvintæ librorum, anno 1531 e Monasterii Laurissenι, vulgo Lorsensis, (Lorsheim) Bibliotheca erutorum occasione, non optat modo sed pene auguratur, fore ut hic Auctor totus & integer nobis aliqvando restituatur: *Qvanto plausu*, ait, *excipi par est tantum Liviana historiæ accessionem? Atqve utinam faxit Deus Opt. Max. ut hic autor totus & integer nobis restituatur. Ejus rei spem nonnullam præbent rumores per ora qvorundam volitantes: dum hic apud Danos, ille apud Polonos, alius apud Germanos, haberi Liviana qvædam nondum edita jactitat. Certe posteaqvam hasce reliqvias præter omnium spem objecit fortuna, non video cur desperemus & plura posse contingere. Atqve hic, mea qvidem sententia, principes viri rem se dignam facerent, si præmiis propositis eruditos ad perveſtigandum tantum thesaurum sollicitarent, aut etiam ad editionem perpellerent: si qvi forte sunt, qvi rem publicæ utilitati paratam, gravi studiorum jactura premunt abduntqve. Vehementer enim absurdum videtur, homines ut parum auri argentive inveniant, tantis impendiis tantisqve periculis, ad ipsos pene inferos terræ viscera perfodere: & hujusmodi thesauros tanto illis pretiosiores, qvanto corpore præstantior est animus, prorsus negligere, nec ulla vestigatione dignos judicare. Midarum hic animus est, non Principum.* Et vero anno seculi hujus decimo qvinto Bambergæ, Hectore Cotzavio Imperialis Ecclesiæ Decano Bibliothecam publicam recognoscente ac transferente, inventa est a Johanne Horrione Societatis Jesu Theologo prior pars libri XXXIII antea desiderata; qvæ Venetiis primum cum Antonii Qværengii notulis, ac deinde Paderbornæ multo correctior anno 1617 prodiit. Præterea membranam palmulæ, qva pila luditur, a sphæristerii magistro injunctam, deperditorum qvippiam Livii continentem, se vidisse Doujatio narravit Johannes Capellanus, Vir celeberrimus. In Regis etiam Hispaniarum Scorialensi bibliotheca nondum in vulgus editos qvosdam Livii libros haberi vulgo fertur. Constantinopoli vero in Turcarum Imperatoris regia integrum Livium extare, ex Imperatorum Græcorum bibliothecis, qvas instructissimas fuisse nemo ignorat, superstitem,

tem, jam olim Petrus Vallius (Pietro della Valle) Epiſtolarum exotericarum Partis primæ ſeptima narravit: adjiciens, eum Codicem qvinqve millibus ducatonis Magnum Hetruriæ Ducem aliqvando redimere voluiſſe; Galliarum etiam Regis Legatum Sanſium, e gente Harlæa, decem millibus eundem animoſe licitum eſſe, ac citra dubium grandi hac æris ſumma iſtum obtinuiſſe a bibliothecæ in palatio Imperatoris Turcici cuſtode, ſi is invenire Codicem iſtum potuiſſet, qvem disjectum ferebat, cum exhiberi ſibi eundem Legatus cuperet. Qvo ipſo tamen vanitas narrationis hujus manifeſta & fides ſubleſta redditur. * Ut adeò qvæ nuper modo percrebuit fama de Livio integro, a Baſſa qvodam Regi Galliæ pro immenſa vi auri qvam poſtulaverat oblato, eodem loco habenda ſit: nec magis e Græcia ab Oriente is ſperandus ſit, qvam a Septentrione ex inſulis Hebridibus & Orchadibus; qvarum in una, *Hiona* dicta, a Ferguſio Scotorum regulo, Alarici Gothorum Regis comite, cum Roma diriperetur, inde avectas & eo perlatas reliqvas Titi Livii Decades ſupereſſe, Paulo Jovio in Deſcriptione iſtarum Inſularum p. 77 non omnino vanum & irritum fuit viſum; qvi *certa iſtarum Decadum e tenebris erutarum exempla ad Franciſcum Galliæ Regem a Scotis transmiſſa* relatum ſe accepiſſe ibidem commemorat. Neqve ad Franciſcum olim, neqve hodie ad Ludovicum qvicqvam eorum perveniſſe, nova hæc Doujatii editio monſtrat: qvi grandes qvas ætatis injuria hominumqve incuria Livio invexere lacunas, nulla repertorum modo Codicum ope, a qvibus deſtitutus erat, ſed *Freinshemii* ſolius ingenii felicitate & doctrinæ copia, qva is, qvicqvid Livio perierat, in multis aliis veterum Hiſtoricorum libris varie diſperſum eruerat, collegerat & contexuerat, explendas putavit. Nam qvæ doctiſſimus Vir Holmiæ anno 1649 minori forma ediderat Livianæ *Decadis ſecundæ ſupplementa*, Sereniſſimæ Sveciæ Reginæ nuncupata; in cujus Academia Upſalienſi Eloqventiæ & Politices Profeſſorium munus tum gerebat, ab eadem poſtea Holmiam ad Bibliothecarii & Hiſtoriographi functionem evocatus; reliqvarum item, *qvintæ* dimidiatæ, *ſextæ*, *ſeptimæ*, *octavæ*, *nonæ*, & prioris partis *decimæ* Decadum ſupplementa Argentorati anno 1654, & iterum 1662 excuſa, ita recudi curavit Doujatius, ut ſecundam Decadem a Freinshemio ſcriptam primæ Livianæ in *primo* novæ hujus editionis Tomo ſubjecerit: qvinqve vero, qvas diximus, reliqvas Decadas

cadas Freinshemii studio elaboratas, & jam antea editas, eum in locum, ubi Liviana deperdita sunt, repositurit, & *quarto* Tomo includerit; iis, quæ nondum editæ extabant, ex Freinshemiana hæreditate redemtis, dimidiatæ *decimæ* & integrarum *undecimæ, duodecimæ, decimæ tertiæ, & decimæ quartæ* Decadum supplementis in *quintum* Tomum dispositis & nunc primum evulgatis: adjectis margini sectionem in capita notantibus numeris, argumentorum item summariis, & indicatis Auctorum locis, ex quibus, quæ narrat, depromsit Freinshemius. Ut adeo centum & quinque Livii libros deperditos Freinshemio supplet os debeamus; Doujatio autem acceptum ferendum sit, quod postremi eorum quadraginta & quinque, qui ab annis bene multis in obscuro delituerant, nunc eruditorum manibus volvantur. Ipsius etiam industriæ lacunas *sub initium libri XLI* ejusque *sub finem capitum 18, 19, & 20; libri XLIII post caput 3, & in fine libri; libri XLIV sub finem capitum 30, 32, 34, 35, 40, & extremo eodem libro; libri XLV sub finem capitis 14, 21, & 39*, adhuc extantes, quas Freinshemius supplere neglexerat, ipse autem Tomo III, p. 731. seqq. restitutas exhibet, expletas debemus: ejusque beneficio integritatem Livio redditam, & in unum corpus redactum hunc totum Scriptorem literario Orbi gratulamur.

HISTOIRE DU REGNE DE MAHOMET II Empereur des Turcs par le Sieur Guillet;

sive

Historia Regni Mahometis II Turcorum Imperatoris, G. Guilleti: Tomi duo, Parisiis, 1681. in 12.

De rebus Turcorum optandum esset, ut Turci scriberent: non tam ad explendam curiositatem nostram, quam ut aliqua ferocissimæ gentis ad literas propensio, mitigandorum morum spem faceret. Hæc enim ex cultura ingeniorum concipi potest, quod exemplis aliarum nationum apparet, quæ feritatem non prius mutarunt, quam studiis humanioribus emollirentur. Sed manet Turcis antiqua barbaries, ut spreta literatura, unice armis, & premendis duræ servitute populis incumbant. Inde est quod nullam memoriæ ad posteros, aut exteros, per literarum monumenta propagandæ, curam ha-

habeat gens cæteroqvin ſuperbiſſima; ſive factorum conſcia, & præſentibus contenta, ſive hanc operam nobis, ut otioſis, relinqvens, ut ipſi prædicatores acceptorum damnorum ſimus, ſcribamusqve non modo de victoriis illorum, ſed & de noſtris vitiis & erroribus, qvibus non minus aucta eſt res Turcica, qvam ſua virtute. Juſtus ergo vindex Deus, per annos fere mille, truculentos iſtos hoſtes continuis ſucceſſibus in populum Chriſtianum, religionis nomen jactantem, vim deferentem, armavit & fovit, & nunc qvoqve ad fines noſtros minitantes & inſultantes perduxit, ut metuendum ſit, eadem nos paſſuros eſſe, qvi eadem cum majoribus noſtris peccamus. Certe comparato cum noſtris temporibus, illo Chriſtianorum ſtatu qvi fuit ante annos hos ducentos, aut paulo plures, ovum ovo vix ſimilius reperiemus. Conſtabit id ex Auctore hoc Gallo, qvi tempeſtive ad interrumpendum lethargum noſtrum, ex ſcriptoribus illius ætatis hiſtoriam *Mahometis ſecundi* compoſuit, duobusq; non magnis tomis complexus eſt: ſtylo, qvantum de lingva peregrina judicare valemus, eleganti, commodo ordine, ſententiis opportunis. Diviſit opuſculum in libros VII. Incipit ab ortu Mahometis hujus, qvi incidit in Annum Chr. 1430, finit Anno 1481, qvo flagellum hoc Aſiæ atqve Europæ, in medio rapinarum curſu, fato ſuo ſuccubuit: Eo qvidem ipſo tempore, cum occupata per ſuos Hydrunte Calabriæ urbe, Italiæ excidium intentaret, tanto tunc terrore repletæ, ut Pontifex Romanus alteram ſedis translationem in Avenionem meditaretur. Infremuit autem moriens Tyrannus, cripi ſe deſtinatis, idqve inſinſcriptione ſepulchri teſtatum relinqvere voluit, tacitis omnibus, qvæ per annos triginta, felici ſcelere, perpetraverat, hoc tantum qveſtus: *Conſtitueram Rhodum expugnare, & ſuperbam Italiam.* Nihil illi erat, *duo Imperia*, Cæſarei nominis axiomate decorata, *Regna duodecim*, *Urbes* alicujus nominis *ducentas*, interqve eas *Conſtantinopolin* & *Trapezuntem*, coercuiſſe aut ſubjugaſſe. Sed hæc facili negotio, & jucunda lectione peti poſſunt ex ipſo auctore, qvi non facundiæ tantum, ſed & eruditionis non vulgaris, & peritiæ militaris ſpecimina dedit. In additionibus vero Tomo ſecundo adjectis, Lectoribus ad intelligendas phraſes de re bellica & nautica, commendat tractatum ſuum: *De artibus viri militaris, aut Dictionarium Equeſtre. Des Arts de L'homme d'Epee, ou du dictionnaire du Gentilhomme.*

HISTOIRE

HISTOIRE DU CALVINISME PAR MONsieur Maimbourg:

sive

Historia Calvinismi Ludovici Maimburgii,

Parisiis, 1682. in 12.

PRimus est hic liber, qvem Auctor edidit, postqvam titulum *Societatis Jesu*, qvo usus in aliis scriptis suis fuerat, deposuit: unde nata ipsi Præfationis ad Lectorem occasio, qva & libros qvosdam suos Pontificia censura notatos, & seipsum jussu *Innocentii* XI, ex Societate (cujus membrum per 55 annos fuerit) ejectum commemorat. Qveritur autem, qvod non potuerit, sæpe licet obsecrans, eam impetrare gratiam (qvæ tamen ne *Luthero* qvidem denegata fuerit) ut sibi indicaretur, qvid peccasset. Applicat sibi inde dictum Apostoli: *Nihil mihi conscius sum.* Examinasse se ait Conciones, qvas per annos fere triginta, *Lutetiæ* præsertim habuerit, & qvæ, postqvam a concionando desiisset, per annos decem aut duodecim scripserit. Provocat ad Sermones, ad Epistolas, ad Tractatus breves de controversiis, & ad Libros Historicos, omnia typis vulgata, qvod semper locutus sit, & scripserit ad normam Ecclesiæ Romanæ & legum Regni inviolabilium, qvodqve auctoritatem *S. Sedis* & *Pontificis* extulerit, qvantum per *Evangelium*, *Concilia*, & *Patres* licuerit: vixisse etiam se honeste & moribus inculpatis. Subjungit tamen ex eodem Apostolo: *Sed non in hoc justificatus sum.* Esse nempe Sanctissimo Patri majus & penetrantius lumen, etiam qvando non pronunciat ex Cathedra, qvam sibi. Potuisse illum perspicere, qvæ Auctor non viderit, & qvoniam ita placeret Pontifici, velle se reum esse, etiamsi nesciat causam, & credere, qvod in præsens expediat, impositam pœnam a se subiri. Regem qvidem pro justitia & bonitate perpetua patrocinium sibi præstitisse, qvia non fuisset indicatum (ut promissum fuerit) qvid peccasset, ideoqve impedivisse Decreti executionem ultra annum, ita ut in ordine Jesuitico ut antea remanserit. Constituisse se vero tandem, obedire plenissime Pontifici, & paci seipsum sacrificare, ut Jesuitas gravi molestia liberaret, seqve in qvietem assereret. Venia itaqve ipsius

Regis paruisse se Decreto Præpositi generalis Jesuitarum hac formula concepto: *Obsequentes Jussui & mandato S. S. D. N. Innocentii XI, Patrem Ludovicum Maimburgium ex Societate nostra dimittimus & pro dimisso ab omnibus habendum esse declaramus.* Cum igitur jam jussu Pontificis & permissione Regis Jesuita amplius non sit, futurum se profitetur, qvem esse Rex velit, eique majori qvam unqvam zelo & libertate servitutum. In dedicatione vero ad Regem, omissis Panegyricis, qvibus alii invictam vim armorum & prolatos justo titulo, ut ait, ad Rhenum usqve Regni terminos, concessamqve Europæ, incomparabili moderatione successuum, pacem, splendide & facunde prosecuti sint; majus aliqvid & immortalitate dignius ad gloriam Regis præstiturum se esse existimat: *Calvinismum* nempe describendo, id est, omnium qvos Gallia unqvam habuerit, hostium sæviissimum & terribilissimum, qvi olim furiis & impietate *Protestantium* extrema bellorum civilium mala patriæ intulerit. Hunc vero jam inermem, dejectum, humilem ad pedes Regis jacere, imo ad nihilum fere redactum & agonizantem deprehendi. Qvod qvomodo Rex obtinuerit, non hic tantum, sed in fine libri pluribus exeqvitur. Debere autem plurimum Ecclesiam Gallicanam & Clerum Franciæ, alio etiam nomine, incomparabili pietati Regis, qvi precibus illius in negotio *Regalium* plus, qvam olim ipse *Ludovicus Sanctus* indulserit, utut hic ingenti zelo Ecclesiæ commodis faviisset, & ejus jura & libertatem masculè defendisset.

Opus ipsum libros sex complectitur, qvorum *primi* Exordium memorabile est. Scribit enim Auctor, se post editam *Lutheranismi* historiam (de qva cum tempus Actorum nostrorum præcurrat, hic nihil annotamus) demonstraturum esse, qvemadmodum hæresis illa funesta fœcunditate aliam perniciosiorem produxerit, qvæ anteqvam armis, ut hodie, exueretur, plus mali *Galliæ*, qvam illa, utut furiosa, *Germaniæ* intulerit. Omnem enim rabiem, qvam rebellio, perfidia, avaritia, impietas, crudelitas, desperatio, aliqve affectus turbulentissimi & fæviissimi, sceleratissimis priorum seculorum hominibus inspiraverint, tempore avorum & patrum per Calviniismum eo fine fuisse exercitam, ut ferro & igne in ruinis religionis & Politiæ stabiliretur. Monumenta igitur superba hæreseos hujus in historia esse, *qvatuor* magna & ordinata prælia, *ducentos aut trecentos* conflictus cruentissimos,

mos, plerasqve ex pulcherrimis urbibus captas, direptas, everſas: diruta templa; ſtatuas Sanctorum capitibus truncatas; ſepulchra Regum violata; exteras copias in Regnum invectas; Reipublicæ ſpeciem in Monarchia extructam, & plus qvam *decies centena Gallorum millia*, incognita cauſa, variis & horrendis tormentis enecata. Ex qva Auctoris propoſitione (qvam inſtituti memores referimus, non examinamus) de ſeqventibus totoqve libri ſtylo judicium fieri poteſt. Habetur autem libro hoc primo narratio rerum ab anno 1520 usqve ad annum 1543 geſtarum, primaqve Calviniſmi tum in Helvetia, tum in Francia, regnante Franciſco I, origo recenſetur. Ubi ut alia taceamus, cum *Johannis Calvini Noviodunenſis* vitam Auctor deſcribit, *Luthero* doctrina inferiorem eum fuiſſe aſſerit, ſtylo elegantiorem. Dogmata prope omnia, præterqvam de S. Euchariſtia, ex Luthero hauſiſſe. Utrumqve multum debere *Waldo*, *Wiclefo*, *Huſſo*. Peccaſſe Calvinum gravius & imprudentius in eo, qvod religioni *omnem ornatum, ſuccum, & unctionem*, ut loqvitur, detraxerit, & eam in ſceleti formam redegerit; rejectis omnibus, qvæ per ſenſus recepta, mentem hominum a viſibilibus ad Deum inviſibilem elevare poſſunt; Idqve jam ipſos Calvinianos factum nolle.

Librum II ab Hiſtoria executionis truculentæ adverſus Merindolienſes, Valdenſium reliqvias, anno 1545 peractæ, & ab aliis, etiam Catholicis ejus temporis Scriptoribus improbatæ, (qva ſatente Auctore, 3000 hominum omnis ſexus & ætatis ferro, igne & tormentis enecata fuerunt, ſexcenti validiores in nexum ad remigia triremium dati: exuſtis 900 domibus) auſpicatur, culpam in miſeros fere totam, aut aliqva ex parte in militum licentiam transferens, executores vero excuſans, eoqve a Thuano & Duplexio, qvibus dicam ſcribit, diſſentiens. Pertexit poſtea hiſtoriam increſcentis ſub *Henrico* II & *Franciſco* II Calviniſmi, ad annum usqve 1560; qvo *Catharina Mediceæ* Regis mater ad Regni gubernacula admota eſt, recenſetqve qva ratione, cum Regina *Navarro* & *Condæo* Regii ſanguinis Principibus Calviniſmum profeſſis, & *Colinii* fratribus, potentibus ejus ſectæ viris indulgeret nimium, majus robur malum hoc acceperit.

Lib. III facta ad res Scoticas digreſſione, qvomodo natus in illo Regno Calviniſmus fuerit, commemorat; ubi cum ad miſcrandum

Mariæ Stuartæ Scotiæ Reginæ, qvam mire extollit, obitum Hiſtoriam deduxiſſet, ex nuper edito libro rerum Belgicarum *Auberii Maurerii* repetit, Gallicos Legatos, qvi pro liberanda Maria apud Eliſabetham publice interceſſerint, clandeſtinis ſuggeſtionibus mortem ejus ſvaſiſſe. Inde in Galliam regreſſus pergit exponere, qvomodo Regina a *Condæo* & *Colinio*, *Admiralio* ſeu Maris Præfecto, etiam ipſo *Anna Momorantio* (qvem *Conneſtabilem* vocant) Catholico licet, inducta, cum *Antonio Navarræ Rege* Gubernationem Regni partita fuerit, tanta cum Hugonotorum elatione, ut in arce ipſa regia Fontis bellaqvea concionesſuas habuerint; Montlucio etiam, Epiſcopo, hæreſin prædicante. Porro de Triumvirali fœdere inter Ducem Guiſium, Annam Mommorantium, & Jacobum Santandreanum Mareſchallum inito, ac Hugonotis oppoſito: de Edicto menſe Julio anno 1561 ex ſententia Parlamenti contra Hugonotas promulgato, ſed conniventia Magiſtratuum, & Cancellarii inprimis Hoſpitalii eluſo: de Colloqvio Poiſſiacenſi Reginæ auſpiciis inſtituto, ſed re infecta abrupto, non ſine invectivis in Theodorum Bezam, uberius diſſerit; libroqve finito additamentum annectit, pag. 263, ubi de rebus Scoticis & Anglicis egerat, inſerendum; conciliationem *Eccleſiæ Anglicanæ* cum *Romana*, tum ex argumentis aliis, tum ex declaratione ſeu profeſſione fidei, a *Ducis Eboracenſis* uxore primi matrimonii, paulo ante mortem anno 1670 edita, qvam Gallico ſermone exhibet, ominatus.

Libro IV exhibet geſta ab anno 1562 ad 1564; cumqve de novo Edicto d. 17 Jan. anno 1562 in Hugonotarum gratiam condito; Navarri Regis ad Catholicos tranſitu; Reginæ in alendis factionibus ſubdolo ſtudio diſſeruiſſet: ſenſim ad civilium Galliæ bellorum Hiſtoriam, qvorum culpam omnem in novum Proteſtantium Evangelium conjicit, progreſſus, occupatum a Condæo Hugonotarum ductore Aurelium; Rothomagum, in cujus obſidio Rex Navarræ ex vulnere obiit, a Catholicis obſeſſum, captum & crudeliter direptum; pugnam Drocenſem; obſidionem Aurelii, in qva Dux Guiſius a ſicario, qvem ab Admiralio Colinio immiſſum ſtatuit Auctor, trucidatus occubuit; primamqve pacem Edicto Martii anno 1563 compoſitam, ſed a Pontifice Romano ſumme improbatam enarrat; ac ſub libri calcem Calvini, anno 1564 extincti, elogia vituperiaqve fuſius proſeqvitur.

Libro V novorum motuum occaſiones, & eventum ad annum

usqve

uſqve 1569 exponit, & qvomodo Regina Hugonotis olim addicta, ad Catholicorum partes palam nunc tranſierit, ac habitis cum Legato Pontificio in urbe Avenionenſi, & Bajonæ poſtea cum Duce Albano colloqviis, Hugonotas in ſuſpicionem conſpirationis adverſus ſe initæ adduxerit, recenſet; ad Belgicorum etiam motuum Hiſtoriam digreſſus. Inde tentatam a Condæo Metim: irritos judicioqve Auctoris impios Condæi & Colinii de Rege cum tota familia intercipienda ad Meldas conatus: circumſeſſam a Condæo Lutetiam, præliumqve ad ſuburbia, qvo Conſtabilis Mommorantius cecidit, victoria tamen penes Catholicos fuit, commiſſum: ſuppetias Condæo ex Germania a Friderico III Electore Palatino ſubmiſſas: collectum contra pro Rege a Johanne Guilhelmo Saxone (qvem male filium Auguſti Saxoniæ Ducis vocat, cum filius fuerit Johannis Friderici Electoratu a Carolo V exuti, Sereniſſimæ Familiæ Vinarienſis progenitor) eqvitatum: pacem inde anno 1568, metuente Rege, ne exercitus a Joh. Guilhelmo Saxone adductus ad Hugonotas tranſiret, cum Hugonotis initam, ſed eodem anno, qvod Rupella præſidium Regium admittere Condæi & Colinii patrocinio ſubnixa abnueret, abruptam: prælium deniqve anno 1569 ad Carnacum commiſſum, qvo Princeps Condæus, cum captivum ſe jam dedidiſſet, non excuſando facinore occiſus eſt, uberius enarrat.

Libro VI refertur inſtauratio belli, duce Colinio, poſt mortem Condæi facta, adjuto iterum copiis Germanorum a Friderico Palatino ſubmiſſis: Obſidio *Pictavi* fruſtra ab eo tentata: Clades deinde Proteſtantium ingens ad *Montconturium*, menſe Octobri anno 1569 ſecuta; qva non obſtante, Regina mater pacem cum illis denuo iniit menſe Auguſto anno 1570, nec minus illis, ut Auctor tradit, indulſit, qvam ſi victores fuiſſent. Non enim tantum libertas exercitii religionis extenſa eſt ad plura loca, ſed & urbes munitæ qvatuor, inter qvas *Rupella*, pro ſecuritate traditæ. Fatetur tamen Scriptor, non bona fide verſatam eſſe in hoc negotio Reginam, ſed id egiſſe, ut Proteſtantes aut eorum proceres per inſidias opprimeret, idqve anno 1572 in famoſa illa *Pariſienſi laniena* effectui dediſſe, inſtigato Rege filio, adverſus Colinium inprimis, ſed ita, ut crudelis impetus de perdendis ſimul omnibus, qvem efferata mente Rex conceperat, impediri poſtea non poſſet. Culpat igitur hanc ſævitiam, & concedit,

cædem nocentium & innocentium promiſcue toto fere Regno expreſſo Regis juſſu perpetratam, excuſari non poſſe. Commemorat etiam mortem *Johannæ Navarreæ*, Reginæ, qvæ ad funeſtas illas filii Henrici, poſtea Galliæ Regis, hoc nomine Qvarti, nuptias, Lutetiam venerat. Accidit autem illa ante lanienam, menſe Junio, non ſine ſuſpicione veneni, qvam tamen Auctor, qvantum poteſt, diluit: Nec laudibus ſummarum virtutum hanc Reginam fraudat, impacta tamen hæreſeos nota, qvam fervente zelo & cum crudeli Catholicorum perſecutione profeſſa eſſet; cæterum fere ſola iis moribus, ut *bona Calviniana* dici potuerit; cum reliqvi, excepto Colinio, qvi eſſent, aut qvid crederent, ignari, nullam religionis aut pietatis curam haberent. Qvem eundem animum in Aula regia corruptiſſima, etiam Catholicis, nec aliam inter utrosqve differentiam fuiſſe ſcribit, qvam qvod hi Miſſas, illi conciones freqventarent. Recenſet poſtea & ſumma laude extollit factum Epiſcopi *Lexovienſis (Liſieux) Johannis Hennuyeri*, qvi cædem Proteſtantium, Præfecto regio mandatam, auctoritate & facundia ſua impedierit, eo cum ſucceſſu, ut hoc beneficio permoti hæretici illius loci, omnes ad Catholicam religionem ſponte redierint. Sed cum poſt annum 1572 multa ad noſtra tempora narranda ſupereſſent, & de Calviniſmo, i. e. doctrina ipſa parum, de Eccleſiarum illarum conſtitutione, & ritibus nihil plane, qvod Lectores expectare potuiſſent, dictum eſſet; hic tamen ſubſiſtendum & reſpirandum ſibi eſſe ſtatuit Auctor, ſcopum ſuum uti videtur aſſecutus, qvem ex *epilogo* operis, dedicationi & exordio reſpondente, non difficile eſt clarius intelligere.

Occaſione enim ab Epiſcopi hujus facto ſumta, Axioma & regulam extruit, *Etſi hæreticos ſummo jure fas ſit ſupplicio afficere, idqve Calvinus exemplo Michaelis Serveti, Genevæ capite plexi, ipſe probaverit, nihil tamen effici iſto rigore.* Demonſtrat hoc ſecutorum temporum, poſt lanienam Pariſienſem, hiſtoria breviter relata. Proteſtantes nempe adeo irritatos fuiſſe, ut pacificationi nulli fiderent, ſed urbes Regni munitiſſimas occuparent, ſummaqve cum pertinacia defenderent. Poſt Caroli IX mortem ſub *Henrico* III, qvoniam alia remedia non viderentur ſupereſſe, *Ligam* illam ſive unionem, ſub prætextu religionis, ſed alio longe fine initam fuiſſe, cum ſummo rei Catholicæ detrimento: odioſam etiam exteris, Regiqve demum ipſi, qvi ejus

faſti-

fastidio compulsus fuerit, ut Protestantium auxilia imploraret, exitiosam. Semper deinde victos fuisse Catholicos, auctam vero Protestantium securitatem & potentiam, donec ab Henrico IV serio licet ad Catholicam fidem conversо, Nannetense edictum anno 1598 impetrarent. Rebellasse quidem postea, ex ingenio hæreseos, & a Ludovico XIII post expugnatam præsertim Rupellam, armis exutos, in eum recidisse statum, in quo non aliis quam sibi nocere possent; manssisse tamen errores altis radicibus nixos; Atque sic constare, debilitari hæreticos posse, sed non hæresin, cujus vis subrui non nisi animarum conversione possit. Hanc igitur gloriam a Deo reservatam esse scribit *Ludovico Magno*, qui efficacioribus mediis, quam quæ per integrum seculum in Gallia adhibita fuerint, ita depresserit hanc sectam, ut jam debilis & langvens, manifeste ad finem suum tendat. Tenuisse Regem medium inter rigorem & indulgentiam, egregicque temperasse justitiam & clementiam. Destruxisse primum templa, contra edicta ædificata. Prohibuisse cœtus in locis, quæ edictis non fuerint permissa. Abstulisse malis Catholicis libertatem transeundi ad Protestantes; his vero semel conversis, reditum ad pristinos errores. Obstetrices non nisi Catholicas ideo tolerare, ut infantes baptismo in casu necessitatis illarum ministerio servari possint, cum id negent suæ sectæ mulieribus Calviniani. Frustra hæc & injuste pro persecutionibus haberi. Neqve enim dirui alia templa, qvam qvæ contra edicta fuerint extructa; sublata qvidem esse tribunalia partita inter Protestantes & Catholicos, sed ob abusum. Nullis edictis permissum Catholicis, ut Calvinismum profiterentur, sed Hugonotis tantum eum jam professis concessam religionis libertatem. Et Edicta ipsa urgente necessitate temporum & ob certas causas condita fuisse, qvibus cessantibus ipsa qvoqve expirent, & valere debere Hospitalii Cancellarii dictum, qvo Edicta illius temporis, Protestantium gratia condita, defendebat; *Edicta nempe sive Leges temporibus accommodari debere, non tempora legibus.* Dein etiam contraventionibus plurimis meruisse Protestantes, concessionibus omnibus privari, sed Regem adeo benignum esse, ut etsi devictis omnibus, qvi contra summam ejus potentiam conjuraverant adversariis, non injungat tamen Protestantibus subditis suis, qvod Principes ejus sectæ, Rege in omnibus longe inferiores, Catholicis in sua ditione faciunt, nempe ut exercitio

publico careant, qvod Rex omni jure, per modum retorsionis facere possit. Qvod si regeratur, tutius concedi libertatem religionis Protestantibus, qvia non credunt, Pontifici jus esse Reges ob hæresin deponendi, id qvod tamen Catholici doceant; respondet: Calvinianos in Reges Galliæ non semel conspirasse, ut constet exemplo conjurationis Amboisianæ, & qvæ ad Meldorum oppidum tentata sint, itemqve ex pactis inter Hugonotos & regni hostes pro tollenda Monarchia & erigenda Republ. initis. Deinde non credi in Gallia, Pontifici jus esse in Reges animadvertendi, aut subditos juramento fidelitatis absolvendi: Reges enim Galliæ protestari contra hæc asserta, ut probasse se dicit exemplo Caroli IX, apud Pium IV pro Regina Navarrea, ut libro IV dixerat, hæretica licet, qvam ille excommunicatam ditione insuper exuere nitebatur, protestatione solenni intervenientis. Itaqve Regis gratia fieri, qvod Protestantes in locis assignatis religionis & disciplinæ suæ usum retineant, qvamqvam per edicta amplius non obligetur, cessante ratione & tempore. Agere igitur Regem justo qvidem zelo, sed spiritu amoris, ut leniter ad religionem revocentur, qvam majores eorum infeliciter deseruerint. Animari autem Regis industria Episcopos, ut probos & doctissimos Missionarios etiam in abditas Alpium valles ablegent; erogare insignes pecuniæ summas in conversos pauperes: legibus etiam conversionem promovere; cumulare respicientes gratia & beneficiis, sed omnem spem ad dignitates & munera obstinatis auferre. Hinc tanto cum successu immensam multitudinem qvotidie hæresin abjurare: reliqvos etiam, speciosioris prætextus causa, jam ipsos desiderare, ut secundum doctrinam Evangelii, *compellantur intrare*. Longe itaqve plus præstitum esse statuit Regis lenitate & justitia, sine turbis & tumultu, qvam omnium prædecessorum armis aut suppliciorum rigore. Concludit tandem sperandum esse, Deum labores Regios in pace non minus prosperaturum, qvam in bello; futurumqve, ut incendium Calvinismi, qvod tantas Galliæ strages intulerit, & ex qvo vix fumus superst, brevi tempore prorsus extinguatur: Ut ita una lege sub una Monarchia Christianissimi Regis uniti, uno etiam vinculo fidei & veræ religionis connectantur. Hanc autem solummodo in Ecclesia Catholica Apostolica & Romana inveniri, in ovili Christi, sub pastore supremo, qvi Ecclesiæ caput sit visibile, utpote S. Petri successor & Jesu Christi vicarius.

RE-

REMARQVES SUR L' HISTOIRE DU Calviniſme, de Monſ. Maimbourg.

A la Haye, 1682.

ſive

Notæ ad Maimburgii Hiſtoriam Calviniſmi.

Hagæ Comitum, 1682. in 12.

Auctor nomen in titulo omiſſum, epiſtolæ nuncupatoriæ ad *Sereniſſimum Principem Arauſionenſem* ſubjunxit, *Rou.* Exorditur ab excuſatione, qvod ab amicis impulſus, non qvidem refutationem (hanc enim ab optimo qvodam inter Europæos ſcriptore ſuſceptam eſſe,) ſed notas margini libri Maimburgiani feſtinanter adſcriptas, in publicum emittat. Præmittit monita tria generalia. (1.) Jeſuitas nunqvam ſine certo ſcopo, inprimis vero ad commodum ſuæ Societatis, hiſtorias ſcribendas aggredi: itaqve Maimburgium Stradæ & aliorum exemplo, de *Arianiſmo* ſcripſiſſe, ut occaſionem haberet ſub Arianorum perſona *Janſeniſtas* exagitandi: de *Iconoclaſtis*, ut imaginum & reliqviarum cultum defenderet: De *decremento Imperii*, ut Regi applauderet, ob defenſionem libertatum Eccleſiæ Gallicanæ: De *Lutheraniſmo*, ut traduceret ſectam, qvæ in Germania non minus nocuerit rei Pontificiæ, qvam *Reformati* in Gallia. Itaqve hiſtoriam Calviniſmi non alia cauſa compoſitam, qvam ut Gallis Catholicis implacabile odium adverſus Reformatos inſpiraretur, qvod eos inſenſibiliter moveret, ad aliqvid audendum *laniena Pariſienſi* ſimile, cujus culpa Regi ejusve Conſilio imputari non poſſet, ſed in furorem populi rejici. Tales autem fines ab hiſtoria abeſſe debere, qvam liberam & affectibus purgatam eſſe deceat, ideoqve hanc fide non dignam, ſed ſuſpectam pronunciat. (2.) Hauſiſſe Auctorem mala fide, qvæ tradit, ex infectis fontibus, rariusqve & illubentius allegare *Thuanum*, *Mezerajum* aliosqve ſcriptores æſtimatos, qvam alios valde mediocris auctoritatis, tum apertos Proteſtantium hoſtes, malisqve moribus, qvam librorum laude, celebriores. (3.) Nimis eſſe præoccupatum, neqve ullam materiam ſine fervore tractare, qvod nemini placere poſſit, qvi æqvitatem & modeſtiam amet. Probari hoc ait *verbis Pag. I. lib. 1.* ita ut in ſcenam procedat flammas oculis, ore maledicta gerens, declamator,

clamator, non hiſtoricus; libellum accuſatorium, non hiſtoriam ſcribens. Sic ergo Proteſtantes plerumqve non aliis epithetis inſignire, qvam *ſceleratorum, extreme impudentium, peſtilentium, furiarum infernalium, beſtiarum &c.* Seitaqve neſcire, qva ratione liber hic, ut rumor ſit, in aula Regia & alibi tantopere placeat, cum non aliud ſit, qvam pura Satyra, & Rhapſodia ex tabernarum vilibus chartis concinnata, innumeris etiam Solœciſmis in Grammaticam lingvæ Gallicæ peccans, non varians cum judicio materias, non forma magni ingenii effectus exhibens, ſed ſtyli impetu & bile tumens, qvi nihil habeat delicati & placituri. Hoc modo progreſſus ſit ad annotationes, qvas, ut apparet, Auctor verbis Maimburgii adſcripſit, non multis tamen locis, ita ut qvaternionibus novem totus liber abſolvatur. Ex qvo qvædam ſubjungimus aliqvo reſpectu cæteris notabiliora, de qvibus tamen judicium merito ſuſpendimus.

Pag. 13. ubi Maimburgius ſtatuerat cogendos eſſe, qvi Eccleſiæ contraria docent, ad recantandos errores: dignum hoc dogma eſſe, ait, Jeſuita, idqve obſervari extorqvendo revocationes hoc ipſo tempore ab illis, qvos *relapſos* vocant, atqve ita tractatum putat fuiſſe *Theodorum Maimburgium*, Hiſtorici gentilem, qvibis Catholicus, nunc demum in Britanniam confugerit, ſecunda vice reformatam religionem cum ſecuritate profeſſurus.

Pag. 21 Lutherum Calvino ideo præferri a Maimburgio ait, qvia in Gallia verſatur; aliter facturo, ſi inter Lutheranos in Germania viveret, tunc enim inventurum, qvo Calviniſmum emolliret. *Pag. 27, 28* fateri videtur, ſe non eſſe Theologum, ideoqve declinat diſputationem de Euchariſtia. *Pag. 37 & ſeqq.* dum rejicit imputationem, qvaſi cantus Muſicus, qvo in Pſalmis Reformati utuntur, mollis ſit, & effœminatus, & contrarium demonſtrare aggreditur, vehementer taxat adverſarios, qvi hymnis ſacris melodias profanas ex trivio, tabernis & ſcenis deſumtas, ridicule & cum ſcandalo accommodaverint: Provocans ad *librum Canticorum* approbantibus Theologis, & cum privilegio Regis, a *Florentino Lamberto* impreſſum. *Pag. 44*, ubi Maimburgius Calvino abjudicat facultatem mittendi Doctores ſeu paſtores, laudat Auctor *defenſionem reformationis a Claudio* (celebri Reformatorum miniſtro) *editam*, qva contrarium ſit demonſtratum. *Pag. 51, & ſeqq.* magni viri illuſtrisqve & excellentis auctoris

elogio

elogio mactat *scriptorem anonymum* tractatus *Gallici*, cui titulus est: *Les derniers efforts de l' innocence affligée: Ultimi conatus afflictæ innocentiæ.*

Pag. 61 scribit convinci posse Jesuitas, qvod mortem Angliæ Regis Caroli procuraverint. *Pag. 65*, cum *Maimburgius* ex *Maurierio* retulisset, *Mariæ Stuartæ* necem clandestinis Gallici legati suggestionibus promotam fuisse, Auctor integrum *Maurierii* locum inserit, ex qvo Maimburgius causam istius supplicii allegare superfederit, continuas nempe *Mariæ* adversus *Elisabetham* molitiones.

Pag. 98 & seqq. defendit *Theodorum Bezam*, qvem Maimburgius ob Epigramma Latinum Juvenile, lasciviæ & fœdi criminis insimulat, & elogium Bezæ a Pasqvierio & Thuano Scriptoribus Catholicis datum opponit. *Pag. 118* acriter insurgit in stylum Maimburgii Gallicum, neq; plures paginas libri ejus, qvam errores esse ait, sive in dictione, sive in constructione & puritate; itaqve veram credi posse famam, qvod ob tales defectus, prædicationem in templis omiserit, & ineptiæ ejus deberi, qvod jam per annos decem, tot historias scripserit. *Pag. 194* ad Epilogum Maimburgii, in qvo Regis consilia de opprimenda hæresi extollit, regerit Auctor: Magnis virtutibus Regis summa deberi encomia, Protestantes tamen ideo non cæcutire in perspiciendis perniciosis consiliis eorum, qvi puritatem regiæ prudentiæ corrumpant, ejusqve gloriam apud exteros & posteritatem æterna inficiant macula. Hos crudeles Protestantium hostes, *nempe Jesuitas*, non minus ipsi Regi metuendos esse, neqve alia causa per tot annos ad eversionem Protestantium laborare, qvam ut Regem demum ipsum subvertant, cum aliter scopum suum, *universalis Monarchiæ*, obtinere neqveant. Jam qvidem Regi blandiri, qvod potentia ejus ad stabiliendam suam opus habeant, at qvando fornicem ædificii sui, ultimo cæmento inserto, concluserint, subducturos esse tigilla. Interim vereri eos, ne Rex pro sagacitate sua hæc eorum molimina deprehendat, & qvæ olim adversus Regum vitam attentaverint, ad animum revocet, jugumqve potentiæ Jesuiticæ, jam satis extensæ, excutiat. Protestantes vero solos esse, qvi obstacula progressibus illorum opponant, conspirationes perfidas ebuccinent, & tanqvam *Argi* multoculi secretas machinationes revelent, pro Rege vero fidelibusqve ejus ministris excubent: desiderare itaqve lupos, ut canes ab ovili removeantur. Deniqve

niqve nihil qvidem Rege æqvius & benignius esse, & injustissime ideo agere, qvi eum ad diversa contra naturam suam incitent: se tamen clementiam & justitiam nominare non posse, si homines non qvidem ferri, & tormentorum bellicorum vi & strepitu, attamen occultis & langvidis modis enecentur, neqve mitiorem mortem esse, si qvis fame, vel anni spacio langvens extingvatur, qvam si ferro intra horæ qvadrantem expediatur. Maimburgium qvidem dicere, destrui templa usurpata, sed cum omnia non sint usurpata, ille tamen speret, omnia destructum iri, fieri id jure non posse. Nulla etiam æqvitate libertatem conscientiæ & religionis subditis a principe adimi: qvid fieret Catholicis, si dominum Turcam haberent? Nihil durius esse, qvam qvod fœminis parturientibus Ægyptiaco more injungatur. Tribunalia, dimidia ex parte Protestantibus assignata, non alio fine sublata esse, qvam ut injustitia plenarie exerceatur. Tandem dignitates & munera denegari fidelibus, & offerri Apostatis; exemplo spiritus, qvi tentationes suas dolosa mundanæ gloriæ & opulentiæ promissione incrustat. Subnectit alia, ut ostendat vane jactari a Maimburgio, sibiqve ipsi contradicenti, cum scribit, magnam nihilominus libertatem Protestantibus relictam esse. Marillacorum atqve Pellissoniorum nomen, historiæ Regiæ parum olim honorificum futurum existimat Auctor, qvi distributis pecuniis ad religionem homines inducant; Apostolos enim auro & argento vacuos, mundum convertisse.

NOTÆ AC ANIMADVERSIONES IN CÆSARINI FURSTENERII Tractatum de Jure Suprematus ac Legationis Principum Germaniæ.

Coloniæ Allobrogum, 1682. in 8.

CUm ante annos aliqvot pax Noviomagi inter Cæsarem, Hispanos & Batavos aliosqve Confœderatos ex una; & Gallos Svecosqve ex altera parte, interveniente potissimum Magnæ Britanniæ Rege, cuderetur, in limine statim lis mota fuit a Gallo Lotharingiæ Duci de titulis & jure mittendi legatos primi ordinis, dum in literis

tis Salvi Conductus Miniſtros ipſius ad pacis negotium ituros, non Legatorum, ſed Deputatorum ſaltem nomine dignatus erat. Ægro hoc animo ferens Lotharingus, mox, Neoburgico & Luneburgo-Brunſvicenſibus Ducibus in partes tractis, effecit, ut ad interceſſiones Fœderati Belgii Ordinum, Galli tandem, ſe hac in re Imperatoris exemplum ſecuturos eſſe, reſponderint. Annuente igitur Cæſare, nec in dubium hoc Principum jus vocante, res omnis, invitis qvantumlibet Gallis, qvi Imperatorem cum Principibus hac in cauſa committi poſſe ſperaverant, ad mentem & ſententiam Principum fuit compoſita, manentibus tantum de ceremoniarum paritate litigiis. Hæc calamum excitavit perſonati cujusdam *Cæſarini Furſtenerii*, qvi in tractatu de Suprematu & Jure Legationis Principum Germaniæ 1678 edito totus in eo occupatur, ut ex fundamento competentis Germaniæ Principibus Suprematus, (qvem a Superioritate territoriali ita diſtinguit, ut hanc unice in ſummo cogendi ſeu coercendi jure conſiſtere, & tantum a ſimplici coercendi facultate differre dicat, qvantum in legibus Romanis vis publica a privata differt: illum vero ex amplo territorio & tali potentia, qva qvis exercitum extra fines ducere, & armis, fœderibus, legationibus ac cæteris Juris Gentium functionibus aliqvid momenti ad rerum Europæ generalium ſummam conferre poſſit, menſuret) non ſolum jus mittendi legatos charactere repræſentatitio veſtitos, ſed eorum qvoqve legatis ipſis easdem ceremonias, qvæ Electorum & Italiæ Principum Legatis exhiberi ſolent, *Excellentiæ* nempe *titulum, viſitationem noviſſime advenientis, & locum potiorem viſitantis apud viſitatum*, prolixe vindicet. Hujus igitur Furſtenerii tractatum κ' πόδα ſeqvitur Notarum Auctor, qvarum ſumma hæc eſt: (1) rejicit Suprematus vocabulum, tanqvam novum & ens merum rationis, p. 11, nec (2) admittit differentiam eſſentialem inter Superioritatem territorialem & Suprematum, cum per accidens ſaltem fiat, qvo minus aliquis ob regionis aut virium tenuitatem momentum non æqve magnum ad publica Gentium negotia poſſit adferre; imo eſſe perinde qvum, jus a vi & potentia metiri, p. 14 & 25. neqve (3) Suprematus vocem eo ſenſu, qvi Gallico *La Souveraineté* reſpondeat, Germaniæ Principibus tribui poſſe, cum hoc Superioritatem ab omni ſubjectione & fide homagii liberam involvat, Status autem & Germaniæ Principes ſinguli & reali & perſonali obligatione ſubjician-

tur Imperio, p. 18, 25, 48 & 56. Hinc passim concluditur, qvod, everso sic fundamento, corruant simul ipsi imposita, nempe Principibus Germaniæ vi Suprematus Legatos primi ordinis mittendi jus non esse, neqve adeo legatis ipsis easdem ceremonias, qvibus Electorum & Principum Italiæ Legatos excipere solent exteri, deberi p. 14, qvia hi non virtute Suprematus vel Superioritatis territorialis, sed usu & consensu Gentium possessione vel qvasi Juris mittendi legatos primariæ dignitatis gaudeant, qva cæteri Germaniæ Principes hactenus destituantur, p. 17, 19 & 26, neqve omnes ceremoniarum regulæ ex potestate mittendi legatos fluant, p. 80. Qvæ omnia fusius in his animadversionibus deducit Auctor, & cum ad rationes tum exempla a Furstenerio allata uberius respondet.

D. CHRISTIANI THOMASII LIPSIENSIS Annotationes Theorico-Practicæ in Celeberrimi JCti JOHANNIS STRAUCHII Dissertationes Justinianeas.

Francofurti & Lipsiæ, 1683. in 4.

QVid ad concinnandas has annotationes Auctorē compulerit, ipse in præfatione ad Lectorem eloqvitur, in qva concisam nimis Strauchianarum Dissertationum brevitatem & enatam inde thesium obscuritatem accusat. Has tenebras igitur ut accensa face dispelleret, brevibus breves addidit explicationes, eosqve, qvi Strauchii mentem dilucidiorem reddant, Auctores, pauciſſimis allegavit, nonnunqvam etiam in exponenda legum sententia tum ab ipso Strauchio, tum aliis qvoqve commentatoribus, qvin volutatis inter se rationibus, ab omnium fere Doctorum opinionibus, in qvibusdam secessum fecit. Qvibus observantias Judiciorum Saxonicorum varias a Strauchio omissas utili perqvam instituto adjunxit.

PHILIPPI ALBERTI Ortthens / *CONSILIARII Pfedelbaco-Hoenloici Tractatus Juridico-Politicus de Regali Conducendi Jure.*

Norimbergæ, 1682. in 8.

Qvemad-

QVemadmodum laude ſua neqvaqvam defraudandi ſunt illi, qvi cum aliis, tum præcipue Hiſtoriæ Germanicæ adminiculis probe ſuffulti, Jus Imperii noſtri Publicum univerſale ad ſtateram legum domeſticarum magis magisqve examinare ſatagunt: ita non parcius encomium merentur, qvotqvot ſpecialioribus ex eo materiis enixe illuſtrandis inſumunt operam. Hos inter etiam Auctor præſentis libri eſt, qvi qvum, ipſo ſe Judice, præter *Maulium, Ehrmannum,* & *Abaſverum Fritſchium,* huic ipſi doctrinæ pro ratione inſtituti vel levi brachio, vel minus ſufficienter incumbentes, haud facile reperiret, qvi de hoc Conducendi Jure data opera fuiſſent commentati, id ſibi relictum putavit eſſe, ut ipſe in hoc genere ſcriptionis locum vacuum primus occuparet. Qvod qvidem eo ſtudio aggreditur, ut non modo Jus Conducendi in decem capitibus per qvatuor cauſarum genera perſpicue tradat, ſed etiam occaſione ejus de Regalibus, Jure territoriali, Præſcriptione immemoriali, Fluminibus Publicis, Pace Publica, Pignorationibus, Jure Stapulæ, Salvo Conductu Criminali, Jure Protectionis, Aſyli, Pacis Burgenſis, Repreſſaliarum, qvæ omnia in fronte libri exhibentur, diſſerat, & in his ipſis qvæſtiones varii qvidem, ſed ab inſtituto non plane diſſimilis argumenti CXXI perqvam utiles & jucundas, propoſitis ubiqvé & affirmantium & negantium rationibus, non inconcinne reſolvat. Qvibus omnibus triplex, capitum nempe, qvæſtionum, & rerum index accedit.

LUDOVICI GUNTHERI MARTINI, J. U. D. Civitat. Annæbergenſis Pro-Conſulis & Syndici, Juſtiniani Inſtitutionum Libri qvatuor cum Annotationibus Theoretico-Practicis.

Dreſdæ, 1682. in 12.

QVamvis ea ſit bonorum Auctorum, qvi textum Inſtitutionum Juris Juſtinianei tam Theoretice qvam Practice in uſum cupidæ legum Juventutis certatim illuſtrarunt, copia & ubertas, ut ejus rei ne ſpicilegium qvidem ſupereſſe cæteris videatur; nihilominus tamen eo tendit qvorundam induſtria, ut novi Jurium tyrones ad evolvenda Imperatoris ſacratiſſimi elementa novis ſubinde commentatiunculis

unculis excitentur. Præstitit hoc reapse Auctor annotationum præsentium, qvas, utipse profitetur, perspicua brevitate, relictis omnibus superfluis, conscripsit, iisqve interpretationes legum a Doctoribus receptas & multo jam usu Fori comprobatas inseruit.

JOANNIS SCHILTERI PRAXIS JURIS Romani circa Tutelas & Curas in Foro Germanico, ad Pandectarum libros XXVI & XXVII.

Jenæ, 1681. in 4.

INter Jura Gentium antiqviorum positiva, qvorum usus etiamnum sat amplus cernitur, ceu luna inter minora sidera facile effulget Romanum, qvippe qvod a sapientissimis hominibus conditum, tanti moratiores pleriqve populi æstimarunt, ut ad istud, in decidendis privatorum apprime controversiis, si propriæ forsan leges & consvetudines sileant, veluti ad communem totius Europæ *εὐνομίαν* provocent tantum non universi. Nec tamen nulla fuit olim nec adhuc hodie est Teutonicarum legum auctoritas, qvarum liberæ Germaniæ Gentes adeo tenaces fuerunt, ut per complura sæcula non solum Jus Romanum omne nesciverint, sed suos qvoqve mores & instituta domestica, Francis sibi decus Imperii vindicantibus, in ipsam Italiam attulerint. Etsi vero sero admodum, seculo nempe post C.N.XV, Imperatoris Maximiliani I. auspiciis Romanorum jura in Germaniæ nostræ judicia Comitiali decreto fuerunt tandem admissa; cuivis tamen ditioni suarum legum ac consvetudinum adhuc constat illibata sanctitas, & eorum, qvi *νομοθεσίας* jure in Germania gaudent, libero arbitrio relictum est, utrum velint istud, qvod qvidem ex instituto valet, in forum admittere, an vero rejicere, aliasqve novas & contrarias illi leges ferre. Peccarunt hac in re non pauci Romani Juris Interpretes. Cum enim ab ævo Ottonis M. qvi Reipublicæ Romanæ reliqvias cum Italiæ regno, perpetuo & indissolubili nexu Germaniæ adjunxit, splendidus iste Imperii Romanorum titulus sensim sese successu temporis patriæ nostræ affricuisset, & Lothario II. imperante, Romana Themis

qvorum-

qvorundam privatæ sortis hominum industria in Italia primitus resuscitata ac dein in Germaniæ oras traducta esset, factum inde, ut JCti, non tam ingenio, qvam (qvæ fuit temporum istorum infelicitas) solidiori cognitione Romanarum æqve ac Germanicarum rerum historica, nec non Morali ac Civili Philosophia destituti, & antiqvo Romanæ Majestatis fulgore fascinati, Jus Romanum, cui summo studio tum unice incumbebant, non modo in Germania, qvæ pro veteris Imperii Romani lacinia falso ipsis habebatur, ad publica pariter & privata negotia, posthabitis legibus ac consvetudinibus propriis, accommodaverint, sed ad id etiam omnes in universum Respublicas tanqvam ad Lydium lapidem examinarint. Utut autem hic error in Italia forte primo natus esse videatur; cum ipsis tamen Romanorum Juribus Alpium juga transiit, & rudioribus adhuc annis nostram Germaniæ Rempublicam non parum sæpius afflixit. Hinc multoties ejus Ordinum potestas male cum Præsidum aliorumqve Romanorum Magistratuum vicaria ac temporali collata; hinc plena in Germaniam Monarchia Cæsarum asserta; qvin omnis libertas avita, qvæ semper Arsacis regno acrior fuit, vocata in dubium. Nec raro apud interpretes legas, hoc vel illud Jure Romano usitatum, mutato Imperii Statu, correctum esse, cum tamen qvandoqve id, qvod correctum dicitur, longe prius in Germania obtinuerit, qvam Jus Romanum pedem eo intulisset. Haud sinistro autem Germaniæ fato contigit, ut, efflorescente nostris temporibus Historiæ Germanicæ studio, & data in amplexum Jurisprudentiæ saniori morum ac civili Philosophia, crassos errores istos pleriqve exuerint, & Jura Romana cum Germanicis amico perqvam connubio ita junxerint, ut suus qvæqve maneat honos, & tum publicus Germaniæ Status non ad Romanas, sed domesticas leges exactus, inconcussus perstet, tum lites subditorum pro re nata secundum utraqve, qvatenus recepta vel retenta sunt, in summis perinde ac aliis Judiciis dirimantur. Qvod qvidem sicut alii non infeliciter hactenus docuerunt: ita in hoc genere omnino Roscium se exhibuit Excellentissimus *Schilterus*, qvi Illustris SECKENDORFFII & Celeberrimi *Strauchii* doctrinis probe innutritus, longe utilissimo instituto *Praxin Juris Romani in Foro Germanico* juxta ordinem Edicti Perpetui & Pandectarum sub schemate Exercitationum Theoretico-Practica-

rum expoſuit. Confert in hac ſemper principia Juris & Conſvetudinũ Germaniæ cũ Romani Juris aſſertis, leges inſigniores ſuccincta ἀποφάσεις enucleat, nec, qvod complures ſolenne habent, ſola uſus Forenſis allegatione & Pragmaticorum auctoritate contentus eſt, ſed & Praxeos, ſicubi a Theoria abſcedit, rationem, Juriumqve tam Provincialium qvam Localium differentias, harumqve cauſas, ſedulo rimatur; adeoqve Jus, qvo utimur, qvove ſalvis moribus patriis & cujusvis Reipublicæ ſtatu uti poſſumus, obſervatis monitisqve Practicis ita illuſtrat, ut huic præſtantiſſimo operi, cujus partes hactenus, & eam qvidem, qvæ circa Tutelas & curas ad l. 27 & 28 Pandectarum occupatur, anno 1681 celeberrimus Auctor edidit, manum ultimam propediem admoveri Orbis literatus expectet.

JACOBI BERNOULLI COGITATIONES de Gravitate Ætheris.

Amſtelodami, Anno 1683. in 8.

AEris noſtri atmoſphærici gravitatem multi recentiores Philoſophi experimentis ſuis aſtruxerunt. Sed Jacobus Bernoullus ex Syſtemate Cometarum edito clarus, gravitatem hac Diſſertatione aſſerere aggreditur etiam ætheri i. e. juxta ſcholam Carteſianam materiæ ſubtili, qvæ globulorum ſecundi elementi nomine venit. Occaſio ſcripti hæc ipſo narrante fuit. Inciderat nuper in Cogitationes de Aëris gravitate D. Volderi, in qvibus cum legiſſet, omnem motum ad duo genera vulgo revocari, pulſionem & attractionem, attractionem autem & ipſam pulſionem eſſe, plures motus qvi attractionis ſpeciem præ ſe ferre poterant examinavit, utrum per pulſionem explicari commode poſſint. Diſſerendo igitur de natura pulſionis per digreſſionem diſputat, virtutem clavi ſeu gubernaculi in navi non unice naturæ vectis tribui poſſe cum veteribus ac plerisqve modernis, neqve etiam Stephanum Gradium cauſam ſatis manifeſte reddidiſſe; ſed potiſſimam rationem virtutis, qvæ gubernaculo ad gubernandos navium curſus ineſt, conſiſtere in motu qvodam laterali, qvem in appicta figura explicat.

Hinc ad inſtitutum ſuum reverſus, attractiones magneticas & electricas (*prout Carteſius tradidit Part. 4. Princip. n. 133. ſqq.*) attractionem

nem a Sole vaporum & exhalationum e terra (*in qvo motu explicatio Carteſii ſatis jejuna ſit cap. 2. de Meteor.*) attractionem olei in lampade, ſuctionem & reſpirationem, attractionem catenæ & tractionem currus, attractionemqve baculi per pulſionem fieri monſtrat. Examinatis præcipuis attractionum generibus, credebat ſe in iis ſatis planam pulſionem reddidiſſe; verum conſideranti attentius maximæ difficultates occurrerunt. Qvem in finem ultimo exemplo de baculi attractione manu facta inhæret, inqviritqve cauſam, qvæ partes baculi cohærentes faciat, ut nulla poſſit moveri absqve altera. Poſtqvam ergo oſtendiſſet, non cohærere partes cæmento aut glutine, non particulis ramoſis figuram hamorum vel uncinulorum præ ſe ferentibus, non funiculo, (*qvale Franciſci Lini Angli fuit ſomnium*) non qviete, (*ut opinatus eſt Carteſius prolixe refutatus*) concludit cohæſionem partium baculi & ita in genere duri corporis adſcribendam extrinſeco alicui corpori comprimenti, & qvidem aeri, cum præter ipſum nullum detur qvod corpus durum immediate tangat & ambiat. Enimvero qvoniam ille ſolus aer, qvi v. g. in attractione baculi per motum brachii expellitur, & per circulum ad alterum baculi extremum defertur, baculum poſt manum pellere ejusqve partes cohærentes facere non ſufficit, neceſſaria conſeqventia inferendum, generalem totius atmoſphæræ preſſionem veram eſſe iſtius cohæſionis cauſam.

Cui aſſertioni ſtabiliendæ paralleliſmum inſtituit inter cohæſionem marmorum politorum & particularum inſenſibilium duri corporis. Ne qvid vero aſſumat qvod alii ſenſuum præjudiciis occupati vix largiuntur, conſultum ducit diſſertationis ſuæ orbitam tantiſper deſerere examinareqve, an hæc aeris preſſio ſeu gravitas extra dubium ſit. Primum igitur & præcipuum, qvod illi natales dedit, recenſet celeberrimum illud experimentum Torricellianum, *qvod etiam procedat, ſi loco Mercurii qvicunqve alius adhibeatur liqvor, puta aqva.* In eo, uti juxta recentiorum doctrinam, in tubis ſuſpenſi liqvores aeris pondere vel preſſione ſuſtentari videantur, exponit, eaqve qvæ huic explicationi poſſunt in contrarium objici, diluit. Maximam difficultatem reperit, qvod cum preſſio illa aeris externi artificioſe arcetur & impeditur, ne in liqvorem incluſum ſe exerat, liqvor qvi toto ſuo pondere repente deorſum ruere debebat, hæreat nihilominus

minus in fistula. Hunc effectum virtuti elasticæ aeris adscribi notat, qvia minima portio aeris alicubi incarcerati vel inclusi in sustentandis aut pellendis liqvoribus tantum possit, qvantum totius atmosphæræ pondus; hanc tamen elaterii æqvipollentiam cum atmosphæræ gravitate non sine limitatione intelligendam experimento monstrat.

Ut itaqve rectius sentire discamus circa rem valde obscuram, operæ pretium æstimavit, notionem qvam de hoc aeris elaterio haberet ipse, & qvousqve id extendendum sit, tradere. Hunc in finem altius repetens naturam & causas gravitatis in corporibus, duplicem motum a DEO mundo sublunari inditum docet, unum generalem, qvo omnes hujus materiæ particulæ in eandem plagam circa commune aliqvod centrum, Terræ videlicet, rapiantur: alterum peculiarem, qvo unaqvæqve particula materiæ in omnes plagas infinitis modis moveatur; illum motum gravitatis, hunc elaterii non incommode appellari. Qvanam autem ratione effectus gravitatis ex motu illo communi elici posset, ex sententia Cartesianorum deducit. *Postqvam autem*, inqvit porro, *Naturæ consulti viderunt, eum solum „ motum non sufficere salvandis omnibus, circa suspensionem liqvorum „ phænomenis, qvippe qvi non explicat, qvare suspensus hæreat in tubo „ liqvor obturato vasculo, ubi totius tamen atmosphæræ gravitatio in- „ tercepta: hinc alium adhuc aeri peculiarem atqve a motu gravitatis „ independentem adscripsere motum, qvo aeris particulæ conatum qven- „ dam* (non communem aqvæ aliisqve fluidis crassioribus) *habeant „ sese expandendi, dilatandi, remotoqve obstaculo majus occupandi spa- „ tium, qvique conatus in aere incluso par sit sustentando tanto pon- „ deri liqvoris alicujus, qvantum sustinere valeat gravitate sua tota A- „ tmosphæra moles.*

Hanc aeris vim elasticam cum fateantur omnes fere hydrostaticorum scriptores, miratur Bernoullus noster, paucos in naturam & causas illius penitius inqvisivisse aut sollicitos fuisse, ut certas illi regulas præscriberent, atqve omnes evolvendo casus aeris liberi, inclusi, condensati, rarefacti exponerent, qvantum in singulis horum casuum effectum aer sortiri debeat. Ipsemet qvoqve causam elaterii sive conatus sese dilatandi in aeris particulis, qvam alii aliam cogitant, determinare non audet, sed effectum elaterii hujus paulo distin-

distinctius contemplatur. Et qvia multis videtur comprehensu difficile, qva ratione pauxillum aeris etiam non compressi, ingentis atmosphæræ pressionem æqvivalente pressione & actione efficaci repellere irritamqve reddere valeat, hinc ad captum illorum se accommodaturus atqve elaterium hocce mitigaturus, aliud qvidpiam præterea in aere considerat, qvod *Resistentiam* vocat *passivam*, & ita effectum soli hactenus elaterio tributum bipartitur, *partem* relinqvendo *actioni elaterii, partem asserendo resistentiæ illi passivæ*, simulqve monstrat, qvo pacto idem sequi debeat effectus, omniaqve allata experimenta non minus, sed forte intelligibilius solvi possint, etiamsi aer longe minori, qvam vulgo creditur, elatere foret præditus, cætera vero mere passive se haberet, resistentia supplente elateris vicem. Annotat autem, per aeris resistentiam passivam se non tam intelligere qvalitatem aliqvam in ipso aere latitantem & a nostra cognitione remotam; qvam defectum virtutis in liqvore aerem premente, qvi non satis habet virium ad aerem loco movendum vel condensandum. Illustrata hac aeris resistentia passiva exemplo duorum corporum se invicem prementium, nimirum duorum luctatorum vel duarum pilarum, leges seu regulas aliqvas rationi & experientiis maxime Boylianis consonas, tum pro aeris elaterio, tum pro ejus resistentia passiva statuminat, exqve iisdem ad experimenta, qvæ ad aeris gravitatem impugnandam afferuntur, respondet, ostendendo omnia vel per elaterium aeris, vel per ejus resistentiam passivam, vel per utrumqve commode posse explicari.

Qvam suam digressionem finiens Auctor, non amplius dubitat asserere, eandem gravitatem qvoqve esse causam cohæsionis partium duri corporis. Hoc supposito, inter suspensionem liqvorum & cohæsionem corpusculorum hanc instituit comparationem: Sicuti in tubo longiori 29½ digitis argentum vivum descendit, ita etiam corpora dura v. g. partes baculi sive attracti sive suspensi debere disrumpi, cum pariter superarint pondus similis columnæ atmosphæricæ. Atqvi hoc repugnat experientiæ, testanti ferramenta plurium pertica rum prodigiosæqve longitudinis catenis trahi aut suspendi, suspensa teneri multorum annorum decursu. Qvi effectus cum a tantillo pondere cylindri atmosphærici, toties minori esse neqveat, concludendum erit, ætherem ipsum omnemqve materiam subtiliorem lon-

ge supra atmosphæræ limites diffusam aliqva qvoqve gravitate præditam esse, qvæ juncta cum gravitate atmosphæræ effectum producat, qvem hæc sola producere neqvibat. Hanc ergo ætheris gravitatem probat *e natura & causis gravitatis* secundum scholam Carteſianam, *e deſcenſu liqvorum in vaſis occluſis ex hypotheſi Carteſiana de preſſione materiæ cœleſtis.* Conceſſa itaqve ætheris presſione seu gravitate, rationem reddit, *ob qvam partes baculi & catenæ longiſſimæ tam firmiter cohæreant*, difficultatesqve removens ac qvæſtiones ſolvens exponit, *cur liqvores non ad infinitam altitudinem in tubis ſuſpenſi hæreant, licet præter atmoſphæram omnis materia ſubtilis gravitet; cur Embolus evacuatæ antliæ nonniſi centum plus minus libras ſuſtineat? cur mercurius repurgatus in ſex pedum altitudine hæreat*, ubi Roholtum notat; *cur preſſione ætheris durorum, non item liqvidorum particulæ connectantur*, (qva occaſione de natura liqvidi & duri, mollitie & lentore agens perſtringit Carteſium) *qvare manus bacillum ligneum frangere poſſit, non clavum ferreum? cur manus facile clavum attrahat, ægre frangat ſeu inflectat?* cujus cauſam ex ſuis placitis Carteſiani non facile inveniant; *cur lignum conatu frangendi facto juxta lineam perpendicularem facile, in directum neqvaqvam frangatur?*

Atqve ut diſtinctiſſime omnibus ſcrupulis ſatisfaciat, qvi ex non plene intellectis Mechanicis Staticisve legibus ſuboriri poſſunt, ſupponit in corpore, qvantumvis magno, nullas per ſe vires eſſe ad reſiſtendum; omnia autem corpora in ſingulis ſuis ſuperficiebus ambientibus ſeu hedris premi a totidem columnis æreoæthereis, conſideratqve qvo pacto diverſæ hæ presſiones nos juvent impediantqve in iis impellendis. Ea de cauſa nova qvædam mechanica principia jaciens demonſtrat, *qvid fiat ubi corpus elevatur perpendiculariter? cur majus corpus majorem pariat elevanti difficultatem? cur corpus facilius ad latus impellatur qvam elevetur ſurſum? Qvid fiat, ubi duo corpora complanata ſunt revellenda? qvare corpus anguloſum difficilius moveatur ſphærico? cur corpora æqvilibrata moveantur facillime, minus tamen facilius majori?*

Poſt hæc examen inſtituit inſigniorum experimentorum, qvæ vel ad confirmationem gravitatis æthereæ, vel per eandem explicari commode poſſunt, qvorum rationes hucusqve vel obſcuræ

ſcuræ, vel difficiles, vel inſufficientes fuerunt. *Primum experimentum* eſt duorum marmorum, qvæ ſi exacte polita ſunt ſibiqve ſuper impoſita, adeo pertinaciter cohærere ſolent, ut a pondere etiam multo majori, qvam eſt ſimilis columnæ atmoſphæricæ pondus, divelli nequeant; qvi proinde effectus gravitati ætheris adſcribendus. *Secundum experimentum* affert itidem duorum marmorum in evacuato recipiente cohærentium, ob non alterius qvam ætheris preſſionem evidentiſſimam; hic ſimul modum monſtrat idem experimentum inſtituendi, ut nulla de aere id efficiente ſuſpicio remaneat. *Tertium experimentum* eſt anomalia aſcenſus & deſcenſus in Barometro, in qvo nimirum Mercurius frigidiſſima aura notabiliter magis deſcendere aliqvando conſpicitur, qvam alio tempore longe mitiori. Hujus non poſſe rationem proferre eos, qvi aeris atmoſphærici gravitatem unicam ſuſpenſionis liqvorum cauſam profitentur, ait *Bernoullus*. Si enim propter aerem hyeme leviorem factum deſcendere Mercurium dicant, debebit ſemper aura exiſtente frigidiuſcula deſcendere; Si vero aer tempore hiemali gravior & denſior fit, oportet tum Mercurium altius impelli in tubum: & tamen ipſe frigidiſſimo tempore ſubſidit humilius. *Boyle* hanc varietatem occultis aeris mutationibus attribuit; cauſam manifeſtiorem Auctor noſter iſtam affert: tempore frigidiori Mercurius in tubum aſſurgere deberet altius, propter majus Atmoſphæræ pondus: idem tamen etiam debebit ſubſidere humilius, qvod materia ſubtilis directius intrans tubum, minus perdat de motu ſuo, adeoqve fortius Mercurium premat deorſum; utrum ergo aſſurgat vel ſubſidat, hoc dependet a ſola prævalentia alterutrius preſſionis. Nempe tum adſcendet Mercurius, qvando incrementum ponderis atmoſphærici (qvo Mercurius pellitur ſurſum) ſuperat incrementum preſſionis materiæ ſubtilis in tubo (qva premitur argentum deorſum) & viciſſim tum deſcendet, cum incrementum prius exceditur a poſteriori, qvod fit maximo ingruente frigore, ubi globuli directius, qvam alio tempore tepidiori tubum ingredientes, omnem fere ſuum motum & vim deprimendi retinent. Easdem anomalias locum habere in Thermometris *ex Roholto & Voldero* adducit, cauſam ante allatam ex ſuis principiis repetens. *Qvartum experimentum* ſiſtit duo hemiſphæria evacuata ſibi firmiſſime co-

me cohærentia, cujus phænomeni genuinam rationem rejectis aliorum explicationibus evolvit.

Ad finem Dissertationis demonstrationem phænomeni hydrostatici ab aliis neglectam, a *Roholto* male factam subjungit; *cur scil. in fistulis gracilioribus liqvor internus semper sit nonnihil altior externo?* Ostenditqve porro ex illius non comprehensa vera ratione vanam spem motus perpetui nonnullos concepisse; ex eadem autem intellecta constare, *cur vicissim in fistulis gracilioribus superficies Mercurii semper depressior sit superficie ejus extra fistulam; item cur superficies aqvæ in fistulis sit concava, Mercurii convexa?* Insuper artificium detegit, *ex cognita sola fistulæ latitudine & altitudine inclusæ aqvæ, qvæ supra aqvam stagnantem eminet, mensurandi particularum aerearum magnitudinem.*

Tandem repetitis generatim Dissertationis membris concludit: Ætheris sive Gravitatem sive Pressionem, sive arctam Compactionem aut Constipationem mavis, qva omni vacuo excluso partes qvæ intime sibi junctæ hærent, incumbunt, & incumbendo premunt, sua opinione non tantum Mechanicæ legibus optime convenire, sed & cum mirabili hujus Universi structura necessario plane nexu illigatam esse, sine qva si esset mundus, solidissima qvæqve corpora dissipata conspicerentur, brachia nobis deciderent ex humeris, manus a brachiis, digiti a manibus, articuli a digitis &c. omniaqve deniqve corpora scopæ forent dissolutæ.

Appendix Dissertationis est explicatio Problematis prioris, qvo Systemati Cometarum annexo qvosdam offenderat.

Cæterum se primum de gravitate ætheris cogitasse, qva dura corpora cohærerent, *Bernoullus* noster putaverat. Sed cum bona pars Dissertationis sub prælo prodiisset, ab Amico monitus in *Malebrancii* sagacissimi Philosophi Scrutinio veritatis (*Recherche de la verité lib. 6. cap. 9.*) reperit eundem iisdem rationibus & exemplis gravitatem ætheri asseruisse. Non diffitetur antehac librum illum se perlustrasse fugitivo oculo, veruntamen non observasse se, saltim non meminisse, tale qvid sibi ibi occurrisse: fortuitum ergo consensum dicens, non invidere laudem inventionis cupit Malebrancio.

CENO.

CENOTAPHIA PISANA CAJI ET LUCII Cæsarum, dissertationibus illustrata a Fr. Henrico Noris Veronensi, Augustiniano, Sereniss. Magni Ducis Etruriæ COSMI III Theologo & in Pisano Lyceo Historiæ Ecclesiasticæ Professore.

Venetiis apud Paulum Balleonium, A. 1681. in fol.

INscripta marmora, literatosqve lapides, Deorum videlicet templa, aras, tabulas votivas, obeliscos, columnas, cipposqve sepulchrales, qvam optimos fidelissimosqve antiqvitatis omnis testes atqve interpretes esse, nemo eruditorum temere abnuet. Itaqve cum, relegata ad Garamantas barbarie, reflorescere in Italia Germaniaqve bonæ literæ occepissent, Inscriptiones id genus magno studio & exqvisita diligentia collectæ hinc inde, & ex tenebris, ad qvas damnatæ videbantur, in publicam lucem sunt protractæ. E Germanis huic operæ insudarunt Conradus Peutingerus, Johannes Huttichius, Petrus Apianus, Bartholomæus Amantius, Michael Scrinius, Laurentius Schraderus, Nathan Chytræus, Franciscus Swertius, Henricus Smetius, Marcus Velserus, &c, qvi unus instar omnium est, Janus Grüterus, qvippe qvi absolutissimum Inscriptionum opus sub initium seculi hujus edidit. Ex Italis, qvorum patria fœcundissima qvædam antiqvitatum omnium mater est, Cyriacus Anconitanus, Jacobus Mazochius, Johannes Marcanova, Sebastianus Maccius, Johannes Zarátinus Castellinius, Cassianus a Puteo, Laurentius Pignorius, Jacobus Philippus Thomasinus, alii. Qvandoqvidem vero plurimæ Inscriptiones tam lectu qvam intellectu sunt difficiles, vel qvod corrosæ admodum sint, vel detruncatæ, Oedipis omnino fuit opus qvi solverent hæc veluti ænigmata atqve interpretarentur. Oedipos igitur hac in re egere, h. e. Inscriptiones a se alliisqve collectas commentariis ac notis illustrarunt Bonaventura Castilionæus, Antonius Bosius, Sertorius de Ursatis, Octavius Boldonius, Humphridus Prideaux, &c, qvi vel principe inter hos loco constitui meretur, Thomas Reinesius. Nec eximendus horum numero est Onuphrius Panvinius Veronensis. Hic enim florentis Reipublicæ Romanæ fastos post Sigonium ut conderet, non Imperatorum tantum numismata aliaqve plura antiqvitatis

cimelia perluſtravit, ſed & Lapidum Inſcriptiones tota urbe atqve Italia ſparſas collegit. Et hic eſt ille Panvinius, qvem uti ſympatriotam agnoſcit *Fr. Henricus Noris* (nam & ipſe Veronenſis eſt) ita imitandum qvoqve ſibi in accurata rerum antiqvarum perveſtigatione propoſuit. Eſt *Noris* eqvidem profeſſione Theologus, Auguſtinianus qvippe & in Academia Piſana, qvæ Magno Hetruriæ Duce Patrono ac Nutritio gaudet, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Profeſſor; qvam ſpartam etiam ſe probe adornare, emiſſa in lucem, ut alia nunc taceamus, *Hiſtoria Pelagiana & diſſertatione de Synodo V Oecumenica, in qva Origenis ac Theodori Mopsveſteni, Pelagiani erroris auctorum juſta damnatio exponitur, & Aqvilejenſe ſchiſma deſcribitur*, nec non *Vindiciis Auguſtinianis pro libris a S. Doctore contra Pelagianos ac Semipelagianos ſcriptis* (qvæ omnia junctim edita ſunt Patavii a. 1673, recuſa deinde in Germania a. 1677) ſat abunde teſtatum fecit. Sed hunc Theologum Pontificium rei antiqvariæ atqve nummariæ non minus, qvam Panvinium, concivem ſuum, eſſe qvam ſtudioſiſſimum atqve ſcientiſſimum, cum *duplex* ejus *diſſertatio de duobus Dioclefiani & Licinii nummis cum auctario Chronologico de Votis Decennalibus* Patavii in fol. a. 1676 edita, tum *Cenotaphia* potiſſimum *Piſana Caji & Lucii Cæſarum* diſſertationibus ab eo illuſtrata, & Venetiis a. 1681 in folio impreſſa, illuſtri admodum ſunt documento. Nam in his non Hiſtorici tantum ac Chronologi obit partes, ſed acerrimi qvoqve Critici atqve Philologi; qvemadmodum & ipſe f. 63, ſe non tam hiſtoriam jam, qvam Philologicos Commentarios ſcribere profitetur. Nimirum in hoc Volumine, qvod & ipſe titulus præ ſe fert, *Coloniæ Obſeqventis Juliæ Piſanæ origo, vetuſti Magiſtratus, Sacerdotum Collegia; Cæſaris utriusqve vita, geſta & annua eorundem inferia exponuntur, & aurea utriusqve Cenotaphii latinitas demonſtratur.* Erant eqvidem hæc Cenotaphia jam tum, cum vix reperta in agro Piſano, & in pulcherrimo urbis illius cœmeterio collocata eſſent, a *Curtio Picheno* in Commentariis in lib. I Taciti ſcriptis publicata; imo ab *Ferdinando* qvoqve *Ughello* Tomo III Italiæ ſacræ, ubi Piſanæ Eccleſiæ Archiepiſcopi referuntur, inſerta, ſed miruin qvantum deturpata & mendis undiqve ſcatentia. Ea itaqve erroribus repurgatis nitori priſtino reſtituit Noriſius, nec æri tantum inſculpta in Operis fron-

nis frontispicio exhibuit, sed & dissertationibus longe eruditissimis, addo, & prolixissimis, elucidavit.

In Dissertatione prima, qvæ VI Capitibus absolvitur, Auctor agit *de Pisana Colonia antiquitate, ejusqve vetustis magistratibus & Sacerdotum Collegiis* Ac *I* qvidem *Capite* originem Pisarum deducit a Pisis, antiqva Peloponnesi gente, qvi Trojanorum profugorum spoliis onusti, & victrice classe in Hetruriæ littora delati prima Pisanæ urbis fundamenta jecerint. Addit postmodo, Romanis cum Liguribus in agro Pisano commissa fuisse prælia, Pisasqve ea tandem tempestate, qva Pyrrhus in Italiam venerit, Romanorum dominio se submisisse. Liguribus tandem, qvi Pisanos valde infestarant, a P.R. debellatis, atqve in longinqvas terras abire jussis, Coloniam Latinam Pisas, sic ipsis Pisanis postulantibus, ductam, Pisanosqve jus civitatis Romanæ indeptos, tribuiqve Galeriæ (nam Romæ 35 tribus erant) fuisse accensitos; Pisis etiam Prætores, Pro-Prætores, Consules, legionesqve ipsas, durantibus per LXXX annos bellis Ligusticis hiemare consveviisse. *Cap. II*, præmisso de Coloniis militaribus, qvas Sylla, postqve illum Julius Cæsar ad continendam in potestate Italiam inveterat, discursu, ad Coloniam militarem Pisanam accedit, & cur *Julia*, cur item *Obsequentis* nomen tulerit, luculenter ostendit. *Julia* autem dicta vel a Julio Cæsare est, vel, ut Noris autumat, ab Augusto, qvi & ipse Cajus Julius Cæsar Octavianus audierit; a qvo & iterum Coloniam Pisas fuisse deductam conjicit, qvod magna veterum colonorum pars absorpta bellis civilibus fuerit. *Obsequens* autem eo qvod, cæteris urbibus colonos invite suscipientibus, Pisani spontanea liberalitate domos & agros victori gentium populo, qvo liberati ab hostibus vicinis fuerant, tradidissent. *Cap. III* Pisanæ coloniæ Magistratus ex vetustis Inscriptionibus producuntur (nam & horum in Lucii Cæsaris Cenotaphio injicitur mentio) Duumviri videlicet, qvibus fasces duo concessi erant cum lictoribus, Qvæstores, qvi vectigalia, portoria, tributa, decimas fructuum frugumqve, omnes denique publicos reditus P. R. curabant, inqve ærarium Romanum deferebant; Ædiles item ac Decem-primi vel Decuriones, qvi idem in Coloniis erant, qvod Romæ Senatores, unde & Senatores non raro sunt appellati. *Cap. IV.* Antiqvi Coloniæ Pisanæ Sacerdotes seu Flamines Augustales exhibentur (nam in Cenotaphio *Statulenus*

Flamen Augustalis nominatur) Augustales illi sic dicti ab Augusto, cui adhuc vivo uti templum Augusteum, ita Sacerdotes qvoqve à Pisanis erant consecrati; qvemadmodum & Julio Cæsari adhuc superstiti M. Antonius, teste Cicerone in II Philippica, *Flamen Dialis* fuerat designatus. Hi *Flamines Augustales* non confundendi cum *Sodalibus Augustalibus*, qvorum Collegium ex XXV post Augusti fata abs Tiberio componebatur. Flamines præterea alii municipales, alii provinciales, alii etiam perpetui erant, alii temporarii, ut liqvido a Noris ex vetustis Inscriptionibus demonstratur. *Cap. V* Pontificatus veterum Romanorum exponitur; Statulenus siqvidem non *Flamen* tantum *Augustalis*, sed & *Pontifex minor publicorum P. R. sacrorum* in Cenotaphio Cajano appellatur. Scilicet & Majores & Minores erant Pontifices. Majores numero erant XV, e qvibus Pontifex maximus legi svevit; minorum, qvi speciale collegium constituebant, numerus est incompertus. Commodum hic Pontifices XV Ciceroni in Orat. de domo sua nominatos ordine percenset Illustrator omnes, eorumqve tum familias, tum dignitates, res gestas atqve fortunam operose exponit. Ad Pontificem postea minorem Statulenum reversus de Diis municipalibus, qvos ante jus civitatis Romanæ urbes illarumqve cives coluerant, disserit, distingvensqve Pontifices perpetuos a temporariis suam de *Pontificibus Qvinqvennalibus* sententiam annectit. *Cap. VI* Qvia autem præter Pontifices, & *Augures* ad templa dedicanda, Comitia Decurionum habenda, aliaqve more Romano, præmissis auspiciis, facienda in Coloniis constituebantur, de illis qvoqve dicere qvippiam Panvinius Virbius voluit. Et hi ipsi erant *Sodales Augustales*, qvos a *Flaminibus Augustalibus* discriminandos esse jam dictum. Nimirum uti Pisani honoris causa Augusti adhuc superstitis sacerdotem, qvem Flaminem Augustalem dixere, vocaverant, ita Tiberius, ejusqve exemplo pleriqve in urbe Sodales Augustales, qvi consecrati post mortem Augusti tanqvam Numinis sacra peragerent, constituebant. Ex his sex primi nominati *Seviri Augustales*, Magistri item *Augustales*, cumqve numerus eorum in Coloniis ac municipiis excresceret, in *Seniorum* ac *Juniorum* Collegium distingvebantur, qvibus omnibus Seviri illi præerant.

In Dissertatione II *Caji & Lucii Cæsarum*, qvorum honori dedicata erant *Pisana Cenotaphia, vita & res gestæ* capitibus XVIII *exponuntur:*

nuntur. Itaqve *Cap. I* agitur de Patris M. Agrippæ Vipſaniæ tum natalibus obſcuris (nullis enim majorum imaginibus erat inclutus, imo gentis plebejæ atqve ignobilis) tum matrimoniis ejus illuſtriſſimis, rebusqve geſtis longe maximis; de Caji item & Lucii nativitate, illorumqve ex Vipſaniis in Julios & Cæſares tranſitu per adoptionem Auguſti facto, nec non educatione, cui præter Verrium Flaccum Auguſtus ipſe fuit moderatus. *Cap. II* de novo matrimonio, qvod Julia poſt extinctum in Campania Agrippam, editumqve in lucem Agrippam Poſthumum cum privigno Auguſti Tiberio, ſic volente patre, iniit; dein de Caji primis militiæ ſub vitrico Tiberio adverſus Germanos miſſo rudimentis, & faſcibus conſularibus ei vix annos XIV nato, inuſitato hactenus exemplo, collatis. *Cap. III* de titulo *Principum Juventutis*, qvi & Cajo & Lucio fuit datus, deqve Tiberii, cum Tribunitiam poteſtatem abs Auguſto accepiſſet, in Inſulam Rhodum ſeceſſu, & probabili hujus cauſa. *Cap. IV* de Toga virili a Cajo induta, Romanisqve circa eam rem ceremoniis, de anno togæ ſumptæ & de congiario ab Auguſto die virilis togæ a Cajo ſumptæ dato. *Cap. V* de Pontificatu Caji, ubi occaſione nummi cujusdam univerſus Sacerdotum Romanorum habitus, inſignia & officia exponuntur, Pontificum nempe, Augurum, Qvindecim-virorum atqve Epulonum. *VI* de Herodis, cui Regnum Judææ a P. R. delatum tum erat, regimine, deqve mirifica Joſephi, Judaici Hiſtorici, cum annalibus Romanorum congruentia. *VII* de honore Augurum, qvi & Lucio Cæſari fuerat collatus, ut & de patronis Coloniarum & Urbium, qvi ex præpotentibus civibus Romanis legebantur. Nam & Lucius Juliæ Piſanæ Obſeqventis patrocinium ſuſceperat a Piſanis exoratum. *VIII* de titulo *Patris patriæ* Auguſto Imperatori dato, de templi Martis ultoris dedicatione, de Naumachiis ab Auguſto exhibitis, & filia Julia ob adulteria in Inſulam Pandatariam relegata. *IX* de Armeniæ & Arabiæ tumultu (qva occaſione de Regibus Armeniæ diſſeritur) & expeditione ad reprimendum illum inſtituta. Nam Cajus Cæſar Dux huic bello deſtinatus, eiqve tanqvam rectori juventæ M. Lollius adjunctus una cum Marco Cenſorino, Cneo Domitio, & Sejano. *X* de templo Jani ab Auguſto ter clauſo (ubi obiter, qvo anno Ovidius natus, & qvo tempore in exilium abierit, diqviritur) deqve Tiberii Rhodo Samum tum navigantis cum Cajo

in Aſiam tendente congreſſu. *XI* de Romanis in Oriente provinciis, ad qvas cum extraordinario Imperio Cajus Cæſar tum mittebatur, & Regibus ac Dynaſtis Aſiaticis, qvi tanqvam amici ſociiqve P.R. advenientem eas in regiones Cajum Auguſti filium qvæſitiſſimis honoribus exceperunt. *XII* de Caji in Arabiam expeditione; ad qvam feliciter obeundam cum Juba, Rex Mauritaniæ, libros Geographicos ad Cajum ſcripſiſſet, ὡς ἐν θυγατρὸς de Juba aliisqve Mauritaniæ & Numidiæ Regibus diſſeritur. *XIII* de Conſulatu Romano a Cajo in Syria inito, ejusqve Collega conſulari L. Æmilio Paulo, deqve hujus & uxoris Juliæ, qvæ neptis Auguſti & Caji ſoror erat, miſerabili exitu. *XIV* de Caji Cæſaris cum filio Phraatis, Parthorum Regis, colloqvio, paceqve inter Romanos & Parthos ſancita; de Tiberii Romam reditu, de Lucio in Hiſpaniam miſſo, deqve Æmiliæ Lepidæ, qvæ ſponſa deſtinata ei fuerat, Patre. *XV* de morte Lucii Cæſaris, deqve Inferiis annuis ſeu honoribus parentalibus abs Piſanis eidem decretis. *XVI* de Sulpitio Qvirino aliisqve præſidibus Syriæ, de Auguſti in Aſiam itinere, ejusdemqve Romam reditu, & ludis Actiacis poſt hunc inſtitutis. Hic prolixum illud de præſidibus Syriæ parergon inſeritur, eo qvod plurimos circa illos erroreshiſtoricos chronologicosqve Auctor deprehenderat. Enumerat itaqve anteceſſores Sulpitii Qvirini omnes, nec hos tantum, ſed & ſucceſſores, qvia & Montacutius eos ad Hieroſolymæ usqve excidium percenſuerat. Fuerunt autem ſecundum Auctorem Syriæ Præſides iſti, & hoc ordine: Sextus Cæſar, Q. Cornificius, L. Statius Murcus, P. Cornelius Dolabella, L. Caſſius, L. Decidius Saxa, P. Ventidius Baſſus, C. Soſius, L. Munatius Plancus, L. Calpurnius Bibulus, Q. Didius, Varro, M. Tullius Ciceronis filius, M. Agrippa Vipſanius, M. Titius, C. Sentius Saturninus, P. Qvintilius Varus, P. Sulpitius Qvirinius, Q. Cæcilius Silanus Creticus, Cn. Pompejus Piſo, L. Pomponius Flaccus, Tiberius, L. Vitellius, P. Petronius, C. Caſſius Longinus, T. Numidius ſive Ventidicus Qvadratus, Domitius Corbulo, Cincius, C. Seſtius Gallus & P. Licinius Mucianus. Hi Syriæ fuere Præſides ab A.U. 707 usqve ad A.U. 822, qvo Syria omnis, ut ait Tacitus, a Veſpaſiani ſacramento fuit. Se e diverticulo cum Autore redeamus in orbitam. *Cap. XVII* agitur de felici Caji in Armeniam ingreſſu, atqve infelici ex ea regreſſu. Tumultibus enim in Arabia compoſitis Parthos ad petendam pacem adigebat Cajus, Armeniisqve acie victis

novum

novum illis Regem Anobarzanem, Tigrane ejecto, imponebat: sed cum in obsidione Artageræ a Præfecto Urbis vulneraretur per insidias, valere incipiebat maxime, cumqve in Italiam reverteretur ab Augusto revocatus, in Lycia princeps summo Imperio destinatus moriebatur. Annus itaqve & dies, qvo obiit, h.l. excutitur. Si illustratori nostro habenda fides, Cajus Cæsar mortuus est d. XXI Febr. A.U. 756, & ante ipsum Lucius Cæsar d. XX Augusti A.U. 755. *Cap. XVIII* de luctu Augusti, de Agrippa Posthumo, Cæsarum fratre, & Tiberio ab eo adoptato, de Basilica Caji & Lucii, deqve porticu a Livia in honorem eorundem extructa, de Caji Cæsaris ossibus cineribusqve Romam deportatis & nemore sub nomine Cæsarum conserto, agitur.

In Dissertatione III *Inferiæ Cajo & Lucio Cæsaribus a Colonia Pisana decretæ IX Capitibus explicantur.* Nam in his Cenotaphiis ritus veterum Romanorum funebres tam fuse ac dilucide describuntur, ut vel hoc nomine inter præcipua P.R. monumenta reponenda esse videantur. Noris eos tantum hic ritus exponit, qvi in Tabula Lucii Pisana recitantur, ac *I* capite agit de vestibus Lugentium atris atqve albis; *II* de templis Deorum ac thermis in luctu clausis; *III* de diebus atris apud Romanos geminaqve Christianorum circa dies superstitione, de diebus item Ægyptiacis in calendario (qvod post Herwartum & Buchenium Lambecius notis illustravit) vetusto annotatis, & de Ludis Circensibus ac Scenicis; *IV* de Cadaveribus extra urbem concrematis atqve aris sepulcralibus; *V* de Inferiis seu victimis crematis ac libamentis funebribus; *VI* de tempore nocturno lugubribus sacris destinato, de die, qvo annuatim Cæsaribus est parentatum, de cereis & facibus in funere accendi solitis; *VII* de cinctu Gabino sacris operantium, & de pyra seu rogo; *VIII* de statuis & columnis in honorem illustrium virorum positis, iisqve eqvestribus & pedestribus, qvales Cajo præ Lucio fuere decretæ, & *IX* de lege Ælia Sentia, qvandoqvidem in Cenotaphio Cajano & Sexti Ælii Cati tanqvam Consulis id temporis Romani fit mentio.

In Dissertatione IV *Latinitas & Orthographia utriusqve Tabulæ Pisanæ ac Viri clarissimi censura refellitur.* Intelligit autem Fr. Noris Octavium Boldonum, Episcopum Theanensem, qvi in libro II Epigraphicæ duplicem Latinitatis facit ætatem; aliam videlicet auream Romæ, aliam in Coloniis Romanis deteriorem, inqve his Inscriptionibus

nibus, qvamvis aureo ſeculo eas natas eſſe non abnuat, impuræ Latinitatis apparere veſtigia contendit. Auctor itaqve, poſteaqvam in diſſertationibus antecedaneis Hiſtorici, Chronologi, Philologiqve partes non infeliciter eſt tuitus, Grammaticum ex profeſſo nunc agit, ſeqve in hac qvoqve palæſtra Roſcium probe exercitatum repræſentat. Ac *I* capite non infiterur, latinitatem puram aliqvid limi ex diverſis Romanorum coloniis attraxiſſe; Lapides tamen Romano Imperio florente inſcriptos longe certiores teſtes cenſendos eſſe dicit, qvam vetuſtiſſima qvæqve volumina, tot indoctis librariorum manibus defœdata; in qvibus tamen in codices referendis peccari non minus, qvam in libris exſcribendis ob exſcriptorum vel inſcitiam, vel negligentiam poſſit; qvale qvid & Cenotaphiis Piſanis obtigiſſe ex *Curtio Picbena & Ferdinando Ugbello*, qvi ea mendoſiſſima publicaverant; oſtendit. Cap. II auream utriusqve Cenotaphii latinitatem vindicat, tum ex Lapidibus, qvos vocat, eruditis, tum ex celebratiſſimo illo Codice Virgiliano, qvi in Laurentiana Florentiæ Bibliotheca hodiedum ſancte aſſervatur. Eſt enim codex Romana majori litera exaratus, ac tantæ, ſic cenſente Nicolao Heinſio, qvi & noviſſimam Virgilii editionem ad ejus faciem reformavit, vetuſtatis, ut parem per univerſam Europam nullum habeat; certe mille ducentorum circiter annorum antiqvus, & Lucas Holſtenius ut autumat (qvi per aliqvot menſes in Bibliotheca Medicea habitavit, judiciumqve poſtea de nobilioribus ejus MStis tulit) circa Valentis & Theodoſii tempora ſcriptus, & deinceps a Turcio Rufo Apronianо Aſterio, qvi Romæ conſulatum cum præſidio A. C. 494 Theodorico in Italia regnante geſſit, (nam & ejus familia hac occaſione a Noris evolvitur,) emendatur. In eodem capite & ſubſeqvis voces harum Inſcriptionum impuræ latinitatis a Boldono incuſatas defendit Noris maſcule, armis non aliunde, qvam ex antiqvitate Romana, & Codice, qvem diximus, Virgiliano ſumtis. Cum enim Boldonus dicēdum fuiſſe contenderet *Maximus* pro *Maxſimus*, *ceterum* pro *ceterum*, *qvotannis* pro *qvodannis*, *atqve* pro *adqve*, *præerunt* pro *præruni*, *Imperii* pro *Imperi*, *ultra extremos fines* pro *ultra extremas finis*, *devictis* pro *devicteis*, *vulneribus* pro *volneribus*, *acervus* pro *acervos*, *ſimillimum* pro *ſimillumum*, *obiit* pro *obit*, *neve* pro *nive*, *ſpoliis* pro *ſpoleis*, *Cai* pro *Gai*, *Gabino* pro *Cabino*, *legitime* pro *legitume*, *in perpetuum* pro *in perpetuom* &c.

petuom &c. hæc omnia Fr. Noris amice conſpirare cum aureæ latinitatis ſcriptione ex antiqviſſimis Romanorum Inſcriptionibus Scriptoribusqve contra Boldonum adſtruit. In cap. tandem VI & ultimo non *orthogmphiam* tantum, ſed & *phraſes* Cenotaphiorum horum manu qvaſi aſſerit, ſubqve finem *de accentibus* qvoqve, qvi & ipſi in utraqve tabula viſuntur, aliqvid adnotat, eosqve non recenti qvadam conſvetudine, qvod multi Eruditorum exiſtimant, ſed jam olim imperante Auguſto, ipſaqve adeo ætate Latinitatis aurea apponi conſveviſſe, tum ex his ipſis Inſcriptionibus, tum ex priſcis Grammaticis demonſtrat. De cætero uti in hac ultima diſſertatione, ita in antegreſſis qvoqve Auctor aſſerta ſua tum adductis Romanorum Hiſtoricorum ac Poetarum verbis, tum Inſcriptionibus maxime, iisqve non Gruterianis tantum, ſed & aliunde acceptis confirmat; non paucas etiam illarum corrigit, inqve meliorem faciem reformat. Eadem etiam libertate, qva in Hiſtoria Eccleſiaſtica aliisqve libris fuit uſus, ſcriptores cujuscunqve religionis atqve ordinis, eosqve qva anteriores, qva recentiores per totum hoc opus refellit; in Diſſertatione II maxime, in qva infinitos pene prochroniſmos, metachroniſmos, aliosqve errores Virorum maximorum ac celeberrimorum detegit ac confutat. Non refellit autem tantum, ſed juſtis ſubinde laudibus ſcriptores allegatos exornat. Nec absqve gratæ mentis indicio pulcherrimisqve encomiis eos nominat, qvi ex cimeliarchiis ſuis tum numiſmata tum Inſcriptiones aliaqve antiqvitatis rudera luſtranda ipſi ſuppeditarunt, Chriſtinam inprimis Reginam, Principemqve Sereniſſimum ſuum COSMUM III, ac præter hos Julium Juſtinianum D. Marci apud Venetos Procuratorem, Johannem Maurocenum, ad eandem dignitatem evectum, Dominicum Theapolum Patritium Venetum, Carolum Patinum Eqvitem & Profeſſorem Patavinum, Carcavium nummariæ antiqvitatis apud Regem Galliæ cuſtodem ac Bibliothecarium, Cæſarem Leopoldum Auximam, Johannem Petrum Bellerium, Joſephum Magnavacam, Antonium Magliabecum, Johannem Lazara, Apollonium Baſſetum, Jacobum Sponium, alios. Annexus eſt in fine *Index Rerum notabilium.*

NOVA METHODUS DETERMINANDI

Maxima & Minima, *Auctore D. T.*

QVia qvidam ex Amicis, cum viderunt Methodum meam Tangentium, qvam in Actorum horum Menſe Decembri ſuperioris anni p. 391, ſqq. communicavi, apprime deſiderarunt ſcire, qva ratione hinc determinare valeam maxima & minima, aut num hoc forte eadem Methodo non poſſit præſtari: hic qvædam, qvo horum petito ſatisfiat, aperire conſtitui.



Notandum itaqve *primo*, qvod determinatio Maximorum aut Minimorum nihil aliud ſit, qvam determinatio ſpecialis caſus circa Tangentes Curvarum. Qvod ut facile capias, exemplo illuſtrabo. Sit qvæcunqve indeterminata BC=X, qvæ determinare debet maximum aliqvod; litera *a* denotet datam aliqvam lineam BH; maximum qvod determinari debet, ſit $aax^3 - 2ax^4 + x^5$; hoc maximum repræſentetur per lineam FG, qvæ ponatur æqvalis y; erit itaqve $aax^3 - 2ax^4 + x^5 = y^5$, qvæ utiqve æqvatio curvæ alicujus naturam ope duarum indeterminatarum exprimit. Jam vero, ut maximum hoc inveniatur, nihil aliud opus, qvam ut hujus Curvæ BDFH maxima ordinatim applicatarum determinetur; hæc autem cum ſit linea FG, ubi Curva hæc tangitur a linea EF parallela axi BH, nihil aliud opus, qvam qværere Tangentem hujus Curvæ BDFH, in qvovis puncto generaliter, atqve tunc omnes ſpeciales caſus qvoqve determinati erunt, & per conſeqvens etiam hic ipſe, ubi linea EF ſeu Tangens parallela eſt axi. Sit itaqve in præſenti exemplo AB=t, juxta regulam qvam exhibui de Tangentibus, erit $t = \frac{2aax^3 - 2ax^4}{3aaxx - 8ax^3 + 5x^4}$

Notandum

Notandum *ſecundo*, prout facile perſpicuum, qvod ſi Tangens EF eſt parallela axi, denominator hujus fractionis æqvalis eſt *o* ſeu nihilo. Unde habebitur $3aa-8ax+5xx=o$, æqvatio, ope cujus qvantitas x & proinde maximum determinatur.

Notandum *tertio*, qvod pro eadem qvantitate BG determinanda, ſi maximum aliqvod detur, ſemper alia adhuc æqvatio poſſit inveniri, qværendo Tangentem ab altera parte hujus Curvæ. Cum vero ſic duæ Æqvationes habeantur eandem incognitam includentes, non difficile erit rerum harum peritis determinare id qvod qværitur. Sic ponendo $LH=Z$, erit maximum $a^3zz-3aaz^3+3az^4-z^5=y^5$; hinc juxta regulam meam de Tangentibus erit $HM=\frac{3a^3zz-6aaz^3+3az^4.}{2a^3z-9aaz+12az-5z^4.}$

Unde jam juxta annotationem ſecundam denominator hujus fractionis $2a^3-9azz+12azz-5z^4$ æqvalis *o*, in qva æqvatione ſi reſtituatur loco z qvantitas ipſi æqvalis $a-x$, obtinetur $-3axx+5x^3$ ſeu $x=\frac{3}{8}a$ æqvatio ſecunda, ope cujus longitudo BG invenitur.

Atqve ſic fundamentum aperui, unde tam expedita methodus maxima & minima determinandi derivatur, ac hactenus ullam videre mihi licuit, qvæqve talis:

Sit BH data aliqva æqvalis a, cujus reſpectu maximum aut minimum aliqvod qværitur: ponatur $BG=x$ & $GH=z$, jam

Primo erit $z=a-x$.

2. formetur maximum ope qvantitatis z, ita ut x non ingrediatur compoſitionem hanc. Sit autem exempli gratia maximum illud $a^3z^5-3a^2z^6+3az^7-z^8$, in qva qvantitate termino, ubi z duas obtinet dimenſiones, præfigatur binarius; ubi 3 habet, ternarius; ubi vero qvatuor, qvaternarius, atqve ſic porro ſemper exponens poteſtatis z eidem termino præfigatur: totum vero aggregatum ſic proveniens adæqvetur nihilo: erit itaqve in præſenti exemplo $5a^2z^5-18a^2z^6+21az^7-8z^8=o$, ſeu $3a^3-18aaz+21azz-8z^3=o$.

3. In hac ultima æqvatione reſtituatur $z=a-x$ & invenietur ſimpliciſſima æqvatio pro qvantitate x, qvæ maximum ſeu minimum deſideratum determinat; veluti in præſenti exemplo, ſi in æqvatione $3a^3-18aaz+21azz-8z^3=o$ reſtituatur $z=a-x$, invenietur $x=\frac{3a}{8}$, ope cu-

jus maximum desideratum utiqve determinatum est. Spero itaqve me hisce, qvi tale qvid a me rogarunt, abunde satisfeciſſe. Ubi ex occasione moneo, qvod in editione Methodi meæ de Tangentibus Curvarum in articulo tertio pag. Actorum anno 1682 qvædam falsè sint impressa, verba nimirum hæc: *Transpositâ vero y cum signo—omnes termini ponantur æquales nihilo seu 0.* Debet enim esse: *Si vero maxima potestas qvantitatis y penitus abſit, omnes termini ponantur æqvales nihilo seu 0.* Itidem in articulo penultimo, ubi dicitur, *ac assumatur æqualis*, debet poni, *assumatur AD æqualis.*

NOVA INVENTIO TUBI, PROMTI USUS & sumtus minimi, qvantumcunqve grandibus conſpiciliorum vitris adhibendis, cœlum terramqve versus, inserviens: scripto ad Dominum Borellum, Regiæ scientiarum Academiæ, transmisſo delineata. 1682.

Ex gallico in latinum translata, ex Diario Eruditorum Parisiensi XXIX. 14. Dec. 1682.

DIe 18 nuperi Novembris *Dominus Borellus* Academiæ Regiæ Tractatum communicavit, qvem antegresso mense Septembri acceperat, cum titulo; *Teleſcopium Catadioptricum & Diacatoptricum, sive descriptio aliqvot machinarum, ad faciliorem Teleſcopiorum usum accommodatarum*, Autore *Domino Boffat* Tolosano, Diœceseos Rivensis incola.

Cum longiora Teleſcopia, præstantioris etiam sint effectus: eadem e vitris majoribus construendi ratio vel mille mediis qvæsita est. Simul ac vero ad longitudines insigniores perventum est, deprehensæ etiam sunt difficultates, qvæ in tractatione tuborum 80 vel centum pedalium, ut nihil se incurvent, & prout res exigat, qvaqvaversum moveri possint, erigendorum, se objiciunt.

Has difficultates Celeberrimus observationibus suis astronomicis *Dominus Hevelius* in Machina sua cœlesti, ubi constructionem exhibet grandiorum tuborum, conatus est tollere: at cum in omnibus speculationibus suis, tubo mobili, ex communi usu assveviſſet; illi in debito situ retinendo, tot funibus & trochleis opus habuit, ut

longe

longe difficillimum videatur, per hoc omne decentem harmoniam, ſumma illa facilitate & regularitate qvæ reqviritur, ſervari potuiſſe.

Huic rei *Dominus Boffat* mirificum (utcumqve magni, & vel mille pedum ſint tubi) adhibet remedium, ingenioſo, & intellectu facili commento: ſtructura ſc. tubi immobilis ad polum directi, beneficio ſpeculorum planorum mobilium, extremitati tubi aptatorum, objectumqve, ut ad oculare deferatur, verſus objectivum reflectentium, omnes in univerſum motus, qvos tubus ad cœlum erectus depoſcit, ſupplens. Cumqve ita ſola ſpecula, qværendis perſeqvendisqve objectis moveri ſit neceſſe, tubus hic perpetuo manet immobilis: & qvivis eundem ipſe pro lubitu contrahere poteſt, ſpeculis ita diſpoſitis, ut objectum pluries reflectant.

Interea dum tractatus iſte imprimatur, nosqve delineationem ejus dare poſſimus, cum explicatione omnium figurarum, qvas eximius hic Mathematicus, oſtendendis diverſis modis, qvibus neceſſarius motus ſpeculorum efficitur, ſubmiſit; e re arbitrati ſumus, generalem ejus inventi notitiam Curioſis facere: qvod ſc. in anteceſſum confiteri omnino nos oporteat, illud & per omnia certum & evidens, ac uſus eſſe poſſe in Aſtronomia eximii, ob facilitatem ſibi propriam, citra laborem ſuſpenſionis & directionis, cujuscunqve magnitudinis tubos tractandi.

PROBLEMA GEOMETRICUM DN. COMIERS.

PRopoſuit Anno 1681 d. 16 Oct. in Diario Gallico generali problema qvoddam Mathematicis ſolvendum Clariſſimus Dn Comierius, centumqve aureorum Ludovicianorum præmium illi publice promiſit, qvi intra triennium, *ſolo circulo lineâqve rectâ uſus*, idem ſolverit. Qvod qvanqvam vexatiſſimum illud Deliacum problema duplicandi Cubi in ſinu fovere, adeoqve præſcripta ratione inſolubile nobis qvidem videatur; iis tamen, ad qvorum manus Gallorum Ephemerides & Mercurius (*Journal des Scavans, & Mercure galant*) non perveniunt, publicandum duximus: ſi forte eorum alicui ratio ſuppetat, qva felicius, atqve hucusqve a compluribus in Galliis tentatum eſſe accepimus, nodum hunc ſolvere, & inventi nobiliſſimi gloriam juxta ac pretium conſeqvi contendat.

Est vero problema sequens.



Datis in Triangulo rectangulo CIE, latere IE, 2 (eoque ut lubet producto in S) & Hypothenusa CE, 4; data praterea recta CO, parallela lateri IS, 8: super recta terminata EO, per Elementa Euclidea Geometrice assignare punctum M, ut ducta ex C per M recta CR, ejus pars MR æqualis sit linea CE.

OBSERVATIO CIRCA BILIS MOTUM AB epate ad vesicam biliariam & intestinum.

Circa officinam humoris fellei ut Scriptores varient, cunctis Anatomicis constare arbitror. Ego qvemadmodum, si non omnem, certe maximam ejus partem in epate elaborari, hujus vero notabilem portionem folliculo fellis infundi, aliis concedo, ita haud parca manu per ductum epaticum & cysticum hoc contingere hactenus suspicatus fui, prout superioris anni Calendæ Januarii horum Actorum p. 20. sqq. testari potuerunt: Qvæ E. postea huc facientia annotavi, publico pariter exponere volui. Scilicet aperto vivi canis abdomine, ex vesicula biliaria omnem expressi hujus humorem, ligavi ductum cysticum, expectaturus, an nihilominus, si subjectum aliqvandiu superstes foret, aliqvid bilis, non obstante hoc vinculo, denegatoqve folliculo fellis cum poro epatico commercio, in illo colligeretur: proin consuto denuo abdomine animal per 24 horas vivum conservavi, vivumqve resecui. Et per ductum eqvidem communem Cholodochum, bilis ad intestinum confluere videbatur, præter modum tamen insimul tumente extremitate canalis cystici filo intercepta; nihil autem fellis, sed loco hujus tantillum sangvinis congrumati & sapore amaricante, sine dubio a bilis expressæ reliqviis, tincti deprehendebam. Qvo sane experimento in eo confirmatus fui, in cane, homine, similibusqve animalibus; qvibus pori epatici & cystici adæqvata contingit communicatio, notabilem bilis qvantitatem, ab epatico ad cystin,

cystin, per hujus meatum, secedere, adeoqve ex hac bilem ad intestinum non continuo, sed interpolato motu ferri, eum forsan in finem, ut in diverticulo hoc stagnans fermentativam magis induat potentiam.

Qvod præter affluxum illum, effluxum ex vesicula necessario interdum impedientem, comprobare videtur, qvod qvæ per ductum intestinalem in subjectis vivis continuo motu emanat, bilis aliqvoties epaticæ bili similis a me observata fuerit, i.e. talis, qvalem ligato ductu cystico, aut plane rescissa vesicula, in aliis deprehendimus, nempe dilutioris flavedinis, consistentiæ fluidioris, saporis minus amaricantis & aliqvando dulcedinem saccharo saturni æmulam in lingva gustantium relinqventem: cum econtra bilem ex eorundem subjectorum folliculis extractam spissiorem longe, coloris saturatioris & amaritiei intolerabilis deprehenderem.

*LETTRE DU S. N*** CONSEILLIER du Roy &c. a son Amy Monsieur Antoine Vion d'Heroual tres-renommé entre les Sçavans, au sujet des Libelles, qvi de tems en tems se publient en Flandres contre les RR. PP. HENSCHENIUS & PAPEBROCHIUS Jesuites.*

id est:

EPISTOLA DOMINI *** CONSILIARII Regii ad familiarem suum Dn. Antonium Vionem Herovallium, celeberrimum doctrina virum, de Libellis, qvi subinde in Flandria adversus Reverendos Patres HENSCHENIUM & PAPEBROCHIUM Jesuitas disseminantur.

ACtorum Sanctorum, qvæ in primi mensis anni hujus Actis p. 4 recensuimus, a Bollando cœptum, ab Henschenio continuatum, a Papebrochio perficiendum studium, multorum malevolorum cavillationibus sugillari, & cumprimis *Carmelitas* Papebrochio infestos gerere animos calamosqve, ob labefactatam ab eo Ordinis ipsorum antiqvitatem, criminosi libelli exemplo pag. 13. ceu luculento specimine ostendimus. Non istam vero tantum, qvæ sola ad nos pervenit,

pervenit, ſed plures iſtius generis maledicas circumvolitare chartas, & ſub *Prodromi, Armamentarii*, & *Speculi Carmelitani*, *Pomi* item *diſcordiæ*, titulis editos extare libros, fabuloſam Carmelitarum originem levibus argumentis magno molimine adſtruentes, & Actis Henſchenio-Papebrochianis maligne inſultantes, hæc docet Epiſtola: cujus auctorem, qvi diſſimulavit nomen, *Carolum Freſneum, Dominum du Cange*, editis ſtudii ac eruditionis rarioris monumentis celeberrimum, & *Gloſſarii ad Scriptores mediæ & infimæ Latinitatis* vaſto Opere, ac *Byzantina Hiſtoria illuſtrata* univerſo Orbi cognitum', perhibuerunt, qvorum favore iſta ad nos pervenit. In hac id potiſſimum agit, ut ſilentio & contemtu generoſo vindicandas doceat injurias, ac negligendas chartas amarulentas, indignas qvibus confutandis Papebrochius ingenium applicet otiumqve impendat: rectius vero facturos cenſeat Carmelitas, ſi omiſſis de origine ſui Ordinis anilibus fabulis, qvibus Græcis & Romanis veteribus origines cœleſtes vaniter jactantibus luxurioſiores ipſi indulgeant, veritati dent victas manus, nec publicum ſtultitiæ teſtimonium domeſtico præconio qværere porro pergant.

GEMINIANI MONTANARII ASTRONOMI Patavini de Cometa nupero Anno 1682 viſo ad Illuſtr. Antonium Maliabechium Epiſtola.

Patavii, 1682. in 4.

QVanqvam ſcriptum hoc (Italico idiomate editum) epiſtolæ menſuram non excedat, ſuffragium tamen ejusdem, tum pro Nodo Cometæ, contra ſeriem ſignorum continuo mobili; tum contra caudæ productionem ex refractione radiorum ſolarium, a figura cometæ depromtum: Prognoſticon deniqve, ex hiſtoria Cometæ Anni 1531 ab Apiano obſervati, huic tantum non peromnia ſimilis, contra Aſtrologos Italiæ forte dira minitaturos, detortum, non indigna nobis viſa ſunt, qvorum mentionem aliqvam hic facere-

remus.

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipsiæ
Calendis Aprilis, Anno MDCLXXXIII.

JO. SCHILTERI J.C. DE LIBERTATE Ecclesiarum Germaniæ Libri VII. Accedit de Prudentia Juris Christianorum liber singularis: itemque de Fatis Ecclesiarum per Joannem divinitus revelatis, Dissertatio.

Jenæ, 1683. in 4.

INæstimabile libertatis bonum, cujus desiderio homines, nisi a se alieni, tenentur omnes, adeo majoribus nostris proprium, ut nihil avidius prosequerentur, nullaque re magis a ceteris gentibus internosci cuperent. Fuere tamen infelicia temporum intervalla, quando acerrimi libertatis custodes ac vindices pravis artibus occubuere illorum, qui mutua ope imperii majestatem juvare, eamque omni re, & obsequio potissimum tueri debebant. Ecclesia hoc malum in primis experta, cujus libertas ab ortu statim, contra fas ac pudorem, improborum studiis pressa, majoribus obnoxia haut fuit periculis, quam cum in perniciem ejus conspirarent sacrarum rerum antistites. Qua manu contra, quove succ essu aliquando defensa, per vim æque ac doctorum ingenia fleterit illibata, quo consilio rursum, & novis adhibitis machinis, vel convulsa inclinaverit sæpe, vel instaurata pristinum splendorem receperit, annalium fide constat. Diversa autem heic sors populorum noscitur, pro administrationis cura, ac sapientum varietate, unde graviora cerre civitatum ac magnorum imperiorum momenta æstimari solent. Gallorum felicitas ingens ante omnes, ubi regum potentia, doctrina episcoporum, ac publica eruditissimorum hominum consensione, regnum libertatis floret, jamque tot sæculis contra vaferrimas aliorum rationes inconcussum persistit. Inter plures hujus

lei teſtes, æterna ſunt nomina, Duareni, Pithoei, Puteani, Marcæ, Baſuzii, qvibus eccleſia patria ſeſe plurimum debere, & memor fatebitur emper, & merita digne prædicabit. Nos iſthac parte inferiores laudare qvidem poſſumus induſtriam, non ſine inſigni utilitate probatam, qvam in Schardii, Goldaſti, & Hortlederi collectionibus fere deprehendimus, ſed plenam elaboratamqve tractationem ibi fruſtra reqvirimus. Ut igitur optimi civis munere fungeretur vir cultu litterarum, judicio, rerum agendarum dexteritate, ac prudentia inclitus *Joannes Schilterus J. C.* poſt varia exqviſitæ doctrinæ monumenta, e philoſophia, civili ſacroqve jure, ad communes uſus edita, amore tandem patriæ, eccleſiarum in Germania libertati manum admovit, & opus, diu votis præſtantiſſimorum expetitum, primus apud nos ſeptem libris abſolvit.

Scopus ei propoſitus hic eſt præcipuus, reddere eccleſiam reipublicæ, & concordiam utriusqve conciliare; qvem etiam in comitiis Noribergenſibus, anno ſecundo ac viceſimo ſæculi antecedentis, Imperii proceres in oculis habuere, ad formulam primævæ libertatis provocantes: iſta autem non impetrata, monſtrare, qvæ odia, qvæ diſcrimina & inveterata mala ſint conſecuta, qvæqve horum cauſſæ extiterint, ſimul ac remedia ſalutaria apertius indicare. Et ut ordine ſingula cohæreant, hiſtorica ſerie libertatis naturam ac vim ab origine eccleſiæ Germanicæ repetit, ex incorruptis veteris ævi documentis, inaniſſimarum fabularum commentis ubiqve ſpretis, vel etiam detectis. Cumqve nuda minime ſufficiat inſtituto præſenti narratio, prudentiæ regulas jungit, & ex divino atqve humano jure tradit luculenter, qvænam eccleſiaſticæ libertatis fundamenta habeantur, a qvibus poſita ac dirui cœpta, novis per occaſionem dogmatibus callide ſubſtitutis, aucta ſuperſtitione, ac diſciplina antiqva prope ſublata: itemqve qvo conatu, ſucceſſu & eventu pleraqve acciderint. Hinc facto jus adplicat, & controverſias ex temporum ſpatiis, qvibus ortæ ſunt, æſtimatione ſeria expendit, atqve ad legum normam dijudicat. Neqve etiam raro peramœna digreſſione in partes vocat civilem libertatem, qvod utraqve arctiſſime copuletur invicem, & unius oppugnatio alterius opem imploret. Argumenti hujus eſſe cenſentur, qvæ de origine Electorum diſqviruntur, deqve officiis palatinis in Francorum imperio, de prima eorundem ſede, de Germaniarum diviſione, de prærogativa imperii, & regni

gni Germanici, de jure Imperatoris universali, respectu aliarum in orbe Christiano rerum publicarum, de Rege Hispaniarum, & jure Imperatoris Germanici in Hispaniam, de jure exaugurandi Imperatoris, & similibus non tam obviis ac vulgo putantur. Sed neqve contentus, ita secundum diversas ætates, ac sæculorum vicissitudines, lites earumqve causas disceptasse; deliberativæ prudentiæ insuper specimina passim exhibet, si qvando justitia rei demonstrata, modos recuperandæ libertatis, ejus impedimenta, specioſa involucra, simulacra, occultas in ausu atqve consilio rationes, his pariter contraria studia inde ab imperio Caroli Magni aperit, ac deniqve necessitatem cum justitia reformationis a majoribus institutæ, ex fontibus suis diducit. Qvæ de concordia Germanorum, & dissidiorum utrobiqve auferendorum ratione, salva tamen libertate ecclesiastica, alicubi annectit, orthodoxæ ecclesiæ judicio ac moderatiori censuræ ingenue juxta devoteqve submittit. Cognito jam fine, atqve tractandi habitu, in præsenti opere, partito etiam singulorum librorum notitia tradenda foret: verum qvod Scriptor nobilissimus hoc ipsum data opera in *præfatione ad Lectorem* exeqvatur largiter, illac remittimus argumenti hujus studioſum.

Liber *de prudentia juris Christianorum* eo pertinet, ut, qvæ sub initium libri primi de libertate ecclesiarum, de societate inter Deum & hominem dicta sunt, amplius exponantur, ac præterea cultus divinus inter Christianos rationalis magis magisqve innotescat. Magna utiqve prudentia humana patitur deliqvia, nisi huc eatur, & imperfecta illa, mutila atqve corrupta ex divina sapientia mensuram accipiat & complementum. Neqve potest non magni fieri tale propositum, qvo per doctrinæ profanæ gustum, & ordinem proficiendi naturalem, qvæ sancta atqve veneranda ob sublimitatem omnibus esse debent, non sentientibus ingeruntur; ut nosse incipiant, omniqve cura qværant, qvæ antea tanqvam simpliciora longe infra supercilium suum posita existimabant. Similia qvædam conatus erat idem superioribus annis in *morali introductione ad veram jurisprudentiam*, qvæ hoc libro absolvit, & qvænam illa summa in vita morali sperari qveat, qvave ratione comparetur, satis abunde docet.

De *Fatis ecclesiarum* ultimo loco differit, qvatenus illa per Joannem divinitus revelata sunt, cum ibi multa obveniant, qvæ ad illustrationem faciunt eorum, de qvibus in præmissis actum. Qvamvis autem

meri jam tum hujus revelationis interpretes versentur in manibus eruditorum, id præsertim tamen in præsenti agitur, ut, missis ceterorum opinionibus, perspicua sententia, qvæ verbis ac menti Joannis ex fidei analogia & historica veritate conveniat, apte proferatur. Scopum itaqve primo demonstrat scriptionis divinæ istius, qvod non tam in profundo sensu & recondito eruendo, aut intervallis temporum signandis, qvam in cognitione veri status ecclesiastici consistat, qvalis inde a tempore hujus revelationis, & qvis ille futurus, item, qvomodo ecclesia vera a falsa, christianismus verus a simulato & antichristianismo discerni possit. Mox totius Apocalypseos divisionem ostendit genuinam, eamqve bimembrem: cujus altera pars continet septem epistolas, ad septem ecclesias Asiæ minoris, qvibus fata insinuantur earum, sicut ab initio sese habuerunt; altera vero complectitur capita reliqva, ubi qvo propius ad finem accedit, eo diductior est atqve explicatior. In singulis annotat, qvid evenerit, & sive futuris adhuc sæculis formam det, sive exempla illorum, qvæ Deus reprehendat, inqve ecclesia cupiat emendari, qvidve supersit, in solatium tamen piorum, ut animo semper præsenti atqve constanti reperiantur, ac velut in speculo lætam contueantur & exspectent catastrophen.

LETTERE DI GIAN PAOLO OLIVA, della Compagnia di Giesu, Tomo Primo.

sive

Epistolarum Joh. Pauli Olivæ, Soc. Jesu, Tomus Primus.

Romæ in 4. Bononiæ in 8. 1681.

Auctorem non *Jesuitam* tantum, sed et Societatis illius, per totum orbem multas ob causas famigeratissimæ, caput & *Præpositum Generalem* fuisse, satis norum est. Decessit admodum senex Romæ, æstate anni proxime præteriti. Experientia, in urbe tot excellentissimorum hominum sede, per multos annos, in negotiis gravissimis & variis acqvisita, etiam mediocre ingenium excolere potuisset: sed auctori reliqva etiam a natura & eruditione adminicula largiter adfuerunt, qvod vel ex epistolarum hoc Tomo, licet non magno, judicari haud

haud difficulter potest. Scriptæ sunt *lingva Italica*, numero 5654, interqve eas non paucæ ad summos Principes, magnosqve omnium ordinum viros; admiranda brevitate, maxima elegantia & concinnitate, aliisqve omnibus artificiis, sine affectatione tamen adhibitis, qvibus vel superiores demulceri, vel pares coli & commoveri, inferiores autem, prout res poscit, graviter aut comiter tractari possunt & debent. Sed præstat qvædam non vulgaria ex Præfatione, si non ab ipso auctore, certe a non mediocris eloqventiæ aut ingenii viro conscripta, referre. Narratur autem, Auctorem duodecim annorum spatio, neqve precibus amicorum, neqve superiorum auctoritate induci potuisse, ut in publicationem literarum suarum consentiret. Neqve enim decorum muneri Apostolici concionatoris, neqve ætati & professioni suæ conveniens putasse, ut chartarum diversissimarum chaos evulgaret. Ante annum etiam hujus seculi qvinqvagesimum exempla literarum non servasse, cum tamen annis validior, curis minus gravatus, & ingenio vegetior esset. Cessisse tandem minis amicorum, qvi dicerent, se post mortem ejus compilaturos & edituros, qvæ ad alios scripserit. Territum vero vel maxime fuisse infelicitate *Cardinalis Pallavicini*, cujus veneratio, aliis scriptis qvæsita, in commiserationem versa sit, cum post mortem ejus epistolæ nullo delectu fuissent publicatæ. Ne igitur suæ ederentur, in universum nempe & promiscue, coactum fuisse qvasdam edere; exemplo fere miserorum, qvi in vinculis se ipsos jugulant, ne palam cadant sub carnifice. pudori tamen suo consuluisse, qvantum licuerit, subtrahendo nimis familiares, aut qvas ingratas fore conjecisset; ideoqve multas jam revisas, imo & impressas laceravisse. Valde vero absonum visum esse ipsi, postqvam plus qvam viginti tomis, de rebus sacris, bibliothecas Societatis augmentasset, epistolas edere, materiæ non semper sanctæ aut seriæ, sed sæpe curiosæ, facetæ, certe humanæ. Deinde merito doluisse, qvod ex epistolarum voluminibus qvatuordecim, amanuensium calamo, per annos præfecturæ viginti collectis, in scriniis, secreti custodiendi causa, servari debeant, qvæ dictaverit; mandata dando, negotia expediendo, nodos solvendo, casus præveniendo, suspiciones diluendo, offensas amovendo, Principibus hoc illudve persvadendo, disciplinam servando, gloriam Dei promovendo: & adigi se patiatur ad edendas reliqvias & qvisqvilias, qvæ exhibeant responsiones ad gratulationes in festis, & oblata munuscula, qvæqve ad

mortes improvisas deplorandas, ad natales infantum celebrandos, ad eventus tristes aut lætos narrandos scripserit. Hoc esse folia præbere, fructus negare; pampinos offerre, uvas pedibus conculcare. Coactum vero ad hoc esse, atqve ita in Scyllæ scopulos illisum, ut voraginem Charybdis evitaret: solatia tamen cepisse ab exemplo celeberrimorum Ecclesiæ doctorum. Nam ut Ennodius Ticinensis Episcopus taceatur, qvi epistolas Rhetorico acumine, & ironiis pungentibus impleverit; Gregorium certe Nazianzenum, summum Theologum, Patriarcham, solitarium etiam, ad Celeusium Præfectum, ad Basilium, Amphilochium, Anisium, magnarum diœcesium Præsules, acutis sæpe jocis, eaqve affabilitate, delitiose aliqvando usum, ut theologiæ & infulæ oblitus videri possit. Augustinum qvandoqve ita scribere in epistolis, ac si sub umbra platani cum familiaribus sermones cæderet. Qvin ipsum etiam Hieronymum, lapide pectus tundentem, vultum cinere fœdantem, scorpiones lateri applicantem, gratias agere lepidissima eruditione Eustochio virgini, fructus in canistello, & flabella ad abigendos culices mittenti. Sidonii deniqve Apollinaris exemplum respexisse, cui epistolæ varii argumenti honorem mitræ, & nomen Sanctitatis non abstulerint: neqve impedierint, qvo minus is a Bellarmino inter sacros scriptores referatur, & in menologiis memoretur, Sperare igitur ex epistolis his, utut indifferentes materias continentibus, neqve ad clausstrorum solum disciplinam scriptis, hausturos esse viros etiam religiosos ideas aliqvas, qvibus uti possint ad insipida, qvæ evitari non semper qveunt, condienda. Optare sane ut epistolis conveniat dictum de arbore Apocal. 22. 2. *& folia ejus ad sanitatem gentium.* Additur in fine præfationis excusatio alia, de omissis temporum in editione hujus tomi notis, qvod auctor plerumqve diem & annum exemplis adscribere neglexerit, & autographa sine molestia & temporis jactura haberi & inspici non potuerint; meliorqve ordo in seqventibus tomis promittitur.

MEDULLA THEOLOGIÆ VETERIS TESTAMENTI Exegeticæ, Thetico-Polemicæ, ac Homileticæ; seu Epitome Bibliorum Regiorum, Criticorum, Exegeticorum & vindicatorum, quantum ad dicta Vet. Testam. classica numero CCCXXV. opera Johannis Thilonis, SS. Theol. L. & Lipsiæ ad D. Nicolai Ecclesiastis

Lipsiæ, 1683 in 4.

Cum

Cum *Matthæus Polus* insigne illud opus, qvod Synopsis Criticorum aliorumqve Biblicorum Interpretum inscribitur, indefesso studio elaborandum in se suscepisset, varias & qvandoqve haud leviter inter se pugnantes diversorum Auctorum sententias cordati Lectoris arbitrio potius dijudicandas relinqvere qvam suum ipsius judicium interponere maluit, sufficere ratus, si optimos qvosqve Scripturæ Interpretes in compendio & uno qvasi obtutu perlustrandos fideliter exhiberet.

Verum hanc methodum non satis tutam, sed scepticis fluctuationibus, præsertim apud eos, qvi nondum solida Theologiæ fundamenta posuerunt, fores aperturam Vir pl. Rev. L. *Johannes Thilo* Lipsiensis, patriæ suæ dignissimus, dum viveret, Ecclesiastes existimavit, eamqve ob causam in id incubuit, ut Theologiæ Studiosos contra illud periculum qvalicunqve præsidio muniret.

Hoc igitur consilio classica, qvæ vocant, S. Scripturæ dicta qvatuor sectionibus pertractare aggressus est, qvarum *prima* præcipuarum versionum collationem sistit, *altera* circa notas philologicas & exegeticas occupatur, *tertia* pro confirmandis fidei articulis & confutandis adversariis theses qvasdam Theologicas cum suis argumentis & vindiciis exponit, & *qvarta* denique usus locales, ut appellat, & homileticos subjungit. Sub finem additus est index variarum lectionum, qvæ circa Chaldaicam & Græcam horum dictorum versionem in Bibliis Regiis Antverpiensibus & Polyglottis Anglicanis deprehensæ fuerant.

Nihil autem in hoc Syntagmate desideramus, qvam qvod optimo Auctori medullam Novi Testamenti eadem methodo concinnare jam parato propositum suum & multorum vota ob mortis interventum implere haud licuerit.

CEREMONIES ET COUTUMES, QVI S' observent aujourdhui parmi les Juifs, traduites d' Italien de Leon de Modena, Rabin de Venise, par le Sieur de Simonville.

id est,

Ceremoniæ & Ritus, qvi observantur hodie inter Judæos, translati ex Italico LEONIS Mutinensis, Rabbini Veneti, per Dominum de Simonville.

Parisiis 1681. & Hagæ Com. 1682. in 12.

Rabbi

RAbbi *Leo de Modena*, qvæ Mutina olim dicebatur, conscripserat talica lingva exiguum librum *de Ritibus & Ceremoniis Judæorum hodiernis*; qvem cum non sine mendis 1637 Lutetiæ expressum videret, seqvente ipse anno Venetiis accuratiorem edidit, abscissis qvæ displicebant ex prima editione, aliisqve & melioribus in locum illorum surrogatis. Dignus liber Christianis visus fuit, qvi in alias qvoqve lingvas transfunderetur, ut a pluribus legi posset, qvemadmodum Anglicano sermone conversus Londini prodiit 1650; Gallice vero, uti ex Regio privilegio, hujus editionis parti secundæ annexo, apparet, 1674. Qvanqvam vero interpretis nomen in privilegio expressum non est, non alium tamen putamus esse, qvam qvi novæ nunc dedicationi ad Episcopum Meldensem subscripsit, sc. *Rich. Simonem*, h.e. celebrem illū auctorē *Critices Veteris Testamenti*, Aprili mense superioris anni a nobis delineatæ. Judaicus liber concisus & brevis est, novem octernionibus comprehensus; sed in qvinqve partes ita divisus, ut I Ædificia, Vestimenta, Synagogas, Precationes, Lotiones &c. II Lingvam, Studia, Vota, Ciborum genera: III Festos dies: IV. Matrimonium, Circumcisionem, Primogenituram: V. denique Hæreticos, Proselytos, Mortem, Sepulturam, Paradisum, Infernum, & his cognata referat. Interpres de suo adjecit præfationem satis amplam, qva meritissimos viros *Buxtorfios* nonnihil pungit, qvod in *Synagoga Judaica*, Pater qvidem sine ordine pleraqve tractaverit; Filius patris Teutonicum fœtum Latine editurus partem hujus Judaici libri suo inseruerit, eumqve imitari conatus sit, ut confusionem ex paterno scripto tolleret, sicut etiam multa in illo disjecta sub unum caput revocaverit. Itaqve in eo est præfationis auctor, ut Leonis parvum librum Buxtorfiano grandiori præferendum esse persvadeat, qvod nihil habeat superfluum, multa vero contineat, qvæ ne attigerint qvidem Buxtorfii. Deinde notitiam Judaicorum rituum ex usu commendat, qvem interpretandis S. Scripturis afferant: etiam Hispanicos Judæos tum pronunciatione, tum scriptione Hebraica præstare ceteris docet; cujus rei hanc causam reddit, qvod Hispania olim perfectissimos Grammaticos habuerit, sicut Gallia præstantiores Talmudistas. Hæc ex Præfatione. Ipsi libello interdum Notas interpres subjecit, qvibus cum alias res, tum præcipue Hebræas voces explicat. Qvintæ parti inseruit geminum de *Karaitis* & *Samaritanis* supplementum. Karaitis, adhuc in Occidente fere incognitis,

gnitis multa falso a Rabbinistis affingi, probat fide Commentarii in Pentateuchum, sub finem seculi XIII manu scripti, cujus auctor Karaita *Aaron Josephi filius* appellatur. Ex quo sibi constare ait, Karaitas universam V. T. Scripturam recipere, eamque per seipsam, & quidem secundum literalem sensum, explicare: traditiones non omnes respuere, sed incertas tantummodo, fabulosas, & ridiculas: in ceteris tam ritibus, quam doctrinis a Rabbinistis vel parum vel nihil differre. Altero supplemento ritus Samaritarum describit ex ipsorum ad Scaligerum epistolis, quarum Latinam versionem cum Antiquitatibus Orientalibus, Morino & aliis observatis, Londini 1682 excusam, mense Junio ejusdem anni p. 176 memoravimus. Addit de calumniis, quibus a Judæis Samaritani onerentur; de Pentateucho aliisque libris; & itidem de literis illorum ad Doctores Anglos missis, quarum ultimæ 1676 scriptæ Pontificis Samaritani mortem significent. Tandem quæstionem admiscet: An hodieque Samaritani vera sacrificia offerant, quod constare putat ex literis ad Scaligerum: dignum tamen æstimat, quod a peregrinantibus diligentius exploretur.

COMPARAISON DES CEREMONIES des Juifs & de la discipline de l'Eglise, par le Sieur de Simonville.

Comparatio Cerernoniarum Judaicarum cum Disciplina Ecclesiæ, per Dominum de Simonville.

Parisiis 1681 & Hagæ Com. 1682 in 12.

IN fronte auctor præscripsit, hunc librum instar *Supplementi* esse ad præcedentem Leonis de Modena. Eadem scilicet brevitate, capitibus XIX plurima pertractat ad religionem & ritus pertinentia. Tenax est cap. 1. hypothesis suæ, quam in Critica Sacra stabilire conatus est, principium credendi nō Scripturæ solum, sed & Traditioni asserendum. Quia tamen acris illa Christi in traditiones Judaicas censura difficultatem facit; remedium quærit in examine traditionum ad præscripta Vincentii Lerinensis. Cap. 2. agit de Theologia & Kabbala: Cap. 3. de morali utriusque religionis disciplina: Cap. 4. de legibus & auctoritate

magiſtrorum. Sed cap. 5. de comparatione Synedrii cum Pontificatu Romano, habet, qvæ fortaſſe non omnibus ſui ordinis probabuntur. Pontifici enim majorem poteſtatem non tribuit, qvam Principi Synedrii, qvi *Hannaſchi* dicebatur: Epiſcopis omnibus jus ſuffragii deciſivi vindicat: Eccleſiam non a Pontifice ejusqve curia, ſed ab univerſa Eccleſia ſimul ſumta repræſentari ſtatuit, cujus caput ſit Pontifex D. Petri ſucceſſor, qvi habeat prærogativam ſuffragii: neqve nunc dici poſſe, *Notus in Italia Deus*, ſicut olim vere dicebatur, *Notus in Judæa Deus*, dilatato per totum orbem Chriſtianiſmo. Superfluam etiam eſſe & & nullius fundamenti qvæſtionem, num Concilium ſit ſupra Papam, an Papa ſupra Concilium. Concilia enim ad Synedrii exemplum conſtare debere ex Papa, ut præſide; & Epiſcopis, ut presbyteris aſſidentibus: qvod ſi ſchiſma oriatur, aliter diſqvirendum eſſe. Capp. 6. & 7. Epiſcoporum officium comparat cum Capitibus ſive Præſidibus Synagogarum in urbibus: & ex eodem fundamento aſſignat Epiſcopo Presbyteros, qvorum ipſe primus ſit, & aliqvando καὶ ἐξοχὴν eodem nomine vocetur. Statuere igitur abſqve eorum conſilio nihil potuiſſe. Hodie Canonicos in presbyterorum ſive aſſeſſorum locum ſucceſſiſſe, ſed cantionibus fere ſacris occupari. Irridet auctores, præſertim Hiſpanos, qvi Cathedralium Eccleſiarum antiqvitatem ad Apoſtolorum tempora retrahant: tum nugas agere ait Carmelitas monachos in *novo ſuo Breviario*, ubi tradunt prophetas, Eliæ ſucceſſores, in monte Carmelo Eccleſiam B. Virgini exſtruxiſſe, hosqve prophetas Virginem inviſiſſe, & ab hac idem officium receptiſſe. Laudat veterem tam Synagogarum, qvam Cathedralium vel Epiſcopalium Eccleſiarum morem, qvæ Scholas ſynagogis & templis adjunxerint. Tridentinum qvidem Concilium de reſtituendis ejusmodi ſeminariis cogitaſſe, ſed alia plane eſſe, qvæ hodie Epiſcopi Galliæ inſtituant. Capp. 8. 9. 10. preces, benedictiones, & Feſta utriusqve eccleſiæ comparat. Capp. 11. & 12. Talmudici operis originem & uſum enarrat. Capp. 13. 14. 15. de libris Judæorum, qvibus vel in Synagogis, vel in ſtudiis privatis utantur, multa notabilia refert. Cap. 16. Hebraicæ lingvæ notitiam Theologis neceſſariam aut utilem cenſet. Cap. 17. methodum ad eam addiſcendam facilem oſtendit, commendatis Schickardi & Buxtorfii libellis Grammaticis. Capp. 18. & 19. de Liturgiis tam Judæorum, qvam Chriſtianorum ſatis ingenue agit, diſſentiens a Cardinale Bona, qvi Liturgias, Apoſtolorum nomine inſignitas,

gnitas, genuinas esse statuit, qvod auctor probari posse negat. Mutationes etiam Liturgiarum plurimas candide refert, fateturqve, Formulare seu Missale Romanum, *Franciscanorum* potius dici debere; cum ab his concinnatum, & a Nicolao III Pontifice promulgatum sit, & ægre, nec ab omnibus Ecclesiis, receptum. Ita brevi hoc tractatu multa continentur scitu & examine digna, nec operam perdet, qvi illum in Latinum sermonem traduxerit.

INDICES SYNTAGMATIS INSCRIPTIonum, a THOMA REINESIO collectarum & illustratarum, in modum SCALIGERO-GRUTERIANORUM adornati.

Lipsiæ, 1683. fol.

Quod superiori anno prodierat, in Actis Aprilis p. 89. recensitum, *Inscriptionum Antiquarum*, quas collegerat & Commentariis illustraverat THOMAS REINESIUS *Syntagma*, necessariis Indicibus destitutum fuit hactenus: non sine molestissimo desiderio eorum, qui hæc studia & monumenta litterarum colunt. Subveniendum igitur isti bibliopola ratus, ab harum Inscriptionum studioso *Indices* confieri postulavit. Qvi optimam rationem existimans, qvam invenit Smetius, postea autem perfecit summa diligentia & cura Scaliger, in vasto illo & admirando *Inscriptionum antiquarum totius Orbis Romani Corpore*; ut præcipua quæque & observatu in primis digna, per totum Opus qvomodolibet dispersa, in certas pro argumentorum varietate classes capitaque digereret, ad quæ singula ejusdem argumenti juxta litterarum ordinem referrentur; eandem tenuit: & *viginti qvatuor capitibus* eodem ordine, argumento, & modo, qvem Scaliger servavit, adornatis, velut totidem locis communibus, qvidqvid memorabile tam verborum & notarum, qvam rerum in Inscriptionibus occurreret, collectum digessit: ut tabulis his, ad calcem Syntagmatis apponendis, uno velut obtutu cernere liceat

Templa, Sacerdotes, Aras, simulacra Deorum,
Balnea, Aqvæductus, Septa, Theatra, Vias,
Sacra, Magistratus, Monimenta insculpta sepulcris,
Marmoreasqve omnes Urbis & Orbis opes.

L' AMBASSADEUR
oder Staats-Botschaffter/und deſſen hohe Staats-Verrichtungen.

De Legato ejusq; munere, Tractatus auctore Dn. de VVicqvefort; ex Gallico in Germanicum sermonem translatus a Joh. Leonhardo Sautero.

Lipsiæ & Francofurti, 1682 in 4.

ETsi post Franciscum Hotomannum, Albericum Gentilem, Hermannum Kirchnerum, Fridericum Marselaerum, Carolum Paschalium, varii de gravissimo Legati munere, dignitate, potestate, juribus ac privilegiis commentarios scribere aggressi sunt; tamen illi ceremoniarum solennia, qvæ Legatum maxime observare oportet, in illis tradere vel omiserunt, vel leviter saltem attigere. Itaqve, ut hanc philosophiæ civilis partem, ab aliis fere omissam, suppleret *Dn. de Wicqvefort*, in libro hoc suo laudabilem operam insumsit. Nam postqvam de jure legationis, legatorum divisione, statu, virtutibus, officio ac privilegiis, certas qvasi regulas proposuisset, easqve cum rationibus tum exemplis ex recenti aularum historia petitis confirmasset, jus illud ceremoniarum, per mores gentium cultiorum introductum copiosissime exsequi ac illustrare instituit. Qvæ cura ac industria Auctoris amplissimi, cum hac in parte fuerit singularis, pretium operæ se facturum putavit *D. Jo. Leonhardus Sauterus*, si librum hunc Gallico idiomate semel atqve iterum antehac publicatum, in Germanicam nostram lingvam transferret, ut, qvi Gallice nesciunt, eundem vernacula nostra expositum legere possint.

MYSTERIA CERERIS ET BACCHI, in vasculo ex uno Onyche Sereniss. & Reverendiss. Principis ac Domini, Dn. FERDINANDI ALBERTI, Ducis Brunsvicens. ac Luneburg. per Epistolam ad eundem evoluta, a Johanne Eggelingio, Reip. Brem. Secretario.

Bremæ, 1682. in 4.

Vasou-

TAB. IV.

TAB. IV.

VAsculum a sculptore hic exhibetur onychinum, idqve *Mantuanum* appellatum hactenus, qvod fortissimus Heros *Franciscus Albertus*, Dux Saxoniæ Inferioris, Cæsareæ tum temporis summus militiæ Dux, in expugnatione Mantuæ, a gregario ipsi milite qvodam oblatum, centum ducatis id redemerat. Nunc illud in Pinacotheca Serenissi. ac Reverendissi. Principis ac Domini, Dn. *Ferdinandi Alberti*, Ducis Brunsvicensis ac Lunæburgensis, Capituliqve apud Argentoratenses Evangelici Senioris, sancte asservatur, capsulæ viridi, holoserico intus & extus obductæ, funiculoqve argenteo cinctæ, inclusum. Nam eum solennibus testamenti tabulis id Princeps supra laudatus destinasset carissimæ conjugi, celsissimæ Principi ac Dominæ *Christinæ Margarethæ*, natæ Duci Mecklenburgi ac Gustrovii, hæc & ipsa per dispositionem testamentariam devolvi id cimelii ad Germanam suam unicam *Sophiam Elisabetham*, Ducem Brunsvicensem ac Gvelpherbytanam, voluit. Qvæ eum *Ferdinandi Alberti*, doctissimi Principis, fuerit mater, ipsi pretiosissimum hoc vasculum, (nam illud 150000 Imperialium pretio æstimatum esse accepimus) tanqvam aliqvod prælegatum, ut JCtorum filii vocant, assignavit. Vasculum ipsum tantæ magnitudinis est, qvanta ære expressa conspicitur ex onyche integro, cui parem Europa vix vidit, constans, &, res insculptas si contempleris, totius paganæ Theologiæ, seu superstitionis potius, compendiarium qvoddam mysterium complectens; jut non abs re censet *Joh. Henricus Eggelinus*, Reip. Bremensis Secretarius in Epistola ad Eundem celsissimum Principem *Ferdinandum Albertum*, qvi incomparabile hoc vasculum hodieqve possidet, perscripta. Cum enim is suam de hoc onyche exponere animi mentem fuisset jussus, ad nutum clementissimi Possessoris se componens, qvid de imaginibus ei insculptis sibi videatur, prolixa epistola, qvæ & typis publicis exscripta est, edisserüit. Est autem Eggelingio hoc Vasculum *Guttum*, qvo vinum guttatim in sacrificiis Gentilium svevit. Aliud enim vas est, qvo vinum præguſtabatur ante sacrificium, qvod *simpulum* dictum fuisse constat; aliud, qvo inter victimæ illud cornua deinceps effundebatur. Qvo tempore ac loco fabrefactum hoc Guttum fuerit, se dicere haud posse, ingenue profitetur. Ex Appiano tamen colligit, id Mithridatis fuisse Ponti Regis, a Pompejo Magno devicti ac triumphati. Nam in Talauris urbe ejus 2000 pocula *ex onyche* gemma facta, compactaqve auro inventa;

Pompejus etiam, ut refert Plinius, tertio triumpho, qvem Mithridate victo egit, primus in urbem *murrhina* induxit, primusqve sex pocula Jovi Capitolino dicavit. Mithridates præterea sacrorum, inprimis Bacchi, eodem Plinio teste, per omnem vitam fuit curiosus. Sed cum Guttum isthoc per binas aureas Zonas in tria segmenta, mediumqve horum in tres iterum classes satis conspicuas distingvatur, de singulis ordine suam exponit sententiam antiqvitatis gnarissimus Secretarius. In prima classe segmenti medii (ita enim vocat) qvæ Sacellum qvoddam repræsentat, qvatuor consistunt personæ, binæ majores, ac totidem minores. Illarum prima, qvæ vestita qvidem, sed dextrum humerum cum pectore & pedibus denudat, *Proserpina* ei est, sinistra manu floridum attollens papaver; altera, qvæ geminas faces tenet, *Ceres*, qvippe qvæ Proserpinam sibi a Plutone raptam facibus in Æthna accensis qvæsivisse per universam terram fertur; tertia fœmella in canistro poma præferens, *Pomona*; & qvarta masculus capite vittatus, ac cætera nudus, maritus Pomonæ, *Vertumnus*; qvia & hi Semidei grata ruricolis sint Numina. In secunda classe, qvæ lauro a prima distingvitur, qvatuor itidem personæ sistuntur. Harum prima Eggelingio est *Ceres*, sed in curru constituta, & dextra aliqvid prætendens, qvod in parte epistolæ mythologica muliebre organon esse existimat; secunda *Triptolemus* cum Cerere in curru stans, lorisqve serpentes duos alatos regens: fertur enim *Triptolemus* sationem a Cerere edoctus, accepto abs eadem curru cum alatis Draconibus, id beneficii gentibus celeriter omnibus patefecisse. Ante currum hujus procumbit *Bacchus*, isqve seminudus, & sinistra cistæ mysticæ resupinatæ, sed qvæ uvis plena est, innixus. Juvenis autem alatus supra Bacchum ei est *Zephyrus*, ex antro suo qvasi proruens, & *glebas*, ut Claudianus de eo, *fœcundo rore maritans*. In tertia classe qvaternarius personarum se offert alius, tres fœminæ videlicet, cum uno juvene, seu viro. Illæ Sacerdotes Græcæ sunt Eggelingio, eæqve ob verecundiam erga Deos vittatæ. Et prima qvidem dextra porcam offert, sinistra papaver. Cereri enim & sus & papaver, qvod & *Cereale* Virgilio dicitur, offerri consuevere; sus qvidem, qvia excavatis scrobibus terram convulsisset, papaver autem, qvod terram tum rotunditate, tum montium ac vallium inæqvalitate, tum seminibus innumerabilibus, sic censente qvidem Phornuto, scite repræsenter. Altera Sacerdos album hircum seu arietem adducit cornibus,

nibus, (nam & Cereri Virenti mactatus est Aries, teste Eupoli) læva phialam cum uvis ac piris adfert. Tertia sedens in canistro fructus genibus sustinet, dextra spicam. Juvenis, qvi propter ficum arborem fiscinam capite ficis aliisqve fructibus plenam gestat, Eggelingio videtur esse *Phytalus*. Huic enim Ceres, cum hospitio excepta ab eo esset, ficum plantam, ut Pausanias refert in Articis, elargita est. Sacris ipsis ita expositis, ad instrumenta pergit auctor, qvæ in inferiori vasculi zona sunt exhibita. Hic primum intuentibus occurrit calathus cum mappa, isqve panibus, ut Eggelingio videtur, repletus ex papavere forte confectis; dein binæ faces decussatim junctæ: nam facum in sacris Eleusiniis longe maximus fuit usus; porro canistrum aliud, sed qvod cognosci ob gemmæ foramen, qvod ad emittendum per aureum tubulum liqvorem spectabat, cognosci satis nō potest. Canistra enim in sacrificiis adhiberi solita, qvæ ex cannis, unde & dicta sunt, contexi mos erat. Seqvuntur Tibiæ, sacrificiis & ipsæ solennes, & facies Bacchi seu Apollinis, cui supposita est *Fistula disparibus septem compacta cicutis*. Conspiciuntur etiam in fundo (loqvimur ex mente Eggelingi) patera & urceolus, qvæ & ipsa ad solennem sacrificii ritum spectabant. Deniqve & saccus exprimitur fructibus refertus & cista mystica, cui draco insidet, & cui caput senile, qvod Sileni esse auctor autumat, est adsculptum. Additus est & fasciculus, isqve thyrsorum forte vel ferularum. In segmento superiori jugamentum lemniscatum conspicabile est, idqve ex implexis frondibus, floribus, pomis, frugum spicis, boumqve craniis contextum. Sed ne sic qvidem mandato Serenissimi Principis fecisse satis sibi visus est Eggelingius, nisi & mythologiam sacrorum horum subjungeret. Ostendit igitur in his sactis vetustissima ac maxima qvæqve Theosophiæ gentilis contineri. Nimirum cum Sole nihil pulchrius atqve utilius, terra nihil benignius advertissent Gentes, illum patrem, hanc matrem Deorum atqve hominum appellabant, variisqve nominibus ac cultibus ob varia beneficia venerabantur. *Bacchus* enim Sol est; cui serpens tribuatur, eo qvod corpora humana, infirmitatis pelle deposita, revirescere qvasi faciat; *Ceres* terra, mater fœcundissima, cujus fœcunditas non per organon tantum muliebre, sed & canistra fructibus repleta, nec non per frondes, flores, & crania boum (nam sine corruptione nulla fit generatio) denotetur. Deinde & qvatuor anni tempora ex qvatuor signis idem interpres elicit. Nam *Ceres* ve-

stita

ſtita & faces tenens *hyemem*; *Proſerpina* pectore ac pedibus denudata, & papaver manu geſtans, *ver floriferum*; *Vertumnus* nudus *æſtatem*; & *Pomona autumnum* ſignificare illi videntur. Imo & qvatuor Elementa ex aliis ſignis producit; per *Cererem* nempe *ternum*; per *Triptolemum*, noctu in ignem a Deo clam obrutum, *ignem*; per *Bacchum* a Nymphis educatum, *aqvam*; & per *Zephyrum acrem* indicari exiſtimans. Cæterum Bacchus ciſtæ myſticæ innixus ſceuritatis ruſticæ ipſi eſt ſymbolum; & Bacchus ſeminudus, morum in compotationibus detectio; nec non Sol de die terram illuſtrans, & de nocte ſe abſcondens.

* * * *

Et hæc illa Cereris & Bacchi ſunt myſteria, prout ex vaſculo illo onychino a clariſſimo Eggelingio ſunt evoluta. Nobis ſimile qvid in mentem ſtatim venit, ſimul atqve Onychem ære expreſſum conſpicere ſine evolutione Eggelingiana licuit. Et primum qvidem Thesmophoria, qvæ & ipſa in honorem Cereris erant inſtituta, expreſſa in eo cenſebamus; ſed re accuratius penſitata, ſacra Eleuſinia, μυστήρια κατ' ἐξοχήν dicta, & qvibus tota Græcia, imo orbe univerſo, nihil celebratius ſanctiusqve fuit habitum, ſic figurata eſſe deprehendimus. Neqve enim eadem Thesmophoria ſunt, id qvod multi exiſtimant, cum Eleuſiniis. Illa enim Cereri τῇ θεσμοφόρῳ, ob acceptas videlicet leges, celebrabantur; hæc in memoriam errantis ob raptam Proſerpinam Cereris, & inde acceptarum frugum. In his autem Eleuſiniis ſacris & memoria Bacchi, cui ſua alias peculiaria erant feſta, recolebatur, eo qvod, cum Cereris e Jove filius eſſet, una cum matre ſororem Proſerpinam apud Plutonem accenſa face qvæſiviſſet; unde & ſexto Eleuſiniorum die Jacchum myrto coronatum ac lampadophorũ producebant. Vide Joh. Meurs. *de Eleuſin. c. 28.* De cætero, qvamvis Delii hariolatoris nomine non indignum cenſeamus Eggelingium, diſſimulare tamen non poſſumus, nobis onychem hunc paulo fixius intuentibus diverſas ab illo conjecturas circa imagines qvasdam fuiſſe obnatas. Ac primum qvidem impetrare a nobis non potuimus, ut crederemus, *Vertumnum* & *Pomonam*, qvamvis minorum gentium Deos, in tam exigua ſtatura fuiſſe repræſentatos. Nobis initiati videntur duo ſic exprimi. Qvi enim myſteriorum horum participes fiebant, in ſacello qvodam exiguo illis initiabantur. Athenienſes autem his myſteriis etiam liberos ſuos adhuc pueros initiari certo tempore curabant. Sed cur nudus, inqvies, alter

tam

conſpicitur? Forte, qvia veſtem ſuam, qva initiatus fuerat, jam laceratam Cereri ac Proſerpinæ dedicarat. Initiati enim, qva tum veſte amicti erant, eam nonniſi longo uſu detritam deponebant, depoſitamqve Cereri ac Proſerpinæ conſecrabant; qvod ex Ariſtophanis Scholiaſte *Meurſius* in libro jam allegato *c. 12* luculenter docet. Adde, qvod denudatio corporum in ſacris Eleuſiniis fuerit longe freqventiſſima. Qvod Cererem in altera claſſe exhibitam attinet, ea vas muliebre manu prehendere creditur. Sed virile nos, niſi ſculptor aut oculus nos fallit, agnoſcimus. Neqve id præter morem ſacrorum horum. Nam, ut teſtatur Tertullianus adverſus Valent. c. 1, *in ſacris illius* (Cereris) *ſimulacrum membri virilis revelatur*; qvanqvam pro muliebri vel ea ſæ loqvuntur, qvæ Clemens Alexandrinus in Paræneticô, & Arnobius Lib. V adverſus Gentes de detecto Baubonis pudendo, tanqvam gratiſſimo Cereri ſpectaculo, referunt. Et qvis neſcit, ſacra Eleuſinia celebrari obſcæniſſima licentia qvadam conſveviſſe? In tertia claſſe fœmina illa tertia, qvæ propter ficum in ſaxo ſedet, ſacerdos eſt Eggelingio, ſed nobis videtur *Ceres*. Nam uti in prima claſſe ut facem gerens, & in altera ut Triptolemum in curru inſtruens, ita in tertia in ſaxo ſedens ac reqviescens effomata eſt. Nam Ceres in ſacris Eleuſiniis τὸ πάνυσα eſt. Neqve cauſæ qvid obſtat, qvo minus & hanc fœminam agnoſcamus Cererem. Spicam certe, præter caniſtrum fructifetum, in genibus repoſitum dextra ſuſtinet, qvæ perpetuum Cereris in nummis inſigne eſt; & ſpicam qvidem, ut videtur, hordeaceam. Nam hordeum cummaxime in ſacris Eleuſiniis, præter molam & liba, adhibebatur, idqve in campo Rharia natum. Nec aliud certaminis Eleuſinii, qvod ſeptimo die inſtituebatur, erat præmium, qvam hordeum, qvippe primum Eleuſine natum. *V. Meurſ. l. c. c. 28.* Accedit, qvod cum Ceres Proſerpinam qværens Athenas perveniſſet, a Celeo hoſpitio excepta in ſaxo reſpiravit. Sic enim *Ovid. lib. IV Faſtorum*;

Sic venit ad portus Attica terra tuos;
Hic primum ſedit gelido mœſtiſſima ſaxo,
Illud Cecropidæ nunc qvoqve triſte vocant.
Sub Jove duravit multis immota diebus,
Et lunæ patiens, & pluvialis aqvæ;
Sors ſua cuiqve loco eſt, qvi nunc Cerealis Eleuſis
Dicitur, hæc Celei rura fuere ſenis.

Sed & hæc conjectura est, qvam nemini obtrudimus. Ad pedamentum vasculi ut descendamus, faces primum conspiciuntur, decussatim positæ, eæqve majores. Nam qvinto Eleusiniorum die faces Cereri dicabant Athenienses, deqve magnitudine invicem concertabant. *V. Meurs. l. c. c. 26.* Facies illa, qvæ medio loco exhibetur, nobis Bacchi videtur, non Apollinis, qvodqve capiti suppositum est, non fistula ex septem cicutis compacta, qvæ Pani tribuitur, sed fasciculus fistularum duobus ligamentis constrictus. Nam Bacchus una cum Cerere invenisse fruges, & cum validissimo exercitu magnoqve tibiarum fistularumqve concentu peragrasse orbem, & agriculturam docuisse mortales fuit creditus. V. *Nat. Comes Mythol. L. V, c. 14.* In fundo jacent duæ πλημοχόαι inversæ h. e. vasa fictilia ad turbinis figuram accedentia, leviterqve in fundo compressa, qvibus nono Eleusiniorum die Athenienses utebantur, unde & hic ipse dies πλημοχόης nomen retulit. Nam qvod patera videtur esse Eggelingio, nobis est pars inferior alterius πλημοχόης. Nono enim ultimoqve mysteriorum die binas plemochoas implebant, unamqve ad ortum, alteram ad occasum statuebant, tandemqve utramqve, mystica aliqvot verba præfati, evertebant. V. *Meurs. l. c. c. 30.* Restat, præter saccum malis punicis plenum, cista mystica, cujusmodi circumferri in sacris Eleusiniis solebant. Nec aliter Ceres Ægyptiis culta sub Isidis nomine. Ita enim *Apulejus lib. XI Metamorph. Ferebatur ab alio cista secretorum capax penitus celatis opera magnificæ religionis.* Erant autem in illa, ut Clemens refert in Protreptico, reconditæ sesamides, pyramides, lanæ elaboratæ, liba multis distincta umbilicis, micæ aliqvot salis, draco, mala punica, corda (in Græcis est καρδίαι, sed Reinesius Var. Lect. lib. 1, c. 23, substituit κράδαι, & exponit, *rami ficulni, cacumina ramorum*, συκῆς ἀκρεμόνες; nos legeremus, κράθαι *borde*, ob causam paulo ante adductam) ferula, hederæ, placentæ & papavera. Dixerimus hunc qvoqve morem κακοζηλίαν fuisse Diabolicam, simiamqve DEI his ipsis cistis mysticis Arcam illam Fœderis (in qva tabulæ lapideæ, decem præcepta Dei digito scripta continentes, aurea item urna habens Manna, virga Aaronis qvæ floruerat, & liber Deuteronomii servabantur) imitari apud paganos voluisse. Sed qvid sibi vult Draco cistæ insidens? & qvid caput barbatum eidem adsculptum? Serpens alias anni vertentis semper fuit hieroglyphicum. V. *Pier. Valer.*

Valer. Hieroglyph. lib. 14, c. 4, & 7. Recte igitur serpentes tribuuntur Cereri seu Terræ, qvia qvotannis fert fruges, recte & Baccho seu Soli, qvi & serpere Lucretio dicitur:

Annua Sol in qvo contundit tempora serpens.

Caput autem barbatum aut Saturni est, qvem Ceres Patrem habuit (nam in sacris Eleusiniis major, qvam Bacchi, ejusqve pædagogi Sileni habenda ratio,) aut Æsculapii, qvem βαθυπώγωνα fuisse Lucianus in Jove Tragœdo tradit. Nam octavus Eleusiniorum dies ἐπιδαύρια dictus in honorem Æsculapii, qvi Epidauro Athenas, ut sacris initiaretur, advenerat. Æsculapio autem Draco fuit dicatus; Cujus fabulæ mythologiam si excutias, redit eadem cœli anniqve, de qva modo diximus, circularis revolutio. Cum enim Æsculapius, Apollinis filius, nihil aliud sit, qvam aer a Sole temperatus ac salubris redditus, hanc salubritatem Sol (sunt verba *Natalis Comitis lib. 4, c. 11*) *per anniversarias sui cursus conversiones, vicissitudinesqve caloris ac frigoris, hominibus impertit.* Nec aliam ob causam duo serpentes Æsculapii amplecti alibi cernuntur baculum, qvam *qvia Sol, e qvo ipse nascitur, qvasi senectutem deponens, incipit a principio aëris vires resumere, donec ad cancrum perveniat, atqve cum illo multa & herbarum & animalium genera vires resumunt.* V. *Nat. Com. l. c.* Sed hæc conjecisse sufficiat. Oculatiores forte erunt alii, qvibus aut major eruditionis antiqvæ est apparatus, aut qvibus vasculum ipsum inspicere licuerit.

AUGUSTI BUCHNERI ORATIONUM Academicarum Volumen Secundum,

Festas continens.

Dresdæ, 1682. in 4.

Cum plures Poetæ pariter atqve Oratores, tum superiori tum nostra ætate extiterint, qvi, si non superarunt veteres, certe æqvarunt aut proxime attigerunt illorum gloriam, vel principe inter hos loco constituendus venit *Augustus Buchnerus*, Poeta atqve Orator Academiæ Wittebergensis non intra Germaniæ tantum fines, sed apud exteros qvoqve longe celebratissimus, isqve Dresdæ d. 2 Nov. 1591 natus, & Wittebergæ d. 12 Feb. 1661 vivis ereptus. Et meritissimo qvidem suo. Erat enim Varro sui temporis, & cum reliqvis politioris literaturæ

ſapientiæ qve veteris præſidiis inſtructus largiter, tum terſo cumprimis ac numeroſo dicendi genere plane admirabilis. Nam uti optimos qvosqve aureæ illius ætatis Scriptores vaſto animo fuerat complexus, ita intra ſcriptitabat aurea, imo auro contra chara, & latiniſſimis Scriptorum veterum monumentis comparanda dicam, an præferenda? Poſteaqvam igitur emiſſis in orbem literarium limatiſſimis ſcriptis legentium qvorumqve animos velut iyngibus attraxiſſet, inſatiabili qvadam cupiditate, qvicqvid tum in proſa tum in verſa ab eo erat compoſitum, ab eruditioribus fuit expetitum. Collectæ itaqve abs digniſſimo ejus & genero & ſucceſſore Ottone Prætorio *Orationes Panegyricæ & Orationes Funebres*, & A. 1669 Wittebergæ in lucem publicam emiſſæ. Collectæ etiam ante qvadriennium ejus *Epiſtolæ* ad Illuſtriſſimos Heroas clariſſimosqve viros ſcriptæ, eæqve in duo volumina redactæ. Recuſæ etiam Francofurti & Lipſiæ 1679 *Diſſertationes Academicæ* in 4, qvæ duobus ante libris in 8 comprehenſæ, auctore adhuc vivo prodierant. Sed *Feſtæ* adhuc deſiderabantur, h. e. illæ, qvæ tum Catharinalibus ſeu feſto Facult. Philoſ. in Acad. Witteb. die, tum in ſolenni Magiſtrorum promotione, tam ab aliis, (nam & ea problemata, qvæ Magiſtri noviter creati pronunciarunt, elaboravit) qvam ab ipſo diſſertiſſimo Viro fuerant recitatæ. Igitur & illæ tandem blattis tineisqve ereptæ, & cura induſtriaqve Mart. Gabrielis Hubneri, qvi & reliqvis Buchnerianis libris obſtetricantes manus adhibuit, adhibebitqve ulterius, in Electorali Dresda publicatæ. Hæ Feſtæ Orationes, numero XXIII, ſi genus dicendi ſpectes, non cothurnatæ ſunt omnes æqve ac Panegyricæ volumine primo compræhenſæ, at latiniſſimæ tamen, & ſvaviſſimo omnigenæ conditionis nectare voluti irrigatæ. Sunt enim & argumenta illarum varia, qvæ breviter non percenſere non poſſumus. In *I* diſſerit Orator de Statuis Magico ritu conſecratis, ubi varia de Iyngibus & Rhombis Magicis Scriptorum loca explanantur; in II de Imaginibus, in qva Baronium potiſſime, antiqvitatem Imaginum in Annalibus hinc inde propugnantem, ſcite atqve erudite confutat. In *III* id qvæſtionis ventilat, num nomina Idolorum inſerenda ſint carminibus? Ita autem cenſet, abſtinendum Chriſtiano penitus Deorum nominibus, majorum qvidem, qvos vocant, gentium præcipue, niſi aliqva urgeat neceſſitas, reliqvorum autem non niſi rariſſime & caute, & cum accurato delectu per tropologiam aliqvam, neutrorum autem cum a-

liqvo

liqvo divinitatis elogio utendum esse. In IV problematice qværitur, qvid dicendum de Sidonio, Ennodio, Ausonio, allisqve, qvi Joves, Martes, Phœbos, Apollines, Minervas, Veneres, Parcas, Nereides, Charitas, Musas, sua ingredi carmina sunt passi. In V reprehendit, qvi Deorum nomina secure ac perliceenter usurpant; absolvit tamen, qvi & parce, & sobrie, & cum judicio sibi id permittunt. Addit, cautione olim ea in re fuisse opus, eo qvod in medio paganismo Ecclesia fuerit constituta; hodie nihil tale magnopere extimescendum, cum in tanta veritatis luce nemo his nominibus offendatur. Nihil itaqve impedire, qvo minus in profano carmine Martem pro furore, Bacchum pro ebrietate vel vino dicamus; sed in carminibus sacris, & cum de fidei nostræ mysteriis loqvendum, omnino ab illis abstinendum. In VI agit de Mimica Diaboli, qva cultum Dei sibi vendicavit, tum personas sanctas, tum res ac ceremonias populi Judaici imitatus. Dicit enim Diabolum imitatum esse Mathusalemum in Nestore trisecliscne, Noachum in Baccho, Mosen in Zoroastre, Simsonem in Hercule, Christum a Prophetis prædictum in Phœbo, Baccho bimatre, Æsculapio & Bellerophonte. Deinde repræsentasse Urim & Thumim in Oraculis, Hammonio & Dodonæo, Hierosolymitanum templum in Delphico, vestes item Sacerdotum candidas & lineas, lotionem ante rem divinam, integras & sine labe hostias, primitias frugum, decimas, sacros panes, abstinentiam a sangvine animalium, jejunia & res sacras oleo perfusas. In Orat. VII totus est occupatus in Eusebio Pamphilo refellendo, qvi in Constantini Oratione auctoritatem Sibyllinorum carminum ex qvarta Virgilii Ecloga adstruit, & ex Poeta hoc Prophetam facit. In VIII locum in tit 18, L. 6, Cod. de *Mathematicis* exponit, ostenditqve 1, non alios intelligi hac voce, qvam Astrologos, qvi ex nativitatibus hominum & observatione stellarum futura monent; 2, hoc Astrologiæ genus Romanis legibus damnatum semper ac severissime fuisse prohibitum. In IX ex professo agit de Prudentia temporum seu recognoscentia illorum atqve observantia, qvam novo vocabulo *discretionem* Itali, rectius *discernentiam* dicerent. Intelligit autem excellentem illam animi virtutem, qvæ momenta omnia temporum, locorum, rerum, ne minutissima qvidem negligens, acute dispicit, perite æstimat, solerter discutit, subductisqve rationibus callide statuit, qvid agendum, qvid omittendum, qvod prius, qvod posterius, & qvo commodissime

disſime & efficacisſime tractandum modo. In X, qvæ inſcripta eſt de docendi munere, id potius diſceptatur, utrum parentes magis qvam præceptores revereri atqve obſervare oporteat; ſed tandem cum multa tum de parentibus tum magiſtris magnifice ac vere prædicaſſet, non poſtponendos præceptoribus parentes cenſet, illos puta, qvi liberos a ſe procreatos cum cura atqve ſolicitudine educant, inſtituendosqve aliis tradunt. In XI qværitur, an recte mentem Platonis damnaverit Themiſtius Peripateticus, qvod eos populi Rectores conſtituendos eſſe dixiſſet, qvi eſſent Philoſophi aut certe philoſopharentur. Dixerat enim Themiſtius, Platonem hanc ſententiam periculoſe admodum enunciaſſe, laudaveratqve meliorem Ariſtotelis ſententiam, qvi non philoſophandum eſſe principi, at philoſophos tamen in conſilium adhibendos ab illo eſſe pronunciaverat. In XII negat 1, periculoſe locutum fuiſſe Platonem; neqve enim eos ab illo intelligi Philoſophos, qvi concluſiones argute nectant, & magna volubilitate lingvæ de vero & falſo, de honeſto & turpi diſputent, cætera nihil eorum facientes, qvæ præcipiant; hos enim Sophiſtas eſſe Platoni atqve Aretalogos, ſed qvi juſte, moderate, fortiter atqve prudenter agant, & officia vivendi, qvæ ſcirent, non omitterent. 2 y negat, meliorem hac in re Ariſtotelis eſſe ſententiam. Satius enim eſſe, ſi & ipſe ſapiat princeps, atqve ad lancem vocet ſuggeſta ab aliis atqve diſpiciat. In Orat. XIII diſqviritur: Utrumne in Oratione latina exotica ſeu peregrina, Græca puta & alia admiſceri cum laude poſſint. In XIV reſpondetur, nec abſtinendum plane externis vocabulis, nec nimis indulgendum, & cum judicio ac delectu adhibenda eſſe. Poſſe v. g. uſurpari in epiſtola ad Amicos Eruditos ſcribenda, in Comœdia, Satyris & Epigrammatis, in diſſertationibus item Philoſophicis ac Theologicis, ſed neceſſitatis, aut doctrinæ, non oſtentationis cauſa. In ſeriis autem operibus atqve orationibus præſertim, in Heroicis etiam Carminibus & Trágœdiis, aut abſtinendum prorſus a Græcis, aut certe ratiſſime parciſſimeqve illis utendum. In XV qværitur, an Hiſtorici, qvi operibus ſuis interſerere conciones ſolent, improbandi ſint vel approbandi? In XVI reſpondet, non deculpandos eſſe Hiſtoricos, ſiin orationibus id genus ingenii vim & artificium dicendi exerant, cum Hiſtoria Eloqventiæ ſit opus; Hiſtoricos etiam non delectare tantum, ſed & inſigniter prodeſſe, dum præclaros conceptus de rebus ſuppeditent, graviſſimasqve rationes & conſilia de

rebus

rebus maximi momenti elegantiidoneaqve oratione exprimant. In XVII hoc *Ζήτημα* proponitur; num accusandi vel castrandi veniant historici principum vitia sceleraqve enarrantes, eo qvod majestatem principum polluere, pudori offendere & integritatem legentium corrumpere videantur. In XVIII contendit Orator, non dissimulandas esse hallucinationes atqve enormitates principum; cum veritas omnis historiæ fundamentum, speculiqve instar esse debeat, qvod non decora tantum & elegantias, sed nævos atqve verrucas in homine exhibeat; finem præterea historicorum esse, ut componendo virtutes & vitia, illarum amorem ac studium, horum fugam atqve odium animis inculcent; idemqve factum in sacris literis, multorum libidines, adulteria, incestus aliaqve scelera referentibus. In XIX qværitur, 1 an Cæsar ita sit dictus, qvod ex utero sit cæsus, ut Suidas. Cedrenus atqve Etymologicum magnum refert. 2 cur Claudianus principem distingvat a Cæsare, cum Cæsaris tamen appellatio eandem, qvam Principis vox, potestatem designet? In XX enarratis variis de voce Cæsaris sententiis, refellit Græcorum adductorum fidem, ostenditqve, non Julium primitus sic dictum, sed ante ipsum longe plures ex gente Julia. 2 apud Claudianum, Cæsarem non alium esse qvam Candidatum Imperii seu designatum ejus hæredem, nec aliter differre Principem ibi a Cæsare, qvam Imperatorem hodie a Rege Romanorum. In XXI qværitur, num Misnia dicta sit a Misna rivo, secundum Detmarum, Episcopum Martisburgensem, an a missionariis militibus hic collocatis, secundum Radericum, an a Mysis, populo antiqvissimo, secundum Melanchthonem, Peucerum, Reinecciumatqve Albinum? In XXII exposa primum & prolixe qvidem sententia Philippo-Reinecciana, ac deinde Radeviciana, Detmarianam amplectitur, Misniam ab amniculo Misna denuncupatam, cum & aliæ clarissimæ urbes ab obscuris fluviolis sortitæ nomen, & Detmarus loco & tempore fuerit Misenæ proximus, Martisburgo qvippe residens & 41 annis post Misenam conditam natus. Additur tandem Festis, hisce orationibus Oratio XXIII tanqvam pulchertimum corollarium, Oratio inqvam de Pace ab illustrissimo Heroe H. a F. A. 1641 scripta, cui & Index rerum in hoc volumine contentarum subjungitur.

JACO-

JACOBI THOMASII ORATIONES argumenti varii.

Lipsiæ, 1683. in 8.

APem Atticam Xenophontem, alterum illud cum Platone Socraticæ amœnitatis lumen, ob mirificam eamqve inaffectatam jucunditatem dictum olim fuisse accepimus. Nos eodem jure Apem Philuræam salutare nunc possumus *Jacobum Thomasium*, Philosophum atqve Oratorem Academiæ hujus, qvam patriam agnoscit, famosissimum. Is enim uti apis fedulæ instar per floriferos scriptorum omnis generis volitavit saltus, ita libavit in illis omnia, & incredibili diligentia, qvicqvid mellificio suo inservire unqvam-usqvam est visum, in cellulas suas, qvas plurimas habet, constipavit. Nec alia ejus dictio est, qvam Xenophontea h. e. mellea, & ab ipsis Musis velut instillata. Loqvuntur id præter *Præfationes* superiore anno editas, *Orationes* ejusdem luci publicæ nunc nuper expositæ, eæqve juxta seriem temporum, qvibus habitæ sunt, ordinatæ, & doctissimis hinc inde scholiis illustratæ. Has numero XXI in duas classes partitur Auctor ipse in præfatione ad Lectorem, in *septem* videlicet *juveniles priores*, & *XIV viriles reliqvas*, &, posteriores hasce qvod attinet, harum argumenta partim ab ipsis temporibus fuisse imperata scribit, partim ab ipsomet liberrime fuisse lecta, qvoties videlicet cunqve Orationis aliqvid in honoribus Philosophicis conferendis pronunciandum ipsi fuerit. Qvod si priores percurras cum reliqvis, earum alias Historicas, alias Philosophicas, alias Theologicas, qvoad materiam primariam, esse videas. Historicæ sunt XI de Regibus Poloniæ, IV de Augusto, Electore Saxoniæ, VI de Mauritio El. Sax. VII de Christiano I, V de Christiano II, X de Georgio, Principe Anhaltino, it. XIV de Alexandro Alesio natione Scoto, & Lipsiensi Theologo, cujus vita a nemine antehac, qvod sciamus, memoriæ fuit prodita, & XVI de Jacobo Wellero, magno illo Saxoniæ Theologo, nec non II de disputatione Lipsica Lutheri cum Eccio, & XIX de congressu Lutheri cum Cardinale Cajetano. Philosophici argumenti sunt: IIX de Felicitate Literatorum, IX pro Aristotele habita, negante idoneum Ethicæ auditorem esse juvenem, XII de Secta Nominalium, XIII de Ideis Platonicis exemplaribus, XV de Syncretismo Peripaticæ

ripatetico (qvanqvam hæ tres ad hiſtoricas qvoq; ob hiſtoriam, qvam ſpirant, Philoſophicam referri qveunt) XX illorum errori oppoſita, qvi præexiſtentiam animarum humanarum adſtruunt, & XXI de præſtantia vitæ Theoreticæ. Θεολογικωτέραι ſunt: Oſtendens, myſterium SS. Trinitatis ex ratione, clauſo Scripturæ ſacræ libro, ductu luminis naturalis cognoſci haud poſſe ac demonſtrari; III de potentia Angelorum, XVII Euchariſtica pro pace Turcica, & XIIX de Indulgentiis Pontificiis, earumqve expugnatione. Deeſt orationibus his terſiſſimis juxtim atqve eruditiſſimis non minus, qvam *Præfationibus*, Index rerum notabilium neceſſarius. Sed in eo jam nonnemo eſt, ut indicem utriqve libello adjiciat, eumqve poſtea literato cum orbe communicet; id qvod non præſignificare Lectoribus hic loci non poſſumus.

OBSERVATIO ATQVE EXPERIMENta circa uſum Spiritus Vini externum, in hæmorrhagiis ſiſtendis.

NEminem illorum, qvos inventa hujus ſeculi Phyſica atqve Medica ſollicitos tenent, uſus *Liqvoris* illius *ſtyptici* latet, qvem Colonellus qvidam Gallus *Vivient* dictus, ſuperioribus annis invenit, qviq; per Galliam, Angliam, Daniam, Germaniam aliasqve provincias, non ſine Inventoris ſingulari fama, & marſupii turgeſcentia circumlatus fuit, ita qvidem, ut hoc per varios ſucceſſus comprobato, remedii hujus conficiendi rationem Potentiſſimus Magnæ Britanniæ Rex 5000 Imperialibus comparaverit. Ex vitriolo & alumine medicamentum hoc conſtare, pleriqve augurabantur; an bene, vel male, impræſentiarum haud diſqviram: licet, qvem ante octennium circiter ex gratioſa manu Generoſiſſimi cujusdam Viri, cum ſumma aſſeveratione, eum ab ipſo Inventore Gallo immediate prodire, acceperam, Liqvor per varias circumſtantias ingredientia hæc teſtaretur. Aſt cum ſangvinem in grumum condenſando, & obiee hoc vaſa ſauciata ſeu lacerata obturando illum ſtypticam virtutem exerere, multi tunc temporis aſſererent, ſimileqve ex illius applicatione mihi qvoqve phænomenon conſpicere contingeret: cogitabam annon Spiritus vini qvoqve idem præſtare, i.e. fluxus ſangvinis compeſcere poſſet? Obſervabunt ſiqvidem mecum cuncti, qvi experimenta phyſica non abhorrent; aut forſan me haud monitore obſervarunt, ſpiritum illum ſulphureum, ſangvinem, qvem

excipit fluidisſimum e vena eductum, coagulare, ſeu in grumum ſpiſſum maxime, & carnem compactiorem referentem, cogere; ut illius potentiæ coagulatoriæ taceam, qvam in bilem qvoqve exerere, mechanica docet: adeoqve non plane paradoxam theoriam illam meam judicabunt, qva ſimili modo eundem in ſanginem vitalem qvoqve forſan acturum, i.e. hujus aliqvam portionem coagulaturum, hinc hæmorrhagias vulnerum, vaſorum etiam notabiliorum, ſtituram, augurabar. Dum autem & hic experiebar, rationem ſine experientia, pariter ac navim ſine rectore fluctuare & a dubiorum infinitorum procellis agitari, varia in canibus hunc in finem adornabam experimenta, horumqve vaſa non tantum minora, v. g. in tibia, ſed majora qvoqve, ſc. cruralia & jugularia, venoſa æqve ac arterioſa, aliqvando arteriam ſolam, interdum ejus ſociam venam ſimul, modo ſecundum longitudinem findebam, modo transverſim reſecabam; & a ſola Spiritus vini ad pauca momentula applicatione conſtipabantur hæc, ſangvisqve ſtabat, ac nunqvam expectationi ſucceſſus haud reſpondebat. Qvamvis autem nec in diſcindendis ac lacerandis vaſis, nec in applicando ſtegnotico una eademqve ratione me uſum fuiſſe recorder, nihilominus repetitis tentaminibus cuncta removere dubia cunctasqve penitus explorare circumſtantias haud detrectavi, inter operandum ſeqventes obſervans encheiriſes. Sc. *primo*, ſufficienter ac probe removi integumenta externa, cutem ſc. cum pingvedine, &, qvi interdum obſtabant, muſculis, ut nuda conſpicerentur vaſa diſcindenda, neqve illorum moles aut contractio hæc aperta comprimendo, obſtruendo, aut qvocunqve modo obturando id præſtarent, qvod liqvori meo adſcripſiſſem. *Deinde* ſecundum longitudinem freqventius, rarius per transverſum, vaſa ſauciavi, pariter ne horum extrema vel ſpaſmis propriis corrugata, vel a partibus adjacentibus, in qvas retrahuntur, compreſſa, ſine ullius etiam medicaminis uſu, hæmorrhagiam ſupprimerent: qvemadmodum ex Chirurgia notum hic ſuppono vaſorum in partibus muſculoſis laceratorum, hinc hæmorrhagiæ remedium, ſc. ut reliqvis cunctis irritis illa per transverſum diſcindantur. Fiſſuras tamen has *tertio* ſatis longas, & nuperrime in vena jugulari externa, qva in cane longe eſt interna major, harum unam digiti latitudinem æqvantem paravi, deſiderato tamen cum ſucceſſu. *Qvarto* in applicatione Spiritus vini ita me geſſi, ut prius aliqvid ſangvinis, qvi de vera vaſis laceratione teſtare-

tur,

tur, emiserim; hinc, sine ulla vel arteriæ in parte superiore, vel venæ in inferiore, compressione, splenium, modo simplex, modo duplex, liqvore illo imbutum, plagæ imposuerim, digitis vel propriis vel ab uno adstantium mutuatis hoc qvam levissime apprimendo, i. e. vix potentiorem, qvam qvæ pulsui explorando solennis, compressionem adhibendo. *Qvinto* fluxu sedato, interdum animal cum plumaceolis iisdem, cum Spiritu vini de novo imprægnatis, & fasciis commodis deligavi, ac per aliqvot horas qvietum detineri curavi: crebrius tamen sine ulla fasciatione dimisi, ne stillicidium qvidem sangvinis in eo observans, ut ut varie se volutaret, ambularet &c. *Tandem* ultra qvadrantis horæ spatium me compressionem liqvorisqve admotionem nunqvam continuasse, testabuntur, qvi obstetricantes manus his meis experimentis commodarunt; imo post pauca horæ minuta sæpius ad deambulandum martyres hos chirurgicos dimisisse, memini: semper Spiritum vini magis dephlegmatum celerioris efficaciæ deprehendens.

Ast de Experimenti fide certo modum qvoqve operandi indagare placuit, i. e. an Spiritus vini, prout qvidem olim opinabar, sangvinem congrumando, an vasa potius constringendo, effectum illum præstaret? Ubi remotis plagulis circa vulnus vix me unqvam aliqvid coaguli sangvinei vidisse recordor: qvid tamen proxime superioribus diebus in cane, cujus primo arteriæ cruralis, statim sub abdomine, truncum, & hac constipata postmodum venam jugularem externam aperueram, qvemqve his factis mox strangulari curaveram, deprehenderim, referre lubet. Nempe post trihorium sufficienter lustrata plaga consolidata, nulloqve circa hoc viso grumo, per superiorem & intra abdomen reconditam partem immittebam stylum, tentaturus, an hic ad inferiora detrusus vulnus vasis rumperet: ast qvamvis eum sursum ac deorsum agerem, sine laceratione tamen, qvam metuebam, hoc contingebat. Aperiebam arteriæ ejusdem partem inferiorem, ut per hanc styli prodiret apex globosus, qvi tamen nullum sangvinis grumulum protrudebat. Hinc locum ipsum affectum, qvi reliqva arteriæ parte durior & rubedinis obscurioris erat, incidebam: nec intra labia, nec meatum hujus aliqvid sangvinis deprehendi. Venæ jugularis vulnus, pariter nulla grumositate externa stipatum, ab immisso a parte superiore stylo promptius hiscebat, forsan, vel qvod Spiritus vini contactum brevius longe, ac arteria dicta, sustinuerat, vel qvod tenuior longe existe-

ret ejus ſubſtantia, vel impetuoſius forſan inſtrumentum adigeretur: per vulnus autem recrudeſcens cum ſangvine fluido tantillum qvoqve congelati prodibat, qvem effectum Spiritus vini ſuſpicatus fuiſſem, niſi mox in aliis partium internarum venoſis vaſis, v. g. vena portæ, ſimiles grumorum ſangvineorum moleculas mecum vidiſſent adſtantes. Alterius cujusdam ſubjecti arteriæ & venæ crurali dextris transverſim reſcisſis ac intra pauca minuta conſolidatis, itidem immittebam ſtylum, hunc ad extremitates illarum deſuper movendo: ubi ſingularem obſervabam harum anguſtiam, inſtrumentum non niſi difficulter admittentem; imo hujus apex per aperturam protruſus, membranulam qvandam tenuiorem videbatur ſimul promere, ſimilem forſan pelliculæ tenerrimæ, qvam vaſorum plagis liqvorem ſtypticum Gallorum inducere *Acta Hafnienſium* perhibent. Qvibus accedit, qvod Spiritus vini non ſtatim & ex tempore ſangvinem in grumum cogat, econtra momentaneo qvaſi contactu partibus corporis ſolidioribus, v. g. carni, cerebri & epatis ſubſtantiæ, nervis &c. firmitatem notabilem, imo tractu temporis duritiem, inducat, fibras ſc. earum conſtringendo & harum laxitatem cum denſitate commutando. Et ultra qvadriennium aſſervo cor in muſeo meo, e cadavere humano extractum, qvod poſt aliqvot tantum dierum in ſpiritu vini ſimplici maceratione, oſſeam fere ſoliditatem induit, omnisqve ideo putredinis adhuc expers cernitur: ita ut veroſimiliter augurari liceat, liqvorem conſtringendo ſeu denſando in vaſa potius, qvam ſangvinem agere, ſicqve hæmorrhagias compeſcere, qvod illis minus paradoxum videbitur, qvibus illius virtus in vulneribus conſolidandis & gangræna arcenda maxima innoteſcit.

HIPPOCRATES DE INUSTIONIBUS ſive Fonticulis. Opus Hiſtoriis Medicis refertum & in Praxi utiliſſimum, Auctore R.R. Doctore Medico.

Lugduni 1681. in 12.

Qvanto Hippocratis amore atqve admiratione Auctor hujus libelli, ſc. *Raimundus Reſtaurant*, teneatur, vel exinde colligere licet, qvod pluribus ſuorum ſcriptorum titulis ejus nomen affixerit. Edidit ſiqvidem olim idiomate Gallico, *Hippocratem de uſu frigidi potus, Hippocra-*

pocratem de Circulatione Sanguinis, *Hippocratem de China China*, imo in præſenti tractatu librum ſuum *de Uſu Vini Emetici in curatione febrium malignarum ad mentem Hippocratis*, *item Hippocratem de uſu Lactis in curatione morborum*, allegat. In Præfatione hujus noſtri in Martianum & Helmontium invehitur, fonticulorum & cauteriorum uſum ex Medicorum ſcholis plane proſcribentes: pariterqve illis contradicit, qvi hactenus crediderunt, hæc remediorum genera non niſi ſuperfluos ac vitioſos humores educendo operari. Hinc novam & paradoxam proponit & explicat ſententiam, hæc ipſa *ſtimulos* ſaltem exiſtere, *qvibus attracto ad partem ægram neceſſario igne, reſeratis ductibus, qvi obſidentur a crudis ſuccis, natura partis nutritioni incumbere poſſit, ſuperflua, obſervato naturalis circuitus ordine, per emunctoria conſueta expellat, aut calorem in partes oppoſitas revellat.* Qvod idem in ipſius opuſculi (in 5 libros digeſti) *Libro primo*, præmiſſa ſecundum principia Hippocratea doctrina de Natura Hominis, repetit. Qvo facto regulas, inuſtiones feliciter præſcribendi, tradit, ſpectantes affectus in genere, cum circumſtantiis aliis ſimul obſervandis, v. g. conſtitutionis ſ. temperiei, molis corporis atqve ætatis: ac cum *Helmontius*, doctrinam Medicorum de Catarrhis oppugnans, lemma ſuarum theſium fecerit *Catarrhi Deliramenta*, contra illum *Sapientiam Catarrhi* adſtruit. Seqventibus vero in libris de morbis in ſpecie agit, qvos inuſtionibus profligare ſatagit. Theoriam ac ætiologias, qvibus in his cunctis utitur, mittimus; aſt legi merentur hiſtoriæ & obſervationes ejus practicæ, qvas illis ſubinde intermiſcet, qvales v. g. ſunt qvas pag. 245 de contumaci alvi fluxu per applicatum occipitio cauterium ſedato; p. 248 de hypercatharſi enormi, veſicatoriis in nucha applicitis, cedente; p. 277 de hydrope, qvi, aliis omnibus incaſſum tentatis, eadem partium ſuperiorum inuſtione ſæpius feliciter ſanatus fuit, it. pag. 322 de febre hectica per fonticulos ſubacta, recenſet.

MAGNUS HIPPOCRATES COUS REdivivus. Tomus primus, Phyſiologica continens, Auctore R.R.

Lugduni 1681. in 12.

PHysiologica hæc corporis Oeconomia specimen qvasi totius operis est, qvo hominem ex duobus principiis, aqva nimirum & igne, constare idem Auctor asserit: qvoqve dispositionem totius Hippocraticæ Physiologiæ, in qvinqve Libros digestæ dispositionem, horumqve summa capita tradit.

LE MEDICIN DE SOI-MEME, OU L' Art de se conserver la Santé par l' Instinct.

i. e.

Medicus sui ipsius, seu Ars sibi sanitatem conservandi per Instinctum, Lugd. Bat. 1682. in 12.

ANonymus hujus Libelli Scriptor, cum observasset, qvanto hactenus Medicina atqve Medici contemptui se exposuerint, ponderassetqve causas, propter qvas illa æqve ac hi negligendi videantur, demonstrare conatur hoc opusculo, artem Medicam homini non magis, ac brutis necessariam esse. Qvemadmodum enim bruta per qvandam Medicinæ speciem, qvam in se ipsis habent, & qvæ ab eorum instinctu naturali dependet, se in statu sano conservant, suosqve morbos curant, hincqve arte illa vana ac deceptoria, cujus mancipia nosmet profitemur, supersedent: ita nos, qvi communi cum brutis animali natura gaudemus, cum illis qvoqve hac medicina domestica & qvasi connata uti debere, & ex ea eadem emolumenta pro conservanda ac restituenda sanitate nostra petere posse, si modo, ut illa, hujus consilia & monita seqvamur.

Qvod ut commodius præstet, in *prima* Scripti hujus *parte* prolixe declarat, hominem æqve, ac animantia cætera perfectiora, instinctu seu appetitu qvodam naturali gaudere, per qvem ad bonum apprehendendum & malum fugiendum feratur: seu certum qvoddam principium vel potentiam agendi cunctis animalibus inesse, qvod causa omnium illorum actionum, præprimis illarum, qvæ horum conservationem concernunt, existat; adeoqve nec homini, qvatenus animal, seu ut corporeus est, denegandum, cujus ope, abstracta rationalitate, prosui conservatione easdem cum illis actiones exerceat, id est, media insultibus morbosis resistendi habeat, nisi animalis in homine naturæ

con-

conditionem deteriorem pronunciare velimus. Atqve hunc qvidem Inſtinctum animalem ſeu naturalem non tantum in hominis primis & teneriſoribus annis obſervari putat, dum infans v. g. nutricis mammam mox apprehendit ac ſugit, anteqvam hujus lac ſibi nutrimentum neceſſarium eſſe dignoſcat, ignoros & ſibi ingratos, præprimis qvi ex ulnis nutricis aut matris illum eripere tentant, horret ac fugit, non ſane qvod malum ſibi emergens prævideat, utpote ad ratiocinia ejusmodi formanda minus aptus; ſed in provectiore qvoqve ætate nonnullas hominem actiones edere, qvas rationi adſcribere vix liceat; V. g. qvando qvis mente negotium magni momenti ſeu ponderis volvit, ſimul tamen alimenta, de qvibus haud cogitat, aſſumit, utpote negotio illi unice animum omnem applicans: aut cum qvis rerum arduarum meditatiõni ac deliberationi affixus, ſimul tamen frigeſcens, ac cameram foco inſtructam ſubintrans, hunc mox petit, corpus, non mentem, illuc convertendo: aut cum maniaci & ad brutalem ſtuporem redacti, ſine omni rationalitate actiones ſatis arduas edunt, ſolo naturæ impetu ad has impulſi. Sicut proin Inſtinctus hic naturalis brutis principium adæqvatum contingat ſanitatem conſervandi morbisqve medendi: ita idem ſufficere qvoqve poſſe putat noſter Auctor cunctis hominibus, qvi eo eundem in finem uti haud detrectant; qvatenus maximam morborum partem præſentiſcamus, illorum qvoqve, qvi ſubito nos obruunt, ſine dubio per merum hoc principium. Dum non ſolum illi, qvi morborum procellas aliqvando ſuſtinuerunt, ſed & qvi ab iisdem per totum vitæ tempus immunes extiterunt, fateri cogantur, qvod ſæpius morbi ingruentis ſigna in ſe perceperint, qvamvis aut diæta accuratior, aut exercitium corporis conveniens, aut qvædam evacuatio, aut naturæ robur hunc in prima herba interdum extinxerit. Per qvod autem principium, nobis cum brutis commune, homines æqve ac illa affectus ſibi obvenientes qvaſi præſagiunt, per idem qvoqve illorum remedia hos reperturos credit, niſi aliæ diverſæ curæ eos ab inveſtigatione illorum arcerent: potiſſimum cum conſtet, plebejos & agreſtes homines, utpote aliis negotiis haud diſtractos, ac neceſſitate qvadam (qvatenus ruri degentes a Medicis & pharmacopoliis remotiores ſunt) ad ſui ſuæqve ſanitatis ſtudium compulſos, ſi per inſtinctum illum naturalem ad evacuandum v. g. corpus adigantur, ſimplicia, qvæ natale ſolum fert, aſſumere, hisqve ſæpe morbos alias incurabiles ſanare; Imo cum temporibus & in locis illis, ad qvæ Medicina in

artis

artis formam redacta nondum pervenerat, nec adhuc pervenit, homines æqve commode vivant, plures morbos per euporiſta facilius ac tutius ſanent, imo longævíores extiterint atqve exiſtant, qvam illæ gentes, qvæ de natalibus ſingulariqve cultura hujus artis gloriari poterant, eamqve adhuc indefeſſo ſtudio exercent. Concludit E. qvemlibet hominem per inſtinctum proprium ſe in ſtatu ſanitatis conſervare & a morboſo vindicare poſſe, modo illum obſervet ac ſeqvatur, & qvidem cum majore ac feliciori qvam in brutis ſucceſſu, dum ratio qvæ reliqvis animantibus denegatur, illo melius uti, & inter remedia unius ſpeciei, ſelectum huic vel illi individuo adæqvatum inſtituere concedat.

Qvare in *parte ſecunda* ſigna, qvibus mediantibus Inſtinctus morbos ingruentes ac metuendos dignoſcit, expoſiturus, qvædam de cauſis horum præmittit, qvas Medicos ſuperiorum æqve ac hujus ſeculi latitaſſe putat, ac in remotiores, ſc. affectus animi & errores in diæta commiſſos, atq; proximas, nempe plethoram & fæcum alvi diuturniorem juſto retentionem, qvalitates vitioſas ſangvinis maſſæ imprimentem dividit, adeoqve primarium morborum internorum focum ſeu ſedem, non, ex communi ſententia, pancreas, meſenterium, epar &c. ſed vaſa potius ſangvifera cum inteſtinis, & inter hæc potiſſimum Colon, proclamat, hocqve freqventiorem illorum radicem eſſe prolixe non minus qvam curioſe comprobat. Signa vero morborum, per inſtinctum naturalem obſervabilium, recenſet plura, v. g. laſſitudinem ſpontaneam, coloris in facie & habitu mutationem, marceſcentiam corporis, ſomnolentiam, vigilias, animum proſtratum, ſudores nocturnos, ſiccitatem faucium, appetitum imminutum &c. qvæ tanqvam totidem nuncii, qvos Medicus noſter internus emittat, periculum ſanitatis indicent. Qvibus diverſas ſubnectit hiſtorias, qvarum prior evincit euporiſtis ſimplicioribus ac plebejis medicamentis ſæpius in morbis curandis plus perfici, qvam Medicorum dogmaticis conſultationibus atqve præſcriptionibus: altera, qvantum impatientia ac moroſitas ægri ſanitatis recuperationi obſtet, declarat: tertia mortis metum, qvarta nimiam curioſitatem ſeu ſubtilitatem, & qvinta medicinæ aliqvam cognitionem ægris interdum valde nocivam teſtantur.

In parte tertia remedia recenſet modosqve ſuggerit, evitandis morbis, qvos Inſtinctus monſtravit, congrua. Ubi in genere ſimpliciora compoſitis majoris efficaciæ declarat, horumqve ſtudium accuratius

tius & naturæ ductui conforme a Medicis hactenus neglectum fuisse dolet. Hinc in specie causarum morbificarum rationem habendo, qvibus modis pathematis animi horumqve effectibus mederi liceat, disserit; diætam seu moderamen in assumendis alimentis Venerisqve usu præscribit; tandemqve causarum proximarum intuitu sangvinis abundantiam seu plethoram per venæ sectionem, ac fæcum diuturniorem in Colo moram per clysteres & purgantia, simul tamen diæta accuratiore & venæ sectione pariter adhibita, solvere docet; his immiscendo talia qvæ venæ sectionem contra ejus osores defendunt, simul tamen ejus abusum vituperant: exceptiones ac difficultates circa clysterum ac purgantium usum & vires destruit, horumqve utendi modum ac tempus exponit. Practicorum autem vulgarium, item Chymicorum fumivendulorum methodum & medicamina rejicit, demumqve in genere tempus & modum remediis medicis utendi subdit, una cum cautela, qvantum astris horumqve influxui vario tribuendum sit.

ERASISTRATUS, SIVE DE SANGVINIS Missione. Auctore Luca Antonio Portio, Medico Romano.

Venet. 1683 in 12.

QVemadmodum ea', qvæ per venam incisam promovetur, sangvinis emissio inter probatissima remediorum genera locum suum hactenus tenuit, cum a cordatioribus Medicis in periculosissimo qvandoq; morborum statu (ubi videlicet sangvinis copia uberior, aut orgasmus ac exæstuatio intensior præprimis urgent) ad auxilium vocata effectum, qvem spondet, salutarem fere semper præstet, nec unqvam facile conceptam de se spem inani eventu frustretur: ita & non minus detestandus ejusdem abusus nostris temporibus in tantum invaluit, ut non raro cen gladius in manu furentis plurimorum hominum interitum ante diem perficiat. Videmus siqvidem haud paucos ex medentum turba, immo integras adeo nationes ac populos tam immani flagrare cruoris siti atqve cupiditate, ut absqve discrimine in morbis tantum non omnibus, nullo neqve ægroti, neqve occasionis respectu habito, ad phlebotomum statim, tanqvam ad sacram anchoram, recurrant, utut intempestiva hujusmodi ac immoderata sangvinis profusio-

ne nihil aliud pene efficiatur, nisi qvod decumbentibus (qvibus sicca morte perire amplius non licet) ad evitandos cruciatus diuturnos artificioso hoc compendio vitæ terminus acceleratur. Hanc ergo perversam sangvinis prodigalitatem ut ex animis popularium suorum excuteret *Lucas Antonius Portius, publicus Romæ Medicinæ Professor, vir gravis & non tam artium liberalium studiis, qvam animi candore atqve ingenuitate clarus* (mactat eum hoc elogio Gregor. Roscius in Præfat. ad Lect: præsentem emisit libellum in IV dialogos distributum, qvorum interlocutores producuntur Erasistratus, Helmontius, Galenus ac Th. Willis, isti sangvinis missionem omni modo dissvadentes, hi vero eandem exemplo suo ac rationibus comprobantes.

Proinde in *primo* dialogo potissimum disqviruntur ea, qvæ in communi circa evacuationes ex corporibus animalium notari debent; proponitur doctrina plethoræ, tam ejus, qvæ qvoad vasa, qvam qvæ qvoad vires esse dicitur; abstinentia etiam a cibo ac potu, qva methodici veteres in curationibus morborum ut plurimum usi fuere, qvid emolumenti conferat, qvid detrimenti, explicatur. *Secundo* obstructiones vasorum sangviferorum, & qvæ inde consequuntur, inflammationes, hasqve vel cum, vel sine venæ sectione sanandi methodum exponit. *Tertium* dialogum format discussio eorum argumentorum, qvæ ad evincendam Phlebotomiæ utilitatem a natura in morborum crisi spontaneis sangvinis eruptionibus interdum sibi opitulante petuntur, & probandi vim ipsis nullam inesse fuse monstratur. *Qvarti* denique summa est examen historiarum Medicarum a Galeno atqve Willisio pro asserenda Venæ Sectionis præstantia adductarum, ubi & obiter mentio injicitur diversarum animi affectionum, qvas venæ percussio tum in ægro tum in adstantibus ciere solet, harumqve curatior tractatio peculiari operi (cujus & in dedicatione hujus libri ad Christinam Sveciæ Reginam jam tum spem fecit Auctor) reservatur; universa autem postremo venam secandi ratio tanqvam res anceps & periculi plena, a qva nihil proficui certo exspectari possit, damnatur ac rejicitur.

Qvo vero Galeno nihilominus sua qvaliscunqve constet auctoritas, sub finem hujus opusculi adjecta est lepida nec inficeta *Galeni Apologia*, in qva coram Erasistrato graviter se excusat hic Medicinæ Parens, errorisqve incuria potius qvam consulto commissi reatum serio de-

preca-

precatur, culpam protinus omnem in sectatores suos servum pecus devolvens, qvi nimia dogmatum suorum admiratione abrepti carbones sæpissime pro thesauro, h.e. pro genuinis scientiæ Naturalis ac Medici næ principiis absurdissima ut plurimum & exsibilanda utiq; commenta recipiant; namqve si secundum regulas & cautiones a se traditas venæ sectio institui debeat, tunc vel nunqvam, vel rarissime admodum sanguinem esse mittendum.

L' OPTIQVE, PAR LE P. PIERRE ANGO, de la Compagnie de Jesus, h. e.

P. Petri Ango, e Societate Jesu, Optica in tres Libros divisa, omnia illa, qvæ ad propagationem & proprietates Luminis, Visionem, Vitrorum visui perficiendo inservientium figuram & dispositionem spectant, facili methodo demonstrans. Parisiis in 12. 1682.

Autor hujus Tractatus, tribus Libris tria sigillatim argumenta, in frontispicio explicata, complexi, ut passim *Aristotelem* extollit; sic in limine causam Aristotelicæ contra *Recentiorum* Physicam graviter perorans, sua facit omnia, qvæ de sensu & sensibilibus *Princeps Philosophorum* edisseruit: professus tamen, non Philosophum sed Geometram se hic acturum, missis de Lumine qvæstionibus physicis, ad explicandas ejus proprietates, a motu certo dependentes, statim se accingit.

Intelligendo huic motui, a qvo Luminis propagatio, aerem nostrum compressionis & dilatationis, instar spongiæ, capacem esse supponit: cujus pori, aut vacua spatia, æthere, substantia infinities subtiliori, liqvidissimaqve repleantur. Cumqve firmamentum soliditate sua ætheri incluso impervium, eundem hunc gravitate sua versus centrum Universi deprimat; ab æthere porro & aerem eo versus premi: intendi pressionem hanc ab una parte, Solis & astrorum motu; ab altera, ignibus subterraneis, calore Solis & stellarum inferius producto, motibus & respiratione continua tot animalium, sufflaminari, & in diversis tractibus diversam effici.

Hoc præjacto, ipsum motum in duas species distingvit, unam Vi-

brationis; Undulationis alteram, a priori dependentem: Illam, omnibus corporibus gravibus in æqvilibrio ſuſpenſis, commotisqve; Hanc iis ſaltim, qvæ compreſſionis & dilatationis ſunt capacia, partibusqve non implexis, ſed uniformiter una ſuper altera collocatis (velut aer, & fibræ muſculorum corporis humani) conſtant, competentem. Utramqve motu ſpirituum, violento aliqvo impulſu ultro citroqve in muſculis commeantium (qvi Vibrationis eſt) & muſculorum, reciproco iſto ſpirituum acceſſu receſſuqve concitatorum, tremula agitatione (qvam Undulationem eſſe vult) non incongrue explicat: advocatis etiam in ſubſidium, qvas lapilli guttæve in aqvam caſu excitari comperimus, Undulis. Qvibus, ut Philoſophi hactenus compreſſionem dilatationemqve aeris, ſoni productricem, dextre compararint: ſic ſe, tum exemplo defuncti P. Pardies (ex cujus de hoc argumento ſchedis ἀνεκδότοις bonam partem huc transtulerit) tum ipſa utriusqve convenientia ductum, easdem ad declarandam propagationem luminis non temere afferre contendit.

Hunc tamen Undulationis motum, tradit *Autor*, non reali translatione, qvod qvidem Undularum circuli a centro magis magisqve recedentes præ ſe ferre videantur; ſed ſola agitatione, & mutua veluti partium intumeſcentia & ſubſidentia perfici: qvod præter ſenſus judicium, levi Undularum attactu hauſtum, extenſa chorda fortiterqve percuſſa manifeſtum faciat. Continuari vero eundem alterna partium vicinarum elevatione & depreſſione, juxta ductum rectarum, ſeu radiorum a centro motus qvaqvaverſum divergentium: vi tamen Undulationum tanto magis continue imminuta, qvanto magis ipſæ fuerint auctæ; iisdem interea æqvali tempore ſe invicem ſubſeqventibus, & elevationis depreſſionisqve vices peragentibus. Undulationes has in oram vaſis, cui aqva infuſa ſit, impingentes, leges ſeqvi reflexionis; aliasqve Undulationes, prioribus varia decuſſatione, citra mutuum tamen ſive impedimentum ſive deſtructionem occurrentes, efficere: angulis incidentiæ & reflexionis conſtanter æqvalibus.

Ut porro ſeqventia tanto rectius intelligantur, ad productionem ſoni longo diſcurſu *Autor* digreditur: oſtendens eum ſimplicem qvalitatem minime eſſe; dependere vero a motu partium ſubjecti ſui, eoqve nullo alio, qvam Vibrationis & Undulationis, teſte individuo motuum horum ſoniqve nexu. Eſſe a diverſitate Vibrationum, Undula-

dulationumqve diversa sonorum genera & intervalla, qvorum proportio pendeat a proportione celeritatis Vibrationum, qvæ qvo sæpius simul auribus allabantur, eo gratiores efficiant sonos; qvo infreqventius, eo ingratiores. Qvæ ut speciosis experimentis non inconcinne comprobat; sic & alia de tibiarum buccinarumqve sonis admiscet, de qvibus uberiorem, *peculiaribus de Vibrationis & Undulationis motu tractatibus*, ad qvos subinde provocat, doctrinam pollicetur: optandumqve foret, ut qvæ presse toto passim Tractatu hoc persequitur, qvæqve Schematum hinc inde nævis, Sculptoris dubio proeul rudi negligentiæ debitis, obscura Lectori qveunt videri, Illorum editione, restitutis etiam integritati suæ figuris, reddantur explicatiora.

Hactenus Undulationes, qvantum illæ, vel in eodem medio directe continuantur, vel diverso ipsisqve impervio obviantes repercutiuntur, adeoqve luminis directæ & reflexæ propagationi inserviunt, saltim contemplando, refractionis oblitus omnino poterat videri: hujus itaqve causa ad Undulationes in diversæ densitatis medium offendentes descendens, has a circularibus in alterius generis curvas abire; in medium densius lapsas tardari, in rarius, incitari; radiumqve, cujus directionem illæ sequantur, illic ad perpendicularem inclinari, hic a perpendiculari retrocedere; refractioniqve obnoxium esse demonstrat.

Post ad cardinem negotii versus, difficillimum pronunciat, citra Undulationis cujusdam adjumentum proprietates explicare Luminis; sive ignis subtilis loco, sive qvalitatis alicujus simplicis hoc censeatur: eundem vero, qvem superius inter sonum & Undulationem perpetuum adstruxerat nexum, inter hanc & Lumen oppido observari posse; ut nullum sit sine comite Undulatione Lumen, nullaqve sine Lumine Undulatio. Hujus interim generis Undulationes, originem suam actioni cujusdam ignis debentes, prioribus & impetu & subtilitate longe præstare: cum igneæ naturæ corpora sint actionis ut continuæ, sic maxime intensæ; qvorumqve partes qvæcunqve citissimo circa centrum suum motu raptæ, substantiam liqvidam circumjectam, dummodo hæc condensationis, ut æther, sit incapax, non possint non undiqvaqve premere: Notasse se vero alias in Physicis (qvod variis porro hic exemplis firmat) corpora luminosa respiratione, h.e. compressionis & dilatationis motu esse prædita; unde necesse sit, impetu illorum ad partes undiqve circumpositi medii delato, pressas has concitari ad producendum

freqventissimas crissimasqve Undulationes: qvarum qvæ a diversis corporibus sit ratio (præmisso, aerem devehendo sono destinatum, luminis simul esse vehiculum non posse; sed id officii substantiæ infinities subtiliori, & per hoc subeundis poris exilissimis idoneæ, cedere debere) exemplis ab accersa flamma, muscis, vitris piscibusqve noctu lucentibus, lapidibus luciferis, & præcipue Sole accersitis luculenter declarat.

Explicata sic Undulatione, radium directum propagante, non difficile arbitratur, reflexionis causam ex supra dictis intelligere: refractioni vero luminis mirum in modum ea consentire, qvæ de refractione Undulationum notaverit: cum *Cartesii*, *Maignani*, *Grimaldi*, *Hoockii* hypotheses, suo judicio, partim sibi non constent; partim refractioni explicandæ, aut nihil inserviant, aut minus consentiant. Memorabile interim esse, viam, qvæ radio ab uno puncto ad aliud per diversæ densitatis media tendenti, lege refractionis conficienda est, omnium possibilium esse facillimam. Cujus effati demonstrationem elegantissimam, a *P. Pardies Domino Fermatio* transmissam, vellemus ut *Autor*, promissi memor, ad calcem Tractatus hujus adjecisset: non indecorum principio huic dioptrico, in *Actis superioris anni p. 185* asserto, suffragium laturam.

Lumine ergo ad hunc modum se diffundente, corpora diaphana Undulationum oportet esse capacia, aut minimum libero easdem transitu non prohibere: sive id beneficio plurimorum rectorum pororum contingat; sive, qvod *Autori*, circa corpora pellucida solida, non improbabile est, solo materiæ subtilis in illorum partes valido impulsu. Cumqve eadem porro uniformia sint & continua: constare ex opposito, *Idem* differit, opaca corpora constitui plurimis partibus parvis, maleqve inter se unitis, qvas radii recepti, ob crebram refractionem adeo obliqve feriant, ut turbata aut rupta Undulatione, hi penetrare tandem neqveant: unde etiam contingat, ut vitrum in pulverem, partesqve adeo irregularium figurarum comminutum, & duo liqvores, qvorum alter unctuosus sit & crassiusculus, commixti, ex pellucidis in opacorum transeant speciem.

Claudit Librum primum de Coloribus disqvisitio: qvos *Autor* nihil aliud esse statuit, qvam Lumen a corporibus plus minus reflexum: prout hæc partibus constant, vel similibus, qvalibus alba & nigra; vel dissimilibus, qvalibus cætera. Accedere proxime ad Lumen alba,

alba, idqve citra moram maxima vi reflectere; unde, cum radiis Solis ægre accendantur aut transitum præbeant, arcendo eorum ardori chartæ aut velaria coloris hujus opponantur: nigra contra, simul ac radiis speculo ustorio collectis tangantur, flammam concipientia, & ob partium mollitiem & laxitatem Undulationis reflexæ incapacia, radios acceptos non remittere, indeqve non male ab *Aristotele* tenebris, ut priora luci, comparari. Esse porro alba corpora e particulis rotundis, h. e. uniformibus, mediocriter politis, invicemqve probe compactis: nigra, ex irregularibus, circumqvaqve foraminosis, obtecta insuper & repleta aliis mollibus & laxis corpusculis, Lumen receptum absorbentibus. Inter has duas colorum species cæteros, purpureum, rubrum, flavum; cinereum, viridem, cæruleum, diversa partium albarum nigrarumqve mixtione, qvam distincte explicat, productos, diverso gradu, velut umbras, interjici.

Librum dein secundum a brevi dictorum de Undulatione ἀνακεφαλαιώσει exorsus, Visionem fieri pronunciat receptione specierum: qvæ qvomodo figuram & colores objectorum repræsentent, fuse explicat: non sine erudita doctrinæ de Coloribus, modo propositæ, ἐξηγήσει. Qva ratione ulterius species, intra oculum receptæ, in Retina pingantur; & qvæ oculi vicissitudines circa sensum distantiæ, magnitudinis & situs objectorum, singula exemplo oculi artificialis (qvo nomine cameram obscuram censet, per vitrum tubo specilli objectivum foramini insertum, objectorum imagines recipientem) dilucide illustrat: Choroidi in specie impressionem specierum, ipsamqve adeo Visionem abjudicat; qvod ob nigrorem ejus, nullius coloris susceptivum, tum objecta ibidem pingi neqveant; tum nec ipsa radios luminosos (qvippe corporibus nigris, juxta antegressa, maxime infestos) citra sensum doloris acerrimum sufferre diu possit.

Post oculi fallacias, ex interjectu, cum diaphani inæqvalis densitatis, tum corporis politi; picturæ Perspectivæqve (qvam posteriorem, peculiari *Autoris* opera exornatam, Orbis expectat eruditus) deceptionibus; binorum oculorum in idem objectum directione; corporum in gyrum celeriter actorum motu, aliisqve causis ortas expendit. Toto vero passim Libro complura scitu digna, pro præsentis identidem

tidem argumenti cognatione, opportune evolvit: inter qvæ ex pluribus, qvæ de luminosis excellentioris gradus, retinam lædentibus, & nubeculis coloratis post illa conspecta visum turbantibus, earumqve numero; de binis Aqvilarum palpebris, qvarum ope citra noxam fixis Solem intueantur oculis; de duplici aeris refractione, astrorum Solisqve diametrum apparentem prope Horizontem ampliante, Solisqve ibidem Elliptica figura; de igniculis & fulgore, in oculo, hemicrania aut ictu pugni lacessito, excitatis; de imaginibus & phantasmatis, qvæ recens expergefacti aliqvando videre sibi videntur, discutienda sibi sumsit *Autor*, suo merito referimus.

Ultimo Libro *Autor* remedia explicat corrigendo Visui; sive vitio aliqvo, sive naturali impotentia (per qvam nec remota nimis, nec nimis propinqva, aut exilia distincte concipimus) laboranti. Qvæ cum a vitris politis, oculum inter & objectum debite collocatis, petenda sint, duorum illa generum constituit, Microscopia & Telescopia: qvorum commune officium sit, cum radios ea ratione cogere, & ad oculum transmittere, qvæ conveniat distantiæ, ex qva nudo oculo objectum omnium distinctissime alias cernere liceat; tum, ut tanto clarius objectum intra oculum pingatur, eosdem qvam possit plurimos colligere: ea porro inter ambo differentia, ut Microscopia, objectorum prope positorum propria, radios ita disponant, tanqvam a longinqvo veniant; Telescopia contra, objectis longe dissitis admovenda, eadem hæc velut ex propinqvo intueri faciant. Utraqve porro in Simplicia, uno vitro constantia; & Composita, ex pluribus constructa, distingvens, qvæ singulorum propria sunt, ex qvo sc. Vitrorum genere sint, & qva ratione adornanda; qvomodo radios tum parallelos, tum divergentes efficiant; qvibus oculis qvaliterqve se habentibus, & qvomodo applicanda; qvæ Vitrorum circularium proprietates; qvi simplicium & compositorum Telescopiorum & Microscopiorum defectus, & qvibus Microscopiis, Telescopiisqve aliis tollendi; ad finem usqve Libri discutit.

Ver-

Vernünfftmäßige Gedancken über die grosse Conjunction beider obersten Planeten Saturni und Jovis &c.

h.e.

DE CONJUNCTIONIBUS MAGNIS SATURNI & Jovis earumque ut & nupera effectibus & significationibus cogitata &c.

JOHANNIS CHRISTOPHORI STURMII Prof. Altdorfini.

Altdorfii A. 1682. in 4.

QVibus nimis creculum & metui nimis obnoxium vulgus alias territare consueverunt Astromantæ, cum coeuntes cœlo Planetas superiores aut oculus detexit, aut Ephemerides indicarunt: his nuper vel maxime, cum uniti fulgerent Saturnus & Jupiter, animos hominum percellere laboravit qvidam, qvi schedis germanice editis Conjunctionis dictæ vim nimiopere extulit. At qvemadmodum Astrologiæ Judiciariæ nunqvam non bellum indixit sanior Philosophia: sic omnem a Conjunctionibus istiusmodi sive spem sive metum ex vano trahere, succincto hoc tractatu solide ostendit Clarissimus Autor. In qvo de Conjunctionibus Magnis, Veris & Mediis necessaria præfatus, qvam, cum sui ipsius, coeuntiumqve Planetarum; tum triplicitatum, in qvibus contingunt, ratione vim, ex consulto Astrologorum exerceant, qvibusqve rationibus hæc Conjunctionibus asseratur, recenset: suam post epicrisin subjungens; argumentorum ab Astrologis adductorum momenta expendit, qvamqve ruinosa, & partim absona, partim secum invicem pugnantia, nec ullo ab experientia fido & rationabili testimonio suffulta sint, demonstrat: suo ubiqve loco interspergens, qvæ supra memorati Astrologi de nupera Conjunctione effatis opponenda censuit.

JOANNIS HANCKE, Soc. Jes. & Prof. Olomucensis

Tenebræ summatim illustratæ;

seu

Doctrina Eclipsium pro opportuniore discentium usu in compendium redacta.

Moguntiæ, 1682. in 4.

CUm doctrina Eclipſium inter Aſtronomicas principem citra dubium teneat locum, ſuaqve & utilitate & jucunditate animos ad ſe præcipue rapiat cœleſtium phænomenon cognoſcendorum cupiditate flagrantes: & vero obvia fere compendia Tyrones calculo ineundo non ſatis inſtruant; *Riccioli* porro *Almageſtum* (qvod de grandioribus aliorum etiam Aſtronomorum ſyſtematibus cenſendum eſt) multis intricatum difficultatibus, copioſa varietate ſua non paucorum arceat ſtudia; nec, qvi commodo diſcentiam vulgati ſunt in hanc rem Aſtronomorum libri, diſtractis dudum exemplaribus, compareant amplius: qverulis multorum deſideriis Elucubratione hac ſubveniendum ratus *Autor*, qvæ ad ſupputanda qvarumcunqve Eclipſium momenta inſerviunt, in compendium retulit.

Diſtinxit eam in tria capita: qvorum primum, Theoriam motus Solaris; alterum, Lunaris; Tertium, utriusqve Luminaris Eclipſibus propria, ſuccincte dilucideqve complectitur: inſertis unicuiqve capitum calculi exemplis, & ſubnexis Tabulis ad calculum neceſſariis, iisqve ex Riccioli menſuris & hypotheſibus, in Almageſto uſurpatis, propria ſine dubio *Autoris* opera ſupputatis.

OCCULTATIO HYADUM ET PALILICII, qvæ accidit Veſperi die $\frac{9 \text{ Januar.}}{30 \text{ Decemb.}}$ *Anni* $168\frac{3}{4}$ *obſervata Vratislaviæ a Gottf. Schultz D.*

Dum circa horam qvintam veſpertinam, invitante cœli ſerenitate, ad inſtantem Palilicii occultationem ſupellectilem neceſſariam inſtruebam & diſponebam, commodum animadvertebam, Lunam duabus Stellulis qvartæ magnitudinis, & ut puto, ſub gemina inter Hyades a Bayero θ inſignita comprehenſis, imminere, hasqve brevi ab illa tegendas eſſe. Qvare ſine mora ulteriore me ad obſervationem accinxi, & primo binas dictas ſtellulas cum Lunæ vicinæ maculis contuli, tantumqve eas ab invicem diſtare deprehendi, qvantum *Inſula Ficaria a monte Porphyrite* removetur. Mox exiſtebant

Tem-

Tempus æstimatum.	Tempus ex altitud. corr.		Altitudines Qvadr. captæ.
H. / //	H. / //		° /
4 55 0	5 4 1	*Mons Sinai* & *Insula Apollonia* major sub eodem Verticali.	
4 58 30	5 7 32	Borealior duarum stellularum, Mons *Ætna* & *Besbicus* Insula erant in eadem linea recta.	
5 5 10	5 14 14	Altitudo Capellæ.	48 52
5. 22. 0	5. 31. 9	Borealior occultatur, existens in linea recta cum Insula *Creta* & Ostio interiore *Freti Sirbonici*.	
5. 28. 40	5. 37. 50	Australior, Mons *Ætna* & Insula *Sardinia* in eadem linea recta.	
5. 34. 0	5. 43 12	Australior, Inf. *Creta* & *Byzantium* in linea recta.	
5. 35. 0	5. 44. 12	Australior occultatur.	
		Animadvertebam jam, aliam qvandam stellulam dimidia Tubi apertura a margine lunæ occidentali distantem, qvam & ipsam paullo ante tectam fuisse, Situs ad Lunam arguebat.	
		Emersionis momenta occupatione qvadam interveniente observare non potui.	
6. 25. 20	6. 34. 45	Altitudo lucidi Humeri Orionis. *dub.*	27. 33
7. 47. 0	7. 56. 47	Altitudo Canis minoris	23. 9
8. 1. 0	8. 10. 51	iterum capta *dub.*	25. 23
8. 8. 15	8. 18. 8	tertium capta	26. 20

Tempus æstimatum.	Tempus correctum.		Altitudines Qvadr. captæ.
H. / //	H. / //		° /
8. 13. 20	8. 23. 14	Stellulæ antea occultatæ jam integra Tubi apertura a margine Lunæ occidentali removebantur, interqve hanc & illas medio fere spatio alia comparebat stellula, duabus istis minor, qvæ & ipsa tecta fuerat.	
8. 31. 50	8. 41. 49	Insulæ *Creta* & *Corsica* sub eodem Verticali.	
8. 43. 30	8. 53. 32	Palilicium dimidia Tubi apertura a sectione lucis & umbræ distabat. NB. *Tubi apertura præcise capit distantiam stellarum E & O Tauri apud Bayerum.*	
8. 47. 30	8. 57. 33	Mons *Horminius*, Sinus *Syrticus*, & Palilicium in linea recta.	
8. 58. 30	9. 8. 36	Mons *Sinai*, Insula *Cyprus* & *Cinæum Promontorium* sub eodem verticali.	
9. 4. 50	9. 15. 58	Palilicium, *Ætna* & Insula *Besbicus* in eadem recta.	
9. 26. 40	9. 36. 53	Palilicium, *Sinus Syrticus*, & Insula *Besbicus* in linea recta.	
9. 31. 45	9. 42. 0	Palilicium occultatur, existens in linea recta cum *monte Ætna* & *Sinu Syrtico*.	
9. 45. 0	9. 55. 18	Altitudo Cordis Leonis. *dub.*	24. 1
9. 46. 10	9. 56. 29	Mons *Sinai*, & *Promontorium*	

Tem-

Tempus æstimatum.	Tempus correctum.		Altitudines Qvadr.
H. / //	H. / //		o /
		ad *finum Apollinis*, ſub eodem verticali.	
9. 53. 30	10. 3. 51	Altitudo Cordis Leonis	25. 53
10. 27. 40	10. 38. 10	Mons *Sinai*, & Inſula *Calathe* ſub eodem verticali.	
10. 38. 0	10. 48. 32	Mons *Sinai* & margo orientalis *Siciliæ*, ſub eodem verticali.	
10. 45. 20	10. 55. 54	Emerſio Palilicii e ☽diſco Lunari.	
10. 47. 40	10. 58. 15	Palilicium, Montes *Horminius* & *Porphyrites* in linea recta.	
10. 49. 20	10. 59. 55	Mons *Sinai* & *Porphyrites* ſub eodem Verticali.	
11. 8. 20	11. 19. 0	Altitudo Cordis Leonis	36. 58

Ex obſervatis hiſce oppido liqvet, Stellam ſubiiſſe Lunæ diſcum paullo infra Paludem *Marœotim*, emerſiſſe vero ad montem *Hippocum* inferiorem: Viam itineratiam ejus tranſiiſſe infra Paludem *Marœotim*, ad Inſulam *Leam*, inter *Strophades*, ſupra *Melos*, per montem *Maſicytum*, ſtringendo limbum auſtralem montis *Didymi*, per *Antitaurum*, *Moſchum* ſuperiorem, *Fretum Ponticum*, *Caucaſum* ſuperiorem, & limbum auſtralem *Inſulæ Majoris* maris Caſpii: & 1H13'54" poſt corpus lunare delituiſſe.

LES MOEURS DES ISRAELITES, Par M. Fleury, Precepteur de Monſeigneur de Vermandois.

i. e.

MORES ISRAELITARUM, Auctore Dn. FLEURIO, Dni de Vermandois Præceptore.

Pariſiis 1681. Hagæ Com. 1682. in 12.

NUnqvam ſatis inculcari populo Chriſtiano poteſt pietatis & morum ſanctimonia, his præſertim temporibus, qvibus *abundat iniqvitas & refrigeſcit charitas multorum.* Nec aliud Auctor hic, qvem *Jac. Benignus Boſſuetus Epiſcopus Condomenſis* (nunc Meldenſis) in Approbatione Opuſculi *Presbyterum Pariſienſis Diœceſis* nominat, inſigniqve mactat Elogio, propoſitum habet, qvam ut poſita ob oculos vitæ ſimplicis ac innocentis idea, qvalem populus qvondam Iſraeliticus coluit, ſeculi laſcivientis mores pro virili emendet, ac ad vitæ ſanctitatem illuſtri exemplo Lectorem reducat. Ita enim perſuaſum habet, vitam populi Judaici ſacris Veteris Teſtamenti literis deſcriptam, & naturæ ſocietatiqve humanæ maxime conformem extitiſſe, & non in morum tantum diſciplina, ſed Occonomia qvoqve ac Politia præceptiones ſaluberrimas præbere: vulgo vero non aliam ob cauſam deſpicatui duci, qvam qvod ab inſtitutis hodierni ævi diſcrepet, qvæ a ſimplici ac frugali vitæ ratione, moribusqve paſtoritiis & agreſtibus veterum, ad ignaviam luxumqve deflexerunt. Eo itaqve ſtudio vitam moresqve Iſraelitarum deſcribere aggreditur, tribusqve partibus opuſculum diſtinguit: *Prima* de Patriarchis, eorumqve nobilitate, libertate, divitiis, occupationibus ac frugalitate; *altera* de Iſraelitis ab exitu ex Ægypto uſqve ad captivitatem Babylonicam, deqve eorum nobilitate, laboribus, agricultura, regione qvam incoluerunt ſeu Terra ſancta, opibus, artibus, opificiis, veſtitu, ſuppellectile, domibus, victu, purificationum ritibus, matrimoniis, uxoribus, liberorum educatione, ſtudiis, elegantia, oblectamentis, luctu, religione, jejuniis, votis, prophetis, regimine, auctoritate ſenum, re forenſi, militia, Regibus; *tertia* de Judæis ex captivitate reverſis, eorumqve ſub Perſarum & Macedonum dominatu conditione, Regno Aſſamonæorum, poſteriorum deniqve Judæorum corruptis moribus, ſectis, ac ſuperſtitione, ſuccincte terſeqve diſſerens.

LES MOEURS DES CHRESTIENS, par M. Fleury.

Mores Chriſtianorum, Auctore Dn. Fleurio.

Pariſiis & Hagæ Com. 1682. in 12.

Idem

IDem in hoc libello Auctori scopus, qvi in superiori fuit, depravatos seculi mores corrigere. Præfigitur autem opusculo non Bossueti tantum Meldensis Episcopi, ut in priori factum, sed ipsius etiam Censoris Sorbonici Juculentum ejus encomium; nec deerunt ex nostris, qvibus liber probabitur, plurima in eo memoratu digna, tum candide & eleganter narrata deprehensuris. Qvanqvam enim inter alias scribendi causas eam etiam alleget Auctor, ut Protestantes agnoscant, se sine ratione a Romana Ecclesia dissentire, qvæ in dogmatibus pura sit, etsi moribus & disciplina veterum sanctitati dissimilis: reperient tamen omnes multa, qvæ ad exeitandum pietatis studium faciunt, collato veterum Christianorum cum nostri temporis hominibus exemplo. Id vero ita præstat Auctor, ut in qvatuor Epochas totam Christianæ vitæ & disciplinæ Historiam distribuat. Agit enim 1 de Ecclesia Hierosolymitana, qvalis in Actis Apostolicis describitur. 2 De statu convérsionis tum Judæorum, tum maxime gentilium, post Apostolica tempora, usqve ad Constantinum M. 3 De proximo post Constantinum tempore. 4 De seqventibus a qvarto usqve ad nostrum seculis. Ubi præsupponit in Ecclesia Romana, ut jam notatum est, dogmatum puritatem; dissimulat etiam & emollit multa in externis, qvæ dissentientes possent offendere: ubi qvam bene hypothesi & causæ serviat, accommodatis, qvos citat, Auctorum testimoniis, alii dispicient. Lapsum tamen morum in clero & populo ingenue agnoscit, ejusqve varias causas refert. Relaxationem puta disciplinæ, pietatis, concordiæ, beneficentiæ, patientiæ, frugalitatis, aliarumqve virtutum, postqvam persecutiones cessaverunt: contagium vitiorum ab admixtis magno numero paganis, Christianismum non serio, sed Principum, & moris, aut commodi externi causa amplexis: Hæreses, præsertim in Oriente, monstrosas & multiplices; dein Mahometismum: In Occidente barbararum gentium irruptiones & cum Christianis coalitiones: oppressa per barbariem sacra studia, ac scholasticas contra invectas speculationes: Episcopos ad munia Aulica ac regendas provincias admissos: Cassiarum, qvos vocant, varia inventa & relaxamenta circa Moralem Disciplinam: bella tum inter Christianos ipsos gesta, tum adversus Mahomedanos ad liberandam Terram sanctam susceptа: Literatos duobus abhinc seculis græcæ & latinæ lingvæ studio ad Ethnicorum mores reducendos, contemtimqve de religione judicandum perversos, &c. Qvibus omnibus opponere se

scri-

ſcribit veterum Chriſtianorum, & qvi ſubinde in corruptioribus licet ſeculis eorum exempla æmulati ſint, mores & vitam; ſummeqve lætaturum, ſi qvi commoveri ſe patiantur, ut illorum exemplo, etſi in carne manentes, vivant tamen vita ſpirituali, qvæ genuinus effectus eſt gratiæ Jeſu Chriſti.

JOH. LUDOVICI FABRITII APOLOgeticus pro genere humano contra calumniam Atheiſmi, ad Ampliſſ. Virum Philippum van Heiring.

Heidelbergæ in 4. 1682.

ETſi Chriſtiani, qvi divinis teſtimoniis fidem habent, dubitare non poſſunt, notitiam DEI omnium mortalium mentibus inſitam, juxta cum contemplatione operum DEI mirandorum ſumtam efficere, ut nulla gens adeo barbara ac efferata eſſe qveat, qvin Numen aliqvod (qvalecunqve tandem,) credat, idqve cultu qvodam proſeqvendum eſſe cenſeat; Tamen infelici hoc noſtro ævo legimus, non deeſſe, qvi, ut graviſſimo omnium ſceleri, atheiſmum puta, patrocinium parent, affirmare haut dubitant, & olim fuiſſe & extare adhuc populos ac gentes integras, qvæ beſtiarum inſtar, ſine DEO, lege & omni religione vitam hanc tranſigant. Hanc calumniam, qvæ generis humani parti affingitur magnæ, ut dilueret *Autor Clariſſimus*, Ariſtæum *primum* opponentem ſibi tum ex veteri, tum nova gentium hiſtoria, populos omni religione deſtitutos introducit; *deinde* vero oſtendit certiori hiſtoriarum fide nixus, falſa eſſe, qvæ de atheiſmo veterum Germanorum ex Jul. Cæſare, Romanorum ante Numam Pompilium, Græcorum ante informationem ab Ægyptiis acceptam, incolarum novæ Zemblæ, Zeilan, Souldanorum in extremæ Africæ oris, habitatorum Magellanicæ, Peruvianorum, Braſilianorum ante Chriſtianorum in illas regiones adventum, Chichimecarum in nova Hiſpania, & aliarum gentium barbarie atheiſtica adferri ſolent. Concedit, qvod per abuſum ſanæ rationis, multæ gentes neſciant cultum veri Numinis; ſed inde illis abjudicare velle omnem religionem, abſurdum putat. Qvare tandem diſſertationem hanc ſuam concludit, *nullam gentem adeo eſſe efferatam, qvin Numen aliqvod habeat.*

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Maji, Anno MDCLXXXIII.

ACADEMIE DES SCIENCES ET DES arts, contenant les vies, & les eloges historiques des hommes illustres, qui ont excellé en ces professions depuis environ quatre siecles parmy diverses nations de l' Europe; par ISAAC BULLART, Chevalier de l' Ordre de Saint Michel. Divisé en deux Tomes.

a Paris 1682. fol.

id est,

Academia Artium & Scientiarum: exhibens vitas, & elogia, ac res gestas illustrium virorum, qui clari in sua arte quatuor intra sæcula apud diversas in Europa gentes extiterunt: auctore ISAACO BULLARTIO, Eqvite Ord. S. Michaelis; duobus Tomis divisa.

Parisiis, 1682. fol.

CLarorum virorum facta moresque posteris tradere, scribente Tacito, antiquitus usitatum: his quoque temporibus non negligendum sibi duxit ISAACUS BULLARTIUS: summo studio & exquisita industria qui non laudes saltem eruditione & artibus illustrium virorum composuit; sed vitas quoque eorundem, quantum earum consequi licuit, descripsit; & ut tanto expressior ipsorum memoria exstaret, icones adiecit æri incisas: duorum artificum non contemnendorum, *Larmessini* & *Bulonnesii*, opera elaboratas. Nam cum imagines ac statuæ, præclare meritorum de humano genere hominũ vultus referentes, jam priscis temporibus non magis ornamenti loco adhibitæ, quam ut memoria eorundem prorogaretur, ac posteri incitarentur ad imitandas insignes eorum virtutes, quorum

ſimulacra ſaxis, ceta, ære, argento, aurove expreſſa cernerent, propterea *animorum incitamenta* Senecæ epiſtola LXIV dicta, receptæ fuerint: laudabileſane iſtorum ſtudiū eſt, qui immortalitati defunctorum, utilitatibus vero ſuperſtitum; hoc dare ſatagunt, ut habitus oris, cujus jucunda recordatio, cum vita præſtantium virorum ne intercidat, ſed in omnis poſteritatis oculis verſetur. Quo ſtudio veteres cum primis flagraſſe, Alexandri Severi exemplo, *imaginibus clarorum virorum larariumſuum exornantis*, quod narrat Lampridius; ac Titi Pomponii Attici *ſingulari* de iis edito *volumine*, ſed quod injuria ævi ad nos non pervenit, manifeſtum eſt. Idem propoſitum ſecutus eſt auctor hoc opere, in quo litterarum & eruditarum artium gloria illuſtrium virorum imagines, æneis inſculptas formis, nitideque expreſſas, exhibet: ſubjecta cujusque vita gallico idiomate deſcripta: quam monumento, ſive ſepulcrali inſcriptione, qua cujusvis tumulus inſignitus fuit, claudit & obſignat. Cui ſtudio ſumma cum laude, nec minori felicitate, cœpto cum immortuus fuiſſet, ipſius filius JACOBUS IGNATIUS BULLARTIUS immorandum, iſtudque abſolvendum duxit: ita quidem, ut prolixiori verborum in elogiis ambitu repudiato, quem interdum adhibuerat parens, verſibusque Ronſardi ac aliorum poetarum Gallicorum, quos pater inſperſerat, reſectis, Vitas ab ipſo conſcriptas expoliret: novas autem, quarum notitia parentem fugerat, ſed quam ipſe conſecutus fuerat, adjiceret: pluribusque imaginibus opus exornaret. In duos iſtud diviſit tomos: quorum prior quinque libros continet: *primo* rerum publice gerendarum laude inſignes; *ſecundo* rerum geſtarum narrationibus bene meritos; *tertio* juris ſcientia claros; *quarto* litterarum elegantiorum opera præſtantes; *quinto* pingendi, ædificandi, ac ſtatuarum apte concinnandarum artis peritos, exhibente. Poſterior ſex libros complectitur: quorum *primus* rerum ſacrarum cognitione eximios; *ſecundus* philoſophiæ, matheſeos, & medicinæ ſtudiis præſtabiles; *tertius* vario ſcientiarum genere excellentes; *quartus* carminum gloria celebres; *quintus* artium variarum, typographiæ, mathematices, geographiæ, muſicæ, rei bellicæ, ſive inventione, ſive cognitione, ingens nomen meritos; *ſextus* denique pingendi, oculorumque oblectandorum adjuvandorumve ſcientia inſignes ſiſtit.

JUSTI-

JUSTINI HISTORIARUM PHILIPPICARUM Libri XLIV: ex recenſione Joannis Georgii Grævii; cum ejusdem caſtigationibus.

Lugduni Batavorum, 1683. in 8.

OMnium regnorum & rerumpublicarum, quæ floruerunt ante Servatoris Chriſti in terris ortum, origines, progreſſus, & finem perſecutus eſt olim *Trogus Pompejus*, laudatus Plinio, Chariſio, Auguſtino, & veteri Virgiliano interpreti, aliisqve. Hujus hiſtoriam in compendium redegit *M. Junianus Juſtinus*, ob id *compendiarius Trogi* dictus Saresberienſi: cujus ætatem in Antonini Pii tempora referunt; nullum autem ex vetuſtis ſcriptoribus, qui ex fœda barbariei tempeſtate, triſtique rei litterariæ naufragio quaſi eluctati ad nos perveneruntque, tyrociniis ſtudii hiſtoriarum eo accommodatiorem eſſe, doctiſſimi viri cenſent. Tam terſe ſane, tam emendate ſcripſit, ut ſæculi ſui captum ſuperare, nec ſolarum rerum, ſed & verborum floſculos ex Trogo, optimi ævi ſcriptore, delibaſſe videatur. Nec præter eum quisquam amplius exſtat eorum, qui ſecundum ſeriem temporum res plerarumque gentium digeſſerunt, in iisque ordine pertexendis elaborarunt: omnibus, ſive totis ſive maximam partem abſorptis, & longa ſuperioris memoriæ nocte, optimarumque artium fatali ſilentio deletis. Quo majori in pretio habendum conſervandumque iſtum exiſtimarunt, qui bonarum litterarum ſtudia, ſuperiori & hoc ſæculo, induſtria ſua excoluerunt. Inter quos illuſtre nomen *Jacobi Bongarſii*: qui ei perpoliendo magnam & utilem cumprimis operam impendit; quippe e decem optimæ notæ manuſcriptis codicibus eundem integritati nitoriqve ſuo reditum emendatumque & notis illuſtratum anno 1581 Pariſiis edidit, Vir ampliſſimæ dignationis, exquiſitæ prudentiæ, & rarioris doctrinæ. Hunc ſecutus *Franciſcus Modius* ad Fuldenſium membranarum fidem eundem emaculatum, cum notarum ſpicilegio emiſit. Et ad horum editiones plures aliæ compoſitæ paſſim prodierunt. Poſt eos *Daniel Pareus* Francofurti anno 1630, *Matthias Berneggerus* Argentorati anno 1631, *Marcus Zuerius Boxhornius* Amſtelo-

dami anno 1638, *Isaacus Voſſius* Lugduni Batavorum anno 1640, *Tanaquillus Faber* Salmurii anno 1671, *Johannes Vorſtius* Berolini anno 1673, *Johannes Schefferus* Holmiæ anno 1678, *Joſephus Cantelius* Pariſiis anno 1677, ſtudii ſui, quod auctori huic impenderunt, monumenta in publicum emiſere: quorum plerorumque notas, chronologiam, & indices, reſectis tamen amputatisque non negligendis obſervatis, Amſtelodamenſes anno 1669 auſpiciis Schrevelii excuderunt, & hos ſecuti Lugdunenſes in Galliis, ac Uratislavienſes typi ſunt imitati. Utilem autem cumprimis & ſalutarem Juſtino operam Joannes Georgius Grævius impendit, ad Florentinam anni 1525 Juntarum editionem vulgatas hactenus componens, & inſignem emendationem, eaque haut parum lucis pluribus ſcriptoris hujus locis, vel ætatis vitio, vel correctorum culpa depravatis afferens: quo ſtudio ſuo exornatum notisque inſignitum Juſtinum Trajecti ad Rhenum anno 1668 minori forma edidit. Igitur cum recudere denuo longe utiliſſimum auctorem ſuperiori anno cuperet bibliopola Lugdunenſis, vocato in conſilium doctiſſimo & melioribus litteris juvandis nato Viro, omnes omnium qui hactenus Juſtinum illuſtraverant notas integras illibatasque, Bongarſii puta, Modii, Berneggeri, Voſſii, Fabri, Vorſtii, Schefferique adjiciendas, ſuas vero iisdem attexendas cenſuit: omittendas autem Cantelianas putavit, utpote ſereniſſimi Delphini in uſum adornatas, inſtituto autem ſuo, qvod auctorum emendationi ſinceræque lectioni intendit, parum inſervituras. Nec indicem a Freinshemio coeptum, a Vorſtio autem & Scheffero locupletatum neglexit: adeoque quidquid egregii ad exornandum auctorem hunc in litteras unquam miſſum fuit, congeſſit; ut omnibus elegantiarum numeris abſolutam hanc recenſionem, nec meliorem hac editione ullam extitiſſe antea, merito affirmare liceat.

Die deutſche Bibel D. Martini Lutheri aus der Grund-Sprach/ dem Context und Parallel-Sprüchen/ mit Beyfügung der Auslegung/ die in Lutheri Schrifften zu finden / erkläret durch D. Abraham Calovium.

id eſt,

id est,

Biblia Germanice a Luthero versa, e fontibus, contextu, dictisqve parallelis, secundum ductum ipsius Lutheri, ejusdemqve utplurimum verbis declarata per D. Abrah. Calovium. Wittebergæ, 1682. in fol.

POstqvam Biblia Illustrata Latine jam ante decennium edidit Auctor celeberrimus, inq; iis ψευδεξηγήσεις heterodoxorum exegetarum haud postremi, H. Grotii, polemice adduxit & rejecit; jam Germanice eundem sacratissimum Codicem evulgavit, inque eo Interpretum orthodoxorum principis, B. Lutheri, verba, ubi ubi potuit, exegetice adhibuit & retinuit. Hæc nimirum cura præcipua in hoc Opere Theologi jam per XXXII annos in cathedra Lutheri docentis scribentisque indefesse. Præterea tam capita, qvam libros accurate in sua membra distinxit; verbis singulis, si opus fuit, aut integris periodis interpretationem apte subjecit; eamque e lingvis sacris, contextu & parallelismis pure hausit; ipsiusque Lutheri ore, ubi adhuc in scriptis ejus potuit audiri, fideliter expressit; adeo ut de literali sensu ubique, deque usu non raro constare queat. Totum Opus in V. & N. T. est distributum, illudque qvatuor, hoc duobus Tomis, subjectis totidem Indicibus universalibus, comprehenditur & absolvitur: ut iis, qvi dulcius ex ipso fonte bibi aqvas, hoc est S. Scripturæ sensum e verbis Spiritus S. & Lutheri purissime cognosci norunt, haut ingratum esse possit.

LA GENESE TRADUITE EN FRANCOIS, avec l' Explication du Sens literal, & du Sens spirituel, tirée des SS. Peres, & des auteurs Ecclesiastiques.

Sive

Genesis, Gallice versa, cum explicatione sensus literalis & spiritualis, excerpti ex SS. Patribus & Auctoribus Ecclesiasticis, Tomis duobus comprehensa. Juxta exemplar Parisiense 1682. in 12.

Auctorem, licet nomen non adscripserit, celebrem Parisiis esse apparet ex testimonio censorum, qui plura ejus opera laudant: ipse vero Commentarium suum in Esaiam prophetam allegat. Præmisit amplam præfationem, bipartitam, in qva multa sunt pie & candide dicta. Parte priori agit de auctoritate Moysis, miraculis ejusdem, & Christi atqve Apostolorum testimoniis probata. Deplorat tempora nostra, qvibus necesse sit Divinitatem Christi Christianis probare, postqvam paganorum impietas convicta jaceat. Affert hujus probationis tria capita, indeque concludit, miracula nova pro veritate desiderari non debere, sed, ut ait Augustinus, *credendum esse mundo credente, nisi qvis velit ipse prodigium esse, qvi prodigia postulet.* Horrendum etiam esse, qvod de veritate librorum sacrorum inter Christianos disceptandum sit, cum de antiqvis auctoribus profanis nemo nisi summe stupidus aut impudens neget, libros ab iis, qvorum nomen ferunt, scriptos esse. Provocat ad Judæos, qui libros Moysaicos, qvamvis multa contra illos contineant, circumferant & pro authenticis habeant, majori cum stabilimento fidei, quam si Judæi omnes conversi essent, & paganis aut atheis suspicionem collusionis facerent. Laudat exemplum Augustini, qvi Manichæorum scepsin tandem abjecerit; & damnat dubitationes Philosophicas, qvibus tot magna ingenia hodie abripiantur ad Atheismum. Qvanqvam vero externis adminiculis argumentorum non opus habeant *pectora fidelia & simpliciter Christiana*, qvalia deprædicat Augustinus: prodesse tamen externa illa etiã fidelibus ad firmandam fidem. Confert postea Mahommetis imposturas, earumqve falsitatem & turpitudinem, cum veritate Christiana. In parte posteriori præfationis institutum & ordinem operis sui enarrat. Præmittit iterum laudationem Moysis, qvi non tantum ex divina inspiratione, sed & testium egregiorum traditionibus scripserit. Amramus enim pater Moysis narrare huic potuit audita a Levi patre suo: Levi vero vixit annis 33 cum Isaaco: Isaacus 50 annis cum Semo: Semus ante diluvium 100 annis cum Methusalem proavo suo, qvi 260 annis cum Adamo vixerat. Sic inter Adamum & Isaacum duos tantum, Mathusalemum nempe & Semum; inter Isaacum & Amramum, parentem Moysis, unum Levi interfuisse, qvi visa & audita ab iis, qvi viderant, suis narrarent. Ostendit fundamen-

damentum hujus calculi in adjuncta tabella chronologica. Quod attinet ad Textum & Commentationes, profitetur versionem Gallicam (cui Latina Vulgata e regione apposita est) ad fontes Hebræos adornatam, & ex optimis interpretibus. Capitibus singulis subnectitur Annotatio ad sensum literalem, deinde ad spiritualem seu moralem, vel ubi materia prolixitatem non exigit, uterqve conjungitur. Spiritualem sive Mysticum sensum dari omnino statuit contra eos, qui id negant: laudat tamen judicium Augustini, qvi monuit, ne nihil, & ne omnia figurate scripta censeantur, ex lib. 16. Civ. D. c. 2. Excusat, qvod Origenem, & qvi eum imitantur, qvamvis pro sanctis doctoribus habeat, secutus tamen non sit. Auctam enim fontium notitiam, & erutum postea sensum literalem, ad veritatem solidam & ædificationem, facientem. Chrysostomum refert plusqvam 60 homiliis Genesin explicasse, sed eo fine, ut exemplis Patriarcharum ad fidem & pietatem auditores excitaret; ad difficultates vero Textus non respexisse. Augustinum libris 33 in Genesin commentatum ad refutandum *Faustum Manichæum*, qvi Deum & Patriarchas horrendis blasphemiis & conviciis infestaverat. Consulendos etiam libros Augustini XII, qvibus adversus eosdem Manichæos opus Dei hexaemeron, & tria Geneseos priora capita explicavit, tum libr. 12 & 13 Confessionum. Petit veniam, quod hos auctores secutus, prolixior aliqvando, præsertim in primis capitibus fuerit. Lectionis vero utilitatem summam fore spondet ob egregia sanctorum exempla, qvibus plus, qvam præceptis, apud populum proficiatur. Nihil certe præferri posse *tribus* illis *Patriarchis*, qvorum Deum se supremum Numen nominaverit, repetente id Christo Matth. 8, 11, qvi & beatitudinis locum in sinu Abrahami collocet Luc. 16, 24. Nec satis prædicari posse Adami pœnitentiam, Noachi obedientiam, Josephi patientiam, aliorumqve illo tempore virtutes, qvi teste Augustino veri Christiani fuerint, licet nomen non gererent. Ipsum vero Moysem, qvantum virum, *ministrum Veteris Testamenti, heredem Novi!* Vitia etiam & eorum pœnas cum ædificatione legi. Commendat deniqve simplicitatem styli Mosaici, adducto testimonio auctoris pagani, περὶ ὕψους cap. 7, & encomio D. Augustini lib. 4. de Doctr. Chr. c. 6. Mirum igitur non esse, qvod primitiva Ecclesia tanti fecerit Sacras lite-

literas, & qvod Concilia vetusta eas nominent *sancta verba & adoranda.*

METHODUS PLANTARUM NOVA, brevitatis ac perspicuitatis causa synoptice in Tabulis exhibita, cum notis Generum tum summorum tum subalternorum characteristicis, & observationibus nonnullis de seminibus plantarum. Auctore Joanne Raio M.A. & Societate Regia.

Londini, 1682. in 8.

Cum plantarum multitudo atqve varietas fere infinita, miranda qvantum confusionis obscuritatisqve in animis Botanophilorum pariat, de methodo investiganda soliciti semper fuere Botanici, cujus beneficio plantæ & clare intelligi, & facile addisci, & retineri fideliter possent. Methodum autem ei rei prosperandæ adinventam ab illis non unam esse videas. Alii enim differentias plantarum a locis arcessunt natalibus; alii a diversis temporibus, vel mensium anni intercapedinibus; alii ab usibus, quos hominibus præstant in cibo, in medicina, in sensuum oblectatione, operibusque mechanicis; alii a signatura externa; alii ab auctoribus, a quibus nomenclatura plantis fuit imposita; alii a foliis horumque vel convenientia, vel disconvenientia; alii abs qvalitatibus, odoribus puta ac saporibus; alii a radicibus diversis. Sed nulla methodorum harum tum ob prolixitatem nimiam, tum ob dubia inextricabilia approbare se potuit perspicacioribus Phytologiæ mystis. Alia igitur methodus reperta ab aliis, eaqve melior & naturæ magis consentanea. Atqve hic præter cæteros mirifica *Andreæ Cæsalpini* commendanda est solertia. Nam hic primus, qvod sciamus, plantas a seminum & conceptaculorum unicuiqve flori succedentium numero, una cum corculi seminalis hoc est puncti, unde germinatio incipit, situ, in genera seu classes distinxit. *Johannes* autem *Rajus* Anglus, qvi & ipse notas plantarum characteristicas certas ac proprias, qvæ & omnibus sub unoqvoqve genere contentis speciebus, & solis convenirent, investigavit, tum semina plantarum, earumqve conceptacula, tum flores & perianthia, eo

qvod

qvod nonnullorum generum certiores longe notas, qvam aut ſemina aut eorum involucra ſuppeditent, in conſilium adhibuit, atqve adeo methodum plantarum partim a ſeminum & conceptaculorum ſeminalium numero, figura, ſitu &c. partim a floris & perianthii in eisdem convenientia aliisqve accidentibus differentias generum conſtitutivas ſumpſit, plurima, ut ipſemet in præfatione fatetur ingenue, ex *Andrea Cæſalpino, Joachimo Jungio, Fabio Columna*, & *Roberto Moriſonio* mutuatus. Tabulas ſynopticas genera plantarum & ſpecies, harumqve differentias ac notas characteriſticas repræſentantes præcedunt ſectiones V, qvarum I generales qvasdam de ſeminibus plantarum obſervationes exhibet, II de foliis plantarum ſeminalibus agit, qvæ a ſuccedentibus foliis parvitate, ſuperficie lævi, figura, ac modo naſcendi differant. III de plantula ſeminali, reliqvisqve ſemine contentis. IV de floribus plantarum, harumqve partibus ac differentiis. V de diviſione plantarum generali in Arbores, Frutices, Suffrutices, & Herbas, qvanqvam tertium membrum, Suffrutices nimirum, Autor reſecat, & ad Herbas refert, plantarum tria genera ſtatuens, Arborem, Fruticem, & Herbam. His ita præſtructis per Tabulas ſynopticas diſponit plantas, initio ab Arboribus facto, earumqve diviſione in ſectione nova ſeu Tabula generali expoſita. Exhibentur poſtmodum Tabula I Arbores pomiferæ harumqve ſpecies cum differentiis ac notis characteriſticis. II Pruniferæ. III Bacciferæ. IV Nuciferæ. V Coniferæ. VI Lanigeræ. VII Siliqvoſæ. VIII arbores vaſculis ſeminalibus membranaceis membrisqve extantibus aut adjunctis auctis, qvibus ſubnecti poſſe autor cenſet, qvæ anomalæ ſint & ſui generis. Arbores excipiunt Frutices. Horum partitione in Sectione II facta, ſiſtuntur in Tabula I Frutices bacciferi cum ſpeciebus ac differentiis ſecundum methodum ſemel cœptam. II Frutices bacciferi foliis deciduis non ſpinoſi, III Frutices foliis deciduis ſpinoſi. IV Frutices ſeminibus nudis aut vaſculis per maturitatem ſiccis incluſis, floribus non papilionaceis. V Frutices floribus papilionaceis. VI Frutices, qvi cum herbis genere proximo conveniunt, & herbæ fruticeſcentes dici poſſunt. Fruticibus ſubjiciuntur herbæ, harumqve tabula generalis in Sectione III præmittitur. Siſtuntur autem Tabula I ſpeciali plantæ imperfectæ, qvæ flore videlicet aut ſemine carent, aut carere ſaltem, qvia ſponte qvaſi proveniunt, videntur, eæqve ſpe-

cificatæ & certis characteribus discriminatæ. II Herbæ semine minutissimo,& nudo oculo vix conspicuo. III Herbæ acaules epiphyllospermæ, capillares, vulgo dorsiferæ dictæ, qvia semina earum aversæ foliorum parti adnasci æstimantur, in punctis videlicet seu lineolis illis ferrugineis ibidem conspicuis. IV Herbæ flore imperfecto seu staminco. V Herbæ flore imperfecto sexu carentes. VI Herbæ flore imperfecto monospermæ semine triqvetro. VII, (post sectionem videlicet IV, qvæ generatim agit de herbis flore composito, qvi ex pluribus videlicet flosculis in unum totalem florem coeuntibus constant,) Herbæ flore composito seu aggregato, planifolio, natura pleno, lactescentes. VIII Papposæ Herbæ flore discoide. IX Herbæ flore discoide nudo. X Herbæ flore composito discoide. XI Herbæ corymbiferæ dictæ discoide nudo seu non radiato. XII Herbæ flore ex flosculis fistularibus, capitatæ vulgo dictæ. XIII Herbæ flore composito anomalæ, iisqve affines, in qvibus capitula aut spicæ florum compressiores flores compositos imitantur. XIV Herbæ flore perfecto seminibus nudis solitariis h. e. ad singulos flores singulis. XV Umbelliferæ plantæ seu semen in umbellis gerentes. XVI Herbæ umbelliferæ semine crassiore & minus compresso. XVII Herbæ stellatæ dictæ, qvia folia caules ad intervalla stellæ radiantis in modum ambiunt. XVIII Herbæ asperifoliæ. XIX Plantæ verticillatæ fruticosæ. XX Plantæ verticillatæ herbaceæ. XXI Herbæ semine nudo polyspermæ. XXII Herbæ semine nudo polyspermæ, sed nullo perianthio tectæ. XXIII Herbæ pomiferæ. XXIV Herbæ bacciferæ. XXV Plantæ multisiliqvæ seu corniculatæ. XXVI (post insertam sectionem de herbis, qvarum semina conceptaculis per maturitatem siccis ad singulos flores singulis donantur) Herbæ flore monopetalo uniformi. XXVII Herbæ flore monopetalo difformi. XXVIII Herbæ flore monopetalo bicapsulares, item herbæ flore monopetalo, vasculis seminalibus interna aut plura loculamenta divisis, nec non herbæ tetrapetalo flore uniformi siliqvosæ & capsulatæ. XXIX Herbæ flore tetrapetalo uniformi siliqvosæ. XXX Herbæ flore tetrapetalo siliqvosæ, semine rotundo seu globoso. XXXI Herbæ flore tetrapetalo uniformi seminibus capsula brevi inclusis. XXXII Herbæ flore tetrapetalo uniformi anomalæ & sui generis variæ. XXXIII Herbæ flore papilionaceo scandentes.

XXXIV

XXXIV Herbæ flore papilionaceo erectæ seu non scandentes, item herbæ flore papilionaceo siliqvis articulatis. XXXV Herbæ flore papilionaceo siliqvis geminatis duplicem seminum seriem continentibus. XXXVI Herbæ flore papilionaceo non scandentes trifoliæ. XXXVII Herbæ flore pentapetalo seu polypetalo foliis integris in caule conjugatim dispositis. XXXVIII Herbæ flore pentapetalo aut polypetalo, foliis in caulibus nullo aut alterno ordine dispositis. XXXIX Herbæ flore pentapetaloide anomalæ. XL Herbæ culmiferæ seu qvæ caulem teretem geniculatum & plerumqve concavum edunt, foliis cinctum ad singula genicula singulis, & qvidem culmiferæ grano majore. XLI Herbæ culmiferæ grano minore. XLII Herbæ graminifoliæ, non culmiferæ, flore stamineo. XLIII Herbæ radice bulbosa donatæ eæqve graveolentes. XLIV Herbæ radice bulbosa odore nullo aut minus gravi præditæ. XLV Herbæ radice bulbosa tunicata odore nullo aut minus gravi. XLVI Herbæ foliis, floribus, pericarpiis aut radicibus bulbosis affines. XLVII Herbæ anomalæ & sui generis. Subnexa est *Synopsis Methodi*, qva *Andreæ Cæsalpinus* in subfruticibus & Herbis disponendis utitur, & *Index* plantarum in Tabulis dispositarum copiosus, isqve non Latina tantum, sed & Græca qvoqve & Anglica plantarum nomina præ se ferens; nec non *summorum Herbarum generum notæ characteristicæ; & nova Herbarum in tria genera divisio* memoriæ juvandæ ergo addita.

JO. GEORGII KULPIS COLLEGIUM Grotianum, super Jure Belli ac Pacis in Academia Giessensi XV Exercitationibus institutum.

Prostat Francofurti ad Mœnum apud Albertum Ottonem Fabrum, in 4to, 1682.

Cum Hugo Grotius primus fuerit, qvi nobilissimam de Jure Naturæ & Gentium disciplinam in justum artis systema redegit; opus ejusdem aureum de J. B. & P. non solum seculi adplausum meruit; sed multos etiam viros doctissimos excitavit, qvi eandem scientiam vel ductu laudati Grotii excolerent, vel in libros illius commentatios aut notas scriberent. Qvos cum legere sine magistro juvenes

ejusmodi rerum adhuc imperiti neqveant, *Autor clarissimus*, novo instituto, sed captui discipulorum satis commodo, universi operis Grotiani argumentum, velut in compendium redegit: ita, ut observato ordine materiarum qvo se insequntur invicem apud Grotium, sententias prolixiores paucis verbis excerpserit, ac ubi illæ obscuræ visæ sunt, vel non satis probæ, adjecto uno alterove vocabulo, reddiderit perspicuas & planas, aut etiam si opus fuit, emendaverit; interdum etiam postulantibus sic auditoribus suis, in argumenta, qvæ pro contraria sententia adferri solent, inqvisiverit, ac collatis postmodum aliis interpretibus, suam sententiam stabiliverit. In qva opera tamen non dissimulat, se ex doctissimi viri *Ulrici Obrechti* JCti Argentoratensis fontibus, qvædam in suos rivulos derivasse. Nam hujus se scholas, cum Argentorati degeret, freqventasse gratus profitetur. In prima Exercitatione, de natura ac indole hujus disciplinæ, per modum παιδιᾶς philosophatur: in qvatuordecim seqventibus, ut jam dictum est, Grotii vestigiis insistit; fideliter tamen allegatis aliorum testimoniis, qveis in hoc compendio passim usus est, aut qvos etiam censura qvadam modeste notavit.

EHRENFRIEDI KLOZII DIFFERENTIÆ Juris Civilis & Reformationis Francofurtensis.

Francofurti 1682. in 4.

IN strepitu litium Fori componendo & administranda cuivis justitia geminam Germania nostra trutinam agnoscit, unam Juris domestici ac in sinu nati, alteram vero peregrini & a Romanis asciti, Comitiali tamen consensu Procerum Germaniæ qvasi civitate donati. Cum igitur ex utriusqve lancibus suum cuiqve hoc ordine reddatur, ut litium momenta aliiqve actus civiles semper ad normam prius Juris patrii, sive universale sive particulare illud fuerit, ponderentur, ac demum eo in casu, ubi hæc deficere videtur, ad alteram a Romanis acceptam, recurratur, liqvido patescit, utriusqve naturam exacte futuro JCto cognoscendam esse, nisi qvis non sine probro idem audire velit, qvod Qvintum Mucium Servio qvondam dixisse refert Pom-

Pomponius. Et hinc non potest non omnium puncta ferre eorum institutum, qvi Jus Romanum cum Jure proprio, vel Provinciali vel Statutario ita conferunt, ut qvod inter ea discrimen intercedit, unicuiqve ponatur ob oculos. Luculentum hic hujus rei specimen dedit Auctor, qvi in hoc ipso libro Juris Civilis & Reformationis inclytæ Civitatis Imperialis Francofurtanæ differentias ex ipsis textuum visceribus succincte pariter & perspicue exponit.

ERNESTI GOCKELII, PHILOSOPH. ET J.U.D. nec non Reip. Ulmensis Consil. Methodica Tractatio de Jurisdictione suprema, inprimis ad stylum & praxin Cæsareo-Imperialis Judicii Aulici.

Ulmæ 1682. in 4.

Per Jurisdictionem supremam intelligit Auctor h. l. eam, qvæ versatur circa Judicia sive primæ sive secundæ instantiæ, qvamqve exercet, vel aliis exercendam concedit summus Princeps ut lites componantur. Qvoniam vero scopus ejus σκοπιώτατος est, hoc in libro Imperii nostri Germanici pandere Jurisdictionem, qvanta ea per Judicium Imperiale Aulicum sese potissimum exserit, hinc, præmissis qvibusdam generalioribus & summa Juris dicendi potestate Cæsari vindicata, de Jurisdictione ipsius Judicii Imperialis Aulici, Commissionibus Cæsareis & Appellationibus disserit; mox, Ferdinandi III Imperatoris Ordinatione Judiciali Aulica secundum Alphabethi seriem in epitomen redacta, ipsum, qvi in hoc supremo Judicio observari solet, Processum, brevibus exponit, tandemqve Taxam Imperialem Aulicam, ut & Imperii ac Cameræ Imperialis auctam matriculam appendicis loco annectit.

JOHANNIS VOET P. F. G. N. J.U.D. ET Antecessoris Lugduno-Batavi Compendium Juris juxta seriem Pandectarum, &c.

Lugduni Batav. 1683. in 8.

PAndectas in nuce daturus Auctor, nil aliud hoc libello agit, quam ut ad latiora Juris volumina, aliqvando majori cum fructu evolvenda, tyronibus paret aditum. Hinc intra cancellos compendii subsistens, nulla antiqvitatum monimenta, nullas historias, nulla auctorum testimonia, nec alia ex disciplinis Philosophicis petita huic opusculo admiscet, sed levi ac simplici via progressus, thesium suarum robur non aliunde, qvam ex solis legibus, iisqve haud magno numero constipatis, sed præcipuis, data simul in contextu contrariarum brevissima & nervosa analysi, deprimit, hisqve consvetudines & mores patrios, in qvibus illi divortium a Jure Romano faciunt, ad calcem cujusqve tituli superaddit. Qvibus ita ad finem perductis, succedunt Civilis atqve Canonici Juris differentiæ, qvas ipsi paratitlorum textui inserere noluit, ne nondum firmata discentium ingenia in diversum abeuntibus Canonum placitis turbarentur. Indicis loco subnexæ sunt definitiones atqve divisiones variæ, juxta seriem Institutionum Imperialium digestæ, qvas tenaciter memoriæ mandari svadet. Sub finem vero procemii huic ipsi libello præfixi, ὡς ἐν παρόδῳ tangit qvendam, qvi diu *Cephæ Pistophili* larva tectus, varia in se vibrasset spicula, sed cum semel & iterum repulsus, apertius professo nomine fuisset criminatus, huic epistola qvadam ad Amicum se respondisse dicit, cui iste denuo præfationem suæ *Vi veritati illatæ repulsæ* præmissam, opposuerit. Cum vero hæc ipsa nihil novi ac solidi contineret, eam contemtu se vindicaturum profitetur, hoc unice lectorem rogans, ut utriusqve scripta postrema probe ad se invicem conferat, & ex iis de justitia & injustitia causæ ferat judicium.

JOHANNIS SCOTI ERIGENÆ DE divisione naturæ libri qvinqve diu desiderati.

Accedit appendix ex Ambiguis S. Maximi Græce & Latine.

Oxonii A. C. 1681. in Fol.

INter Ecclesiasticos noni seculi Scriptores fama haud postremus est Johannes Scotus Erigena, a natali solo forte sic appellatus, qvod editionis hujus Autor non cum plerisqve in Scotia vel Hibernia indigenis

genis Erin dicta, sed in Ergene qværendum suspicatur. Est autem Ergene ipso teste pars non contemnenda Herefordensis Comitatus Walliæ contermina in eo terræ tractu, qvi a modernis Wallis Erynug vel Ereinuc dicitur. Qvam conjecturam exinde firmat, qvod Johannes hic ab *Hidensium Annalium* conditore, & *Johanne Rosso* in lib. de Regibus, Wallus nominetur, & qvod Scoti Walliæ fines aliqvando occupaverint, unde Scoti cognomen Erigenæ accedere potuerit. Sed nolumus jam ejus patriæ, de qva Autores admodum inter se dissentiunt, qvi vitam ejus attingunt, diutius immorari. Illud ex *Prudentio Tricassino* coævo Scriptore constat, qvod in Hibernia saltem versatus fuerit, anteqvam in Gallias abiret, ubi cum *Carolus Calvus* assiduum & familiarem mensæ & cubiculi comitem habuit, donec certaminum, qvibus liber adversus *Gotteschalcum* scriptus ipsum implicaverat, pertæsus in Angliam concessit. Illic vero dum Magistri officio fungeretur, eadem cum Prudentii Cassiano fata expertus & puerorum graphiis confossus perhibetur, sive dogma Eucharistiæ, ut *Genebrardo in Liturg. Dionys. & Vossio in hist. Pelag.* aliisqve placet, sive alia qvæcunqve causa, qvam in tanto Historiarum silentio divinare difficile est, puerilia hæc arma in ipsius necem concitaverit.

Inter ingenii monumenta, qvæ reliqvit, sunt *libri qvinqve de divisione naturæ*, in qvibus per modum dialogi inter magistrum & discipulum, post generalem rerum divisionem in ea qvæ sunt & non sunt, qvatuor naturæ differentias exponit, qvas statim sub initium operis summatim hoc ordine recensет: *prima est, qvæ creat & non creatur, secunda in eam qvæ creatur & creat, tertia in eam qvæ creatur & non creat, qvarta qvæ nec creat nec creatur.* Qvid de singulis statuat perseqvi, ne vel obscuritate rerum vel nimia prolixitate lectori tædium creemus, supersedemus. At de integro opere, qvod juxta fidem antiqvi manuscripti cum alio Gallicano diligenter collati in Anglia nunc primum prodit, præfatio monet, qvod diu sine nomine circumlatum, & a *Trithemio Johanni Scoto Mailrosio* perperam tributum, sed a *Wilhelmo Malmesburiensi* & aliis Historicis Johanni Erigenæ recte vindicatum fuerit, cum vel e subjecta *S. Maximi* versione, unum eundemqve utriusqve operis Autorem esse constet.

Scripsit nimirum *S. Maximus* inter alia expositionem *ambiguorum*

rum aliqvot locorum, qvæ in *Gregorii Nazianzeni* operibus continentur. Atqve hæc ambigua saltem ex parte latine vertit Scotus Erigena, qvæ nunc una cum epistola ejus nuncupatoria ad Carolum Calvum (ejus enim ad nutum hoc tentaverat) libris de divisione naturæ instar appendicis accedunt. Ea vero qvoad Græca magna ex parte *Emerico Bigotio*, sed qvantum ad Latina *Johanni Mabillonio* accepta referri cupit doctissimus Editor, ex cujus emendationibus ad calcem additis apparet, Erigenam in Græcis alphabetarium fuisse.

Sed nihilominus præter Maximi Ambigua etiam *Dionysii Areopagitæ* pleraqve monumenta in Latinum sermonem transtulit. Et hoc opus, qvod in Bituricensi Jesuitarum Collegio manuscriptum *Labbeus*, ac simul cum *Dionysii Carthusiani* commentariis Coloniæ A. C. 1536 typis excusum extare *Simlerus* & *Frisius* in Bibliotheca sua referunt, itidem Carolo Calvo dedicavit, ad qvem eo nomine duas epistolas, unam soluta, & alteram ligata oratione scripsit, qvas una cum *Anastasii Bibliothecarii* ad eundem Carolum de eodem argumento epistola, in Hibernicis suis epistolis *Jacobus Usserius* in publicum emisit.

Qvamvis autem hæc Dionysii versio Scotum nostrum apud nonnullos in Hæreseos suspicionem adduxerit, longe tamen gravius ejus liber *de Prædestinatione*, qvem *Hincmaro Remensi* & *Pardulo Laudunensi* impellentibus adversus Gotteschalcum scripsit, impugnatus est. Selecta enim ex hoc libro capitula & *Prudentius Tricassinus*, cui ea *Venilo* Archiepiscopus Senonensis transmiserat, & *Ecclesiæ Lugdunensis*, sive Diaconi sui *Flori Magistri*, sive alterius cujuspiam opera utens confutavit. Qvin & *Synodus Valentina* ista Scoti capitula tanqvam Scoticas pultes veritati nauseam afferentes rejecit & damnavit, cujus canones postea *Synodus Lingonensis* confirmavit & *Tullensis apud Saponarias* publice relegit, qva de re *Jacobus Usserius* in Hist. Gotteschalci, nec non *Gilbertus Maugvinus*, qvi hunc Scoti librum una cum Prudentio, Floro & aliis noni seculi monumentis ad hanc controversiam pertinentibus publici juris fecit & dissertationibus illustravit, ejusdemqve Antagonista *Ludovicus Cellotius*, qvi ut per Gotteschalci latera Jansenistas pungeret, Hæretici illius historiam qvinqve libris complexus est, prolixius egerunt.

Nec

Nec meliora fata liber Erigenæ *de Euchariſtia*, in qvo Berengario præluſit, habuit. Nam *Adrevaldus* Floriacenſis Ordinis Benedictini Monachus Veterum Patrum ſententias de Corpore & Sangvine Chriſti adverſus Erigenam collegit, qvem libellum Tomo XII *Spicilegii Dacheriani* inſertum cernimus. Et poſtea circa medium ſeculi undecimi liber ille in *Concilio Pariſienſi & Vercellenſi* damnatus, & in *Romano* inſuper combuſtus apud *Lanfrancum* & alios Autores legitur. Num vero liber ille Scoti adhuc ſuperſit, nec ab eo differat, qvi ſub *Ratramni* nomine vulgatus extat, ut *Petro de Marca in epiſt. ad Dacherium*, & *P. Pariſio* ord. Canonic. Regul. Congreg. S. Genovefæ Theologo, hocipſo anno ſatis ſuis defuncto, in diſſertatione ad finem Tomi I de perpetua Eccleſiæ fide circa Euchariſtiam edita videtur, nondum ſatis manifeſtum eſt, ut ex iis liqvet, qvæ in eam rem diſſeruit *Johannes Mabillon* in præf. ad part. 2 qvarti Seculi Benedictini.

Idem Mabillon diligentiſſimus antiqvitatis Eccleſiaſticæ indagator Erigenæ librum *de Viſione Dei* in MSC. Codice Claronariſcenſi prope Audomaropolin deprehendit, qvi nondum lucem publicam aſpexit.

Reliqva opuſcula, qvæ Scoto tribuuntur, ut *Commentarii in Martianum Capellam, excerpta ex Macrobio, de diſciplina Scholarium liber, diſputatio cum Theodoro Studita, Verſio Moralium Ariſtotelis, verſio libri Ariſtotelici de regimine Principum, Commentarii in decem Ariſtotelis Categorias, dogmata Philoſophorum, homiliæ, de fide contra Barbaros, & Tomi Paraphraſtici*, pleraqve Scoto ſuppoſita videntur.

Cæterum qvi huic Scoto, vel ob conſenſum in doctrina de S. Cœna, vel ob alias cauſas bene volunt, allegant, qvod inter ſiniſtras multorum cenſuras haud pauca doctrinæ & ſanctitatis elogia tulerit, & Chryſoſtomi cognomento decoratus fuerit; qvod Græca qvam affectavit literatura, gliſcentibus inter Nicolaum I & Photium diſſidiis, multum invidiæ ipſi conciliaverit; qvod multa in eo reprehendantur, qvæ in aliis Patribus, ſi non probata, ſaltem diſſimulata fuerint; deniqve qvod, cum martyr obiiſſet, grata poſteritas ad d. 4 Id. Novembr. memoriam ejus celebraverit, inqve *Martyrologio Romano*, qvod A. C. 1580 prodiit, decus illi ſuum adhuc integrum conſtiterit.

At contra qui sentiunt, inter hæreticos illum referunt, nomenqve ejus fastis sacris aut merito expunctum, aut nunqvam illis insertum, omniaqve qvæ de honorifico martyrii titulo ex antiqvo epitaphio & aliis monumentis afferuntur, ad alium Johannem pertinere contendunt. In hoc autem utraqve pars consentit, qvod Erigenæ ingenium, subinde spinosis & perplexis speculationibus nimium indulgens, in varios errores prolapsum fuerit, a qvibus hos de naturæ divisione libros immunes haud esse, lubens agnoscit Vir doctissimus, cujus industriæ hoc opus diu ab eruditis frustra qvæsitum & desideratum debemus.

DANIELIS GEORGII MORHOFII STENTOR ὑαλοκλάσης, sive de Scypho vitreo per certum humanæ vocis sonum fracto Dissertatio, qva soni natura non parum illustratur.

Kiloni A. 1682. in 4.

INter ævi hujus Panepistemonas referendus vel maxime venit *Daniel Georgius Morhofius*, Professor Academiæ Kilonienſis celeberrime jamdudum florens. Neqve enim intra Themidis, cujus summa axiomata jamdudum obtinuit, sese continere potest cancellos, qvin libero & excelso animo per latissimos scientiarum lingvarumqve omnium campos fertur, Poeseos qvippe & Eloqventiæ qvas publice profitetur, antiqvitatis item omnis, atqve uti Philosophiæ universæ, ita Naturæ imprimis arcanorum & olim & recens inventorum consultissimus. Utiqve naturæ illum mystagogum esse vel solus hic libellus, *Stentor ὑαλοκλάσης* inscriptus, seu *de Scypho vitreo per certum humanæ vocis sonum fracto dissertatio*, locupletissimus potest esse testis. Omnia enim in illo allegationibus ratissimorum Autorum, omnia experimentis recentissimis sunt plena, nec ullum eorum sine acuta atqve accurata disqvisitione a perspicacissimo hoc viro dimittitur. Ediderat is jam ante decennium *Epistolam* de hoc ipso argumento, instigante Collega ejus celeberrimo & Medico apud Kilonienses primario *Johanne Daniele Majore*, ad quem & denuo tractatum hunc auctum atqve interpolatum perscripsit. Hæc dici non potest, qva aviditate lecta,

lecta, qvoqve applausu excepta ab Eruditis fuerit. Eodem certe anno in lingvam Belgicam conversa a non-nemine est, exemplaqve primæ editionis spatio temporis non longissimo distracta omnia, frustraqve adeo in Bibliotaphiis fuere qvæsita. Flagitatus itaqve Autor impetrari a se non difficulter fuit passus, ut novam scripti illius adornaret editionem, præsertim cum rem ab *Athanasio Kirchero* vocari in dubium, & a *Daniele Bartoli* desiderari in hoc experimento nonnihil intelligeret. *Epistolam* autem mutavit in *Dissertationem*, eamqve non in capita tantum XVIII tribuit, sed & singulis lemmata seu summaria præmisit.

Primum autem, ut levi & insono qvasi pede potissima percurramus, occasionem meletematis hujus exponit Autor, suppeditatam scilicet a Nicolao Petrero, Oenopola Amstelodamensi, qvi scyphos vitreos voce non unos, Morhofio aliisqve comitibus præsentibus, perfregerat. Deinde vitrum, corpus illud ex arena, cinere, & sale, summa caloris vi, per colliqvationem compactum, tanqvam Phænomeni hujus subjectum, considerat, idqve non fragile tantum, sed & ductile, malleabile & flexibile, penetrabile item ac porosum esse ostendit, inventis novissimis connotatis, aliorumqve autorum sententiis hinc inde confutatis. Vindicatis in vitro poris, investigat soni rationes, easqve ex æqvalitate tensionis ac proportione impetus ad mobile deducit; & qvia corpus tenditur vel secundum lineam, vel secundum superficiem ac soliditatem, primum agit de tensione corporis secundum lineam in chorda, & cur chordarum æqve tensarum altera tacta non tactam ad sonum lacessat, dispicit; dehinc de tensione corporis secundum superficiem in tympano, ut & de tensione corporum solidorum, metallorum puta, & ex metallis conflatorum v. g. campanarum, nec non lignorum, qvorum & clarior effici possit sonus, si in cineres redigantur; ex sale siqvidem illorum per ignem tenso novus per παλιγγενεσίαν artificialem sonus excitetur. Qvia autem sonum non in tensione tantum, sed & in motu consistere dixerat, in motum porro inqvirit, qvem duplicem facit, internum alterum, qvi a particulis tensis oriatur, si non actu semper se moventibus, at perpetuo tamen mobilibus, alterumqve externum, qvi internum illum particularum motum consequatur, motum videlicet aeris externi corpus sonorum in cavitate ambientis, qvi & undulato-

rius ab eo, qvia eadem proportione per totum aeris veluti oceanum se diffundit, dicitur. Disserit postea de scyphorum vitreorum voce frangibilium figura & capacitate, de voce item clamantium frangendis vitris apta, voealem U ululanti similem fortiorem esse innuens, qvam reliqvas A E I; nec non de soni in spatium ingens propagatione; qva occasione non Tubæ tantum Stentorophonicæ hodie usitatæ fit mentio, sed & Buccina Alexandri M. qvæ ad LX milliaria audita fertur, sed conficta videtur Morhofio, in duplici figura, altera qvidem ex *Kirchero*, altera ex *Achilleno* exhibetur. His ita subtiliter expositis, non obscuram amplius causam esse ait, ex qva vitri fractura proveniat. *Data* enim *tali conditione materiæ* (en ipsa Morhofii verba!) *ex armillis parum flexilibus constantis, dato etiam eo, qvod moveri ac comprimi ab externo impellente & undulis illis aereis possint, fieri potest, ut ultra resiliendi potentiam compressa particula resiliant, ipseqve aer vi qvadam eruumpens ipsum vitrum rumpat, ea regione, qvæ qvam maxime ab aere impellente stringitur.* Hæc cum non absone conjectasset, memorabilia qvædam non de scyphorum tantum vitreorum, sed & campanarum, imo & montium saxorumqve fractura subjicit. Qvod autem vitrum per diapason vel sonum octavæ disrumpatur, id rationis dat Autor, qvod octava sonorum omnium sit complementum, fortiorqve longe sit cæteris ob vim motus duplo vehementiorem; non diffitetur tamen vitrum per sonum unisonum rumpi certius, in hanc sententiam tum a *Daniele Bartoli*, tum proprio experimento pertractus; qvanqvam per octavam qvoqve eundem effectum obtineri δευτέρως posse existimet. Sed explicandum jam illud erat, qva ratione vitri partes a sono homogeneo moveantur. Ita igitur hac de re censet Morhofius, *corpuscula undularum aerearum voce propulsarum hoc præcipue in sono poris vitri esse configurata, ut eos subeant, in reliqvis non ita*; ab impulsu enim & motu rem omnem procedere; & qvoniam ab arteria aspera formatur sonus, mirificissimam ejus compositionem non incongrue hic loci contemplatur; ostenfoqve præter impetum etiam celeritatem, modificationem & configurationem soni reqviri, sententiæ suæ tibicinem subdit ex Hookio, eamqve motu chordarum unisonarum simili illustrat, imo & alia in sonis sympathiæ exempla v. g. lignorum, lapidum ac statuarum adducit. Impetus autem jam dicti

dicti omnino magnam & plane admirabilem esse efficaciam, exemplis tonitruum ac tormentorum fragoribus confirmatur. Horum enim obstupenda vis est in frangendis corporibus, fenestris, ovis, scyphis vitreis, in corrumpendo vino & cerevisia, in piscibus examinandis, in laxanda alvo. Mira etiam vis campanarum in tempestatibus discutiendis, mira etiam clamoris militaris. Ubi non incommode & illa ventilatur qvæstio, num muri Hierichuntini vi naturali soni proportionati conciderint, an eversi per miraculum divinum fuerint? Autor postqvam Rabbinorum hac de re explosit mugas, speciose multa pro sententia Mersenni, muros illos naturali sono fuisse dirutos existimantis, affert; agnoscit tamen, tandem vel Deum ipsum, vel angelos immediatam eversionis illius causam, præsertim cum & Apostolus fidei unice ruinam murorum illorum adscribat. Sed hæc obiter de sono explosivo disseruerat. Ad vocem itaqve humanam, qvæ certo sono vitri intima perrumpit, e diverticulo qvasi redit. Cujus modificatio cum sit varia, illius qvoqve artis, qva aliqvis a natura surdus, atque adeo mutus per visum informari sic potest, ut & ipse loqvi discat, & per visum loqventes alios percipiat, autores atqve experimenta profert; deinde de mirabili sonorum corporibus proportionatorum efficacia, nec non de viribus Musicæ in movendis affectibus morbisque curandis plurima ac plane admiranda subjungit, ac denique dissertationem hanc de scypho vitreo per certum vocis humanæ sonum fracto *Hamelii* & *Fogelii* testimoniis, novo item de eo experimento (rumpi & illum posse affirmans, *si alius juxta positus scyphus æqvisonus digito in gyrum ducto ad sonum commoveatur*) & ingeniosissimo epigrammate Germanico obsignat. Sed Autorem inspicere ipsum pretium erit operæ. Is enim uti cornucopiæ qvoddam est eruditionum non trivialium, ita legentes qvosqve sic delectabit, ut ardentissimum in ipsis reliqvorum ingenii fœtuum, qvos affectos perfectosve domi fovet, desiderium accendat.

TRATTATO SOPRA LA PESTE DI GIORGIO Calafatti Nobile Cretense, Dottore e Professore Publico di Medicina Teorica nel celebre Studio di Padova.

id est,

Georgii Calafatti Nobilis Cretensis, Medicinæ Theoreticæ in Academia Patavina Doctoris & Professoris Publici, Tractatus de Peste.

Venetiis, 1682. in 8.

Pestis, qvæ multas hactenus Europæ provincias afflixit, multorum etiam naturam ejus ac medelam explorantium ingenia, diverso cum successu, exercuit. Idem argumentum tractaturus Nobilissimus *Calefattus*, pestem veram a contagio distingvendam monet: illam enim ab aeris corruptione dependere, & citra aliarum rerum contactum per inspirationem solam homines opprimere; hoc vero, etsi etiam universalem causam supponat, nonnisi per contactum rerum aut personarum infectarum propagari. Præterea peste vera non homines tantum sive bene sive male dispositos, sed bruta qvoqve corripi asserit: contagio autem homines tantum male dispositos, non vero bruta, nisi res infectas devorarint. Qvemadmodum vero illos ad contagium excipiendum maxime pronos & aptos judicat, qvi rariore corporis habitu ac cute gaudent: sic densiori textura instructos majori cum periculo idem experiri censet, qvod hæc venenum semel conceptum non adeo facile evaporare sinat. Inde, qva ratione homines pestis corripiat, ostendit, signaqve ejus triplicia, scilicet prognostica, indicativa, & rememorativa seu ἀναμνηστικά, & causas pestis explicat, ac demum remedia tam præservativa, qvam curativa, prolixa serie recenset.

EXPERIMENTA NOVA CIRCA PANcreas. Accedit Diatribe de Lympha & genuino Pancreatis usu. Authore Joh. Conr. Brunnero, M. D.

Amstelodami, 1682. in 8.

Cum observasset *Cl. Brunnerus*, Pancreas, cui superiora secula vix pulvinaris, ventriculum fulcientis, aut spongiæ, recrementa serosa absorbentis, munus concesserant, a diversis magni nominis hoc ævo Medi-

Medicis atqve Anatomicis, v. g. a *Sylvio & Graefio*, ad vitam ſumme neceſſarii lacticis fontem, unde omnis animali ſalus æqve ac interitus promanet, conſtitui, i. e. in theoria ac praxi omne fere punctum illud ferre: per experimenta, in pluribus canibus vivis adornata, hypotheſin hanc laudabili maxime conatu examinavit; ſcilicet vel pancreas poſt ligaturam decentem extrahendo, vel hujus ductus tantum reſecando, adeoqve commerciū hujus viſceris cum inteſtino interſcipiendo; & qvidem utplurimum animali ſoſpite & incolumi manente, commodeqve poſt conſolidatum abdominis vulnus edente, bibente, egerente, & uno verbo, cunctas functiones vitales rite obeunte; imo uno qvoqve ex martyribus his anatomicis catulos pariente, in diſſectis vero poſt mortem omnibus viſceribus ordinarie & ſecundum naturam conſtitutis. Atqve hæc qvidem aliqvoties repetita experimenta horumqve adminiſtrandi rationem prolixioribus non tantum circumſtantiis deſcribit, ſed relationibus etiam illorum alia phænomena anatomica paſſim immiſcet, v. g. pulſum cordis in cadavere canino, per flatum receptaculo lumbari immiſſum, reſuſcitatum & ab octava matutina ad duodecimam cum dimidia horam continuatum; humorem pancreaticum non acidum, ſed inſipidum fere aut ſubſalſum, obſervatum; Thoracici ductus & Lymphatici ſuperioris varium contenſum, & ad venam cavam habitudinem; inſertionem ductus pancreatici in cholodochum ſingularem &c. Hinc lymphæ amplum ſatis in oeconomia animali uſum explicat, ac duplicem eam pronunciat, glandularum ſc. conglomeratarum, & conglobatarum: qvarum illa viſcidior alimentis digerendis, in ore, ventriculo ac inteſtinis, commiſceatur; hæc vero limpidior magisqve defæcata, immediate ipſi chylo intra glandulas meſenterii, ductum thoracicum, & venam ſubclaviam affundatur; utramqve nihilominus unam ſcaturiginem, ſc. ſangvinis ſerum, agnoſcere docet. In ſpecie ad Menſtruum ſeu humorem ventriculi ſolventem digreditur, hujusqve acorem, hactenus Scholis Medicorum adeo decantatum, per argumenta non minus ac experimenta, deſtruit; illum autem vel ratione ſubſtantiæ ſuæ aqveæ ſalinas alimentorum particulas diſſolvere, vel activitatis, qvam a ſpirituum animalium elaſticitate recipiat, has & alias divellere, digeſtione præprimis ſuperveniente ait; ita ut deliqveſcendo qvaſi alimenta in chylum abeant, ex iis vero emollitis, per ventriculi & inteſtinorum reciprocas conſtrictiones & trituraciones, hic, inſtar emulſionis

nis cujusdam, simul exprimatur; variis experimentis hypothesin hanc suam comprobans. Ast intestinorum tubum postqvam elabatur chylus, a conglobatarum demum lympha, tam intra mesenterium, qvam extra hoc, perfectionem ultimam hunc demum ait recipere: ita tamen, ut, cum qvædam animalia lympha conglobatarum glandularum plane destituantur, sc. ovipara & qvæ non lactant, adeoqve nec vasis lacteis gaudent, in his conglomeratarum lympha uberior observetur, v. g. in pennatis & serpentibus, imo ex his non improbabile fiat, aliqvid chyli per venas qvoqve mesaraicas rubras massæ sangvineæ adduci. Usum ergo pancreatis Noster eum suspicatur, ut ejus succus chylificationem in ventriculo inchoatam, cum glandularum intestinalium latice, continuet, ciborum particulas exagitatas irretiat, simulqve bilis acrimoniam temperet, neutiqvam vero, qvæ *Sylvii, Graefii* aliorumqve est sententia, cum eadem effervescat: qva occasione in puero ductum pancreaticum atqve cholodochum (præter consvetum alias in homine naturæ ordinem) diversis & transversi fere digiti distantia, in duodenum osculis insertos, mediante nihilominus canali qvodam transverso communicantes, se vidisse refert. Qvod autem rescisso qvamvis pancreate omnes actiones naturales rite se habeant, ideo contingere putat, qvoniam ad alia filtra glandulosa tunc temporis idem succus copiosius redundat, adeoqve in his usum pancreatis, alimentis & chylo præstandum, restituit. Deniqve qvomodo chylus ac lympha sangvini connubat, qvosqve usus cruor æqve ac aliæ partes ab hac percipiant, exponit: sc. qvod sangvinis partes cunctas involvat, spirituosas irretiat, hasqve æqvaliter dispensat, salinas temperet, cunctas vero alias, agglutinet, a glandulis conglobatis resorpta chylum diluat, intra conglomeratas vero aliis, & nominatis jamdum succis præparandis inserviat; Spiritibus animalibus, qvi sine viscoso hoc alias facile evanescerent, aut intempestive ac tumultuarie moverentur, vehiculum ac frænum exstat, & animal intra & extra uterum nutriat. Qvibus demum *Joh. Conr. Peyeri*, Schediasma de pancreate & ejus usu, una cum Autoris Responso subnectitur.

JAN.

JAN. ABR. A GEHEMA, EQ. MED. DOCT. S. R. M. Polon. Consil. & Medici Extraord. de Morbo vulgo dicto Plica Polonica, Literulæ ad D. Cornel. Bontekoe.

Hagæ Comitis, 1683. in 8. & Hamburgi in 12.

QVi miles & centurio hactenus extiterat, e castris Martialibus ad Medica transiit Scriptor præsens, non tantum de Moxæ in Podagra usu hoc ipso anno edito tractatu, sed & Epistola hac publicata. Sc. cum videret, raram hanc de Plica Polonica materiam a paucis admodum Medicis sufficienter fuisse enucleatam, imo ipsos Poloniæ Practicos ad alios, sc. Italos, suos, qvos morbo hoc affectos observant, non sine Nationis suæ dedecore ablegare, qvasdam a se in eodem malo observatas circumstantias congessit, harumqve causas & medelã a *Dn. Bontekoë*, ut Practico celeberrimo, petit. Præprimis autem Russis potius, qvam Polonis, morbum hunc gentilitium seu inqvilinum asserit; per contagium eundem propagari, variisqve præter plicas capillorum symptomatis, v. g. paralysi, arthritide, contracturis, colica, visus imbecillitate, cœcitate &c. stipari: imo certis aqvis vim plicandi, & qvidem in momento fere, subesse. Gloriari in his plicis Sarmatas ait, easqve non saltem in capite, sed in pube qvoqve gestare; imo Scythiæ, Poloniæ & Russiæ bruta nonnulla, oves sc. canes, ac freqventius eqvos, iis infuscari: & qvod stupendum, fœtus qvoqve, calvastros natos, per solius imaginationis maternæ vim temporis tractu plicas contrahere.

Occultatio Palilicii

observata

GEDANI

a

JOHANNE HEVELIO,

Anno æræ Christ. 1683, die 9 Januarii St. n. vesp.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK BERLIN

Ordo Phasium.	Temp. Horol. amb. Hor. / //	sec.	Observationes Palilicii.	Distantiæ & Altitudin. ° / //			Qvo Instrum.	Tempus Correct. Hor. / //		
1	8	43	5	Dist. Palilicii a Sectione luminis & umbræ Lunæ.	0	29	39	Micromos.	8	49	5
2	8	47	30	Eadem distantia	0	27	22		8	53	30
	8	54	30	Altitudo Pollucis	48	48	0	Qvad. or.	9	0	5
	8	55	15	Eadem altitudo	48	53	0		9	1	22
3	8	58	10	Dist. * a Sect. luminis ac umbræ denuo capta.	0	22	48	Microm.	9	4	10
4	9	22	30		0	13	41		9	28	30
5	9	42	15	Initiũ Occultationis Palilicii				Telescop.	9	48	15
	9	50	40	Altitudo Reguli	24	12	0	Qvad. or.	9	56	35
	9	54	15	Eadem altitudo	24	40	0		9	59	51
6	10	55	30	Finis Occultationis Palilicii				Telescop.	11	1	30
7	11	3	58	Dist. * ab occid. Lunæ limbo	0	5	19	Microm.	11	9	58
8	11	9	10	denuo	0	7	36		11	15	10
9	11	13	20	Iterum capta,	0	9	7		11	19	20
	11	19	12	Altitudo Reguli	36	16	0	Qvad. or.	11	25	32
	11	21	2	Eadem altitudo	36	22	0		11	26	20
	11	23	20	denuo observata	36	40	0		11	28	46
10	11	28	30	Dist. * ab occid. Lunæ limbo.	0	15	12	Microm.	11	33	56
	11	35	40	Diameter Lunæ	0	31	30	Microm.	11	41	40
11	11	44	23	Distantia Palilicii a limbo Lunæ occidentali.	0	26	48		11	50	23

Notanda.

Hæc observatio ex voto, cœlo perqvam sudo a me peracta est; non solum enim ipsum initium occultationis exqvisitissime, sed & ipsum momentum emersionis notavi; tum nonnullas distantias, priusqvam stella tecta fuit a confinio Lucis ac umbræ, ope Micrometri, tum post emersionem diligenter dimensus sum. Luna eo tempore nondum ad Oppositum venerat Solis, sed confinium Lucis & umbræ incidebat ad Mont. Porphyritem, Mare Syrticum & Sinum Sirbonis; diameter Lunæ erat 31'. 30" & Libratio ad Paludem Mœotidem minima extitit, Luna versante circa maximam Latitudinem Australem. Linea vero Itineraria Stellæ incedebat sub centro Lunæ ad 4 circit. minut. & qvidem ad Sinum Syrticum, Mont. Sipylum, inter Montem Olympum, & Mont. Didymum, ad Sinum Athenienſem, per Fretum Ponticum, infra Insulam Majorem Maris Caspii.

TRAITE DE LA PRATIQVE DES BILLETS, entre les Negotiants, par N. N. Docteur en Theologie.

Sive

Sive

Tractatus de usu schedularum inter Mercatores N. N. Theologiæ Doctoris.

Lovanii, 1682 in 12.

Diu multumqve agitata est inter Christianos, nec immerito, qvæstio de usuris, an & qvatenus eæ licitæ sint; incumbit enim fidelibus, ut a peccatis, sub periculo amittendæ salutis, abstineant. Cum autem Mercatores, ut de aliis jam nihil dicatur, sine fœnore negotiari non possint, & de hoc per schedulas, (billets) aut cambii, qvod vocant, literas, sibi cavere soleant, Autor hic conscientiæ illorum prospecturus, qvæstionis statum proponit, qvid mutuum & qvotuplex sit, & qvæ usurarum ratio & utilitas explicat, deinde assertum it, usuras ad præscriptum Legum exerceri posse, nec peccari contra jus divinum naturale, positivum; humanum sive Gentium, Canonicum, Civile, decreta Pontificum, Conciliorum, Regum; & respondet ad objectiones. Hæc omnia breviter & terse, ut mereri videantur, transferri etiã in alias lingvas, & cum pluriũ regionũ legibus conferri, atqve expendi.

LA VIE DU SULTAN GEMES, PAR LE Sr. J. B. de Rocoles, &c.

Sive

Sultani Gemis, unici fratris Bajazethis II Turcorum Imp. Vita, per J. B. de Rocoles, Historiographum Gallicum & Brandeburgicum.

Lugduni Batavorum, 1683 in 12.

Turci illius, sive Gemis, sive Zizimi, aut aliud nomen habuit, crudelitatem fratris fugientis, sed ab Alexandro VI Pontifice, ære Turcico corrupto, veneno sublati, multi illorum temporum Scriptores meminerunt. Excerpsit & examinavit illa Rocolius, aliis jam libris famam adeptus, & additis ingeniosis digressionibus, Commentarii historici modum implevit, in materia fere sterili. Secutus inter alios est *Verderium*, qvi compendium rerum Turcicarum Gallice scripsit, aliaqve non pauca: sed hunc cum uxore in Xenodochio prope Lutetiam miserrime & exemplo literatis metuendo viventem se deprehendisse, non sine dolore commemorat.

METHODUS AUFERENDI OMNES TERMINOS INTERMEDIOS ex data æqvatione, per D. T.

EX Geometria Dn. Des Cartes notum eſt, qva ratione ſemper ſecundus terminus ex data æqvatione poſſit auferri; qvoad plures terminos intermedios auferendos, hactenus nihil inventum vidi in Arte Analytica: imo non paucos offendi, qvi crediderunt, id nulla arte perfici poſſe. Qvapropter hic qvædam circa hoc negotium aperire conſtitui, verum ſaltem pro iis, qvi Artis Analyticæ apprime gnari, cum aliis tam brevi explicatione vix ſatisfieri poſſit: reliqva, qvæ hic deſiderari poſſent alii tempori reſervans.

Primo itaqve loco, ad hoc attendendum; ſit data aliqva æqvatio cubica $x^3 - px x + qx - r = o$, in qva x radices hujus æqvationis deſignat; p, q, r, cognitas qvantitates repræſentant: ad auferendum jam ſecundum terminum ſupponatur $x = y + a$, jam ope harum duarum æqvationum inveniatur tertia, ubi qvantitas x abſit, & erit

$$\begin{array}{rl} y^3 + 3ayy + 3aay + a^3 = o & \text{Ponatur nunc ſecundus terminus æqva-} \\ -pyy - 2pay - paa & \text{lis nihilo (qvia hunc auferre noſtra in-} \\ + qy + qa & \text{tentio) eritqve } 3ayy - pyy = o. \text{ Unde} \\ - r & a = \frac{p}{3}: \text{ id qvod indicat, ad auferendum} \end{array}$$

ſecundum terminum in æqvatione Cubica, ſupponendum eſſe loco $x = y + a$ (prout modo fecimus) $x = y + \frac{p}{3}$. Hæc jam vulgata admodum ſunt, nec hic referuntur aliam ob cauſam, qvam qvia ſeqventia admodum illuſtrant, dum hiſce bene intellectis, eo facilius, qvæ modo proponam, capientur.

Sint jam ſecundo in æqvatione data auferendi duo termini: dico, qvod ſupponendum ſit, $x x = bx + y + a$; ſi tres, $x^3 = cxx + bx + y + a$; ſi qvatuor, $x^4 = dx^3 + cxx + bx + y + a$, atqve ſic in infinitum. Vocabo autem has *æqvationes aſſumtas*, ut eas diſtinguam ab æqvatione, qvæ ut data conſideratur. Ratio autem horum eſt: qvod eadem ratione, prout ope æqvationis $x = y + a$ ſaltem unicus terminus poterat auferri, qvia nimirum unica ſaltem indeterminata hic exiſtit a, ſic eadem ratione ope hujus $xx = bx + y + a$, non niſi duo termini poſſunt auferri, qvia duæ indeterminatæ a & b adſunt;

adſunt; ac ſic porro ope ſeqventis $x^3 = cxx + bx + y + a$, non plures tribus auferri poſſunt, qvia tres tantum indeterminatæ a, b, c. Ut autem intelligatur, qva ratione hoc aſſeqvi liceat, oſtendam qva ratione duo termini ex data æqvatione ope aſſumptæ $xx = bx + y + a$ ſint auferendi: hinc enim (cum ubiqve eadem Methodus ſit procedendi) facile conſtabit, qvomodo in hac re progrediendum, qvousqve qvis velit. Sit itaqve

Tertio, Æqvatio Cubica $x^3 - pxx + qx - r = 0$, ex qva auferendi duo intermedii termini: auferatur primo ſecundus terminus (id qvod eqvidem non opus eſt, ſed ſaltem hic ob nimiam prolixitatem evitandam fit) tunc hinc obtinebimus æqvationem ſimilem huic $y^3 - qy - r = 0$. Jam ſit aſſumta æqvatio (juxta ſecundã annotationem) $yy = by + z + a$, & fiat porro hinc tertia æqvatio (procedendo juxta cognita Analyſeos præcepta) ubi qvantitas y penitus abſit, & obtinebitur

$z^3 + 3azz + 3aaz + a^3 = 0$ Ponantur jam in hac æqvatione Cubica ſecundus & tertius terminus æqvaleſo (qvia hos duos intermedios auferre noſtrum propoſitum) & orientur hinc duæ æqvationes $3azz - 2qzz = 0$, & $3aaz - 4qaz + qqz - qbbz + 3rbz = 0$, qvarum ope duæ indeterminatæ determinantur: invenitur ſiqvidem $a = \frac{2q}{3}$ & $b = \frac{1}{q}$ multiplicatum in $\frac{r}{2} \pm \sqrt{\frac{rr}{4} - \frac{q^3}{27}}$. Si itaqve loco a & b modo inventæ qvantitates ſubſtituantur in æqvatione $yy = by + z + a$, ejus ope, in æqvatione data Cubica, duo termini poterunt auferri; ſeu qvod eo recidit, data æqvatio Cubica ope hujus æquationis $yy = by + z + a$, in aliam Cubicam æqvationem transmutabitur, ubi duo intermedii termini ablati erunt. Et ſic idem proceſſus obſervatur ad tres, qvatuor, qvinqve &c terminos auferendos. Cum enim data æqvatio ſemper ope aſſumptæ ad aliam redigatur, qvæ æqve altas dimenſiones obtinet (veluti unico intuitu patet hic fieri) in hac tertia, tres, qvatuor, qvinqve &c termini poterunt æqvales poni nihilo, atqve hinc totidem ſemper æqvationes habebimus, qvot indeterminatæ

adsunt, ut proinde hæ semper ope harum æqvationum possint determinari.

Notandum qvarto, qvod hinc similes regulæ possint formari, atqve exhibet Dn. des Cartes pro auferendo secundo termino ex data æqvatione, dum dicit, qvod ad auferendum secundum terminum ope æqvationis $x = y + a$ in æqvatione qvadratica qvantitas a debeat æqvari $\frac{p}{2}$; in æqvatione Cubica $\frac{p}{3}$, atqve sic porro. Dico etenim, qvod ad auferendos duos terminos ope æqvationis $xx = bx + yy + a$, in æquatione Cubica $x^3 + qx + r = o$, a debeat supponi æqvalis $-\frac{2q}{3}$ & $b = \frac{1r}{2q} + \sqrt{\frac{27r}{499} + \frac{qq}{9}}$: in æqvatione qvadratoqvadratica, $x^4 + qxx + rx + s = o$, debeat supponi $a = -\frac{2q}{4}$, & $b = \frac{1r}{2q} + \sqrt{\frac{9rr}{499} + \frac{1q}{8} - \frac{1s}{q}}$: in Æqvatione $x^5 + qx^3 + rxx + sx + t = o$, $a = -\frac{2q}{5}$, & $b = \frac{1r}{2q} + \sqrt{\frac{27r}{499} + \frac{1q}{8} - \frac{1s}{q}}$: in æqvatione deniqve $x^6 + qx^4 + rx^3 + sxx + tx + u = o$, $a = -\frac{2q}{6}$, & $b = \frac{1r}{2q} + \sqrt{\frac{9rr}{499} + \frac{qq}{8} - \frac{1s}{q}}$, atqve sic in infinitum. Qvi itaqve similibus delectatur, his bene intellectis, rem hanc facile ulterius promovere poterit.

Qvinto, Qvalis autem promotio Analyseos hæc sit, & qvanti usus, periti Analystæ facile judicabunt: Ego unicum saltem hic corollarium deducam, qvod nimirum hinc Methodus exhibeatur omnium æqvationum cujuscunqve gradus Radices analytice determinandi, idqve exemplo ostendam. Sit etenim æqvatio Cubica $x^3 - pxx + qx - r = o$, auferatur hinc secundus terminus ope hujus $x = \frac{1}{3}p + y$ & invenietur

$y^3 - 3ppy - 2p^3 = o$ Ponatur jam brevitatis causa $3pp - 9q = q$,
$+ 9qy + 9pq$ & $2p^3 - 9pq + 27r = r$: Unde erit $y^3 - qy$
$- 27r.$ $- r = o$. Jam hæc æqvatio rursus transmutetur in aliam Cubicam, ubi duo intermedii termini absint, idqve fiet (prout supra indicatum) ope æqvationis $y = by + z + a$, si nim. qvantitas a fiat æqvalis $\frac{2q}{3}$ & $b = \frac{1}{3}$ in $\frac{r}{2} + \sqrt{\frac{rr}{4} - \frac{qq}{27}}$ (fiat brevitatis causa $\sqrt{\frac{rr}{4} - \frac{qq}{27}} - \frac{q}{3} = f$, & $\frac{r}{2} + \sqrt{\frac{rr}{4} - \frac{qq}{27}} = g$) tunc etenim invenietur hinc $z^3 = -\frac{216fgz}{qq}$ Unde $z = -\frac{6f}{q}\sqrt{gg}$ Antea erat $yy = \frac{1qy}{9} + \frac{1q}{3} + z$, cum vero qvantitas z modo inventa, erit $y = \frac{1q}{2q} + \sqrt{\frac{9qq}{499} + \frac{1q}{3} - \frac{6f}{q}\sqrt{gg}}$.

Porro

Porro antea qvoqve ſupponebatur $x=\frac{p}{3}+\frac{y}{3}$; cum itaqve y jam inventa, erit tandem $x=\frac{p}{3}+\frac{p}{3q}+\sqrt[3]{\frac{p^3}{27qq}+\frac{pp}{27}-\frac{pp}{9q}\sqrt{\frac{1}{3}}}$ Radix æqvationis Cubicæ $x^3-px x+qx-r=0$, qvæ Radix diverſa eſt ab expreſſione Cardanica, & præcipue qvoqve in eo, qvod unicum ſignum radicale Cubicum includat; cum Cardanica expreſſio duo involvat.

Notandum vero ultimo, qvod non ſolum ope æqvationum exhibitarum annotatione ſecunda, duo, tres, qvatuor &c termini ex data æqvatione auferri poſſint; ſed qvod variis aliis æqvationibus, diverſis ab his, idem qvoqve facere poſſim: imo qvod omnes poſſibiles æqvationes, ope qvarum hoc negotium peragi poſſit, facile enumerare valeam: Ac qvod proinde (per annot. 5) omnium æqvationum, omnes poſſibiles expreſſiones Analyticas Radicum, hac Methodo exhibere poſſim, prout ſuo loco diffuſius explicabo. Jam ad confirmationem horum, qvæ modo dixi, breviter oſtendam, qva ratione etiam alia expreſſio Radicum Cubicæ æqvationis, ope ablationis terminorum poſſit detegi, qvæ apprime reſpondet Cardanicæ expreſſioni. Sit etenim $y^3-qy-r=0$, ſupponatur $yz=zz+a$, & ope hujus inveniatur tertia, ubi y penitus abeſt, $z^6+3az^4-rz^3+3aazz+a^3=0$:
$-qz^4 \qquad -qazz$
in hac æqvatione, ſi termini, ubi z qvatuor & duas dimenſiones obtinet, ponantur æqvales nihilo, invenietur $a=\frac{q}{3}$ & hinc erit $z^6-rz^3+\frac{q^3}{27}=0$: Unde $z=\sqrt[3]{\frac{r}{2}+\sqrt{\frac{rr}{4}-\frac{q^3}{27}}}$ qvæ reſtituta in æqvatione aſſumpta $yz=zz+\frac{q}{3}$ exhibet $y=\sqrt[3]{\frac{r}{2}+\sqrt{\frac{rr}{4}-\frac{q^3}{27}}}+\frac{\frac{q}{3}}{\sqrt[3]{\frac{r}{2}+\sqrt{\frac{rr}{4}-\frac{q^3}{27}}}}$, Radicem deſideratam æqvationis $y^3-qy-r=0$.

ISMAELIS BULLIALDI OPUS NOVUM ad Arithmeticam Infinitorum, Libris ſex comprehenſum.

Lutetiæ Pariſiorum, in fol. 1682.

Pro-

PRodiit anno 1656 Oxonii *Arithmetica Infinitorum D. Joannis Wallisii*, Geometriæ Professoris Oxonienſis celeberrimi: qvam poſtqvam, titulo libri invitatus, evolviſſet *Cl. Bullialdus*, utilitate inventi amplisſima adductus eſt ad pertexenda ea, qvæ reliqva ſibi a *Walliſio* facta eſſe deprehendit. Tam nobilem enim methodum, tamqve late profuturam, non ſola inductione, in qva ſubſtitiſſe *Bullialdo* viſus eſt *Walliſius*, abſolvi, ſed geometricis arithmeticisqve demonſtrationibus exornandam ratus, jam inde ab anno 1662 fila huic operi contexendo ducere cœpit: qvod, poſtqvam ad ſextas usqve qvantitates delatus, involutionem rationum & numerorum in altioribus gradibus occurrentium multitudinem exhorruiſſet, conſummatum luci expoſuit publicæ. Qvam autem in condendo Opere, in qvo nova plurima, nemini hactenus Mathematicorum animadverſa, demonſtrationibus qvamplurimis novis elegantiſſimisqve inſtructa pertractavit, tenuerit, brevi ſex librorum, in qvos diſtributum eſt, recenſione non difficulter intelligetur.

In *primo* autem *Libro*, primi fundamenti loco ſimplices numeros adhibens, atqve a poſitis ab unitate deinceps exorſus, imparium, pariumqve & triangularium proprietates evolvit; eosqve tum ipſos, tum ipſorum ſummas inter ſe comparat: Triangularium præcipue, qvorum ſcilicet uſum veluti perpetuum comperit, ita ut citra opem eorum multæ qvantitates, nec plene cognoſci, nec commode inter ſe comparari poſſint, naturam ſedula indagine rimatus eſt, diligenterqve explicuit.

Secundo poſt *Libro*, gradu ad qvadratos promoto, horum & triangularium mutuas habitudines, & mirabilem cumprimis connexionem, qva ſummæ, ex diverſis ſeriebus qvadratorum ab unitate, & contiguis deinceps numeris continuatorum collectæ, ſibi in infinitum reſpondent, demonſtrat: juxta qvam nempe,

Series { primæ triplum / ſecundæ qvadruplũ / tertiæ qvintuplum } + qvintuplo { ſecundæ / tertiæ / qvartæ } { duplo tertiæ / =triplo qvartæ / qvadruplo qvintæ }

ſeriei, & ſic in infinitum.

Tertio, univerſali nulliqve hactenus uſurpata methodo, ſub qvibus numeris aut magnitudinibus triplum ſummæ Qvadratorum, qvadruplum ſummæ Cuborum, & qvintuplum ſummæ Qvadrato-qvadra-

qvadratorum, in ſerie continua ab unitate ſumtorum contineatur deducit: ortus porro oſtendit multiplicium ex his, eorundemqve ad multiplices maximorum, Qvadrati, Cubi, Qvadratoqvadrati, in ſummis memoratis poſitorum habitudines; qvas ad conſeqvendum proportiones definitarum ab illis magnitudinibus figurarum apprime utiles pronunciat.

Idem etiam *Qvarto Libro* circa Qvadratocubos & Cubocubos qvintas ſc. & ſextas qvantitates præſtat: i. e. ſub qvibus magnitudinibus ſummæ, illorum ſextuplum, horum vero ſeptuplum contineatur, enunciat; atqve hic, ut in antecedentibus, diſpoſitionem numerorum & analogiam, aliis Autoribus ignotam adhibet, eaqve demonſtrando perficit, qvæ *Celeberrimus Wallisius* inductione inchoaverat. Ex qvibus omnibus *Bullialdus* concludit, ſpatiorum plurimorum, ſolidorumqve menſuras, & rationes qvas inter ſe habent, methodo Arithmeticæ Infinitorum oſtenſive demonſtrari & definiri poſſe: adhibitis non ſolum illis poteſtatum gradibus, qvibus demonſtrationes prægreſſæ conſtant; ſed etiam altioribus, qvibus ſuæ qvoqve proprietates inſunt & rationes.

Huic aſſertioni confirmandæ, *Libro qvinto*, in tres partes diviſo, ex antegreſſis facilius atqve ab *Archimede* præſtitum eſt, demonſtrat, qvas inter ſe ſervent rationes, ſphæra, cylindrus & conus, eorumqve ſuperficies. Parabolas deinde qvadraticas in cono ſectas, cubicas, qvadratoqvadraticas & ſuperſolidas conſiderat; earum qvadraturas exhibet, & qvomodo ad ipſas ducendæ ſint tangentes, non ſine aliqva in *Wallisii* & *Stephani de Angelis Conica* ſtructura docet. Conoidea porro, ab ipſis genita, ut ſe habeant ad cylindros & conos æqve altos, & ſuper iisdem baſibus conſtitutos definit. Hyperbolas deinde conicas & cubicas contemplatus, in ſphæroidibus definit.

Libro tandem *ſexto* in Theorematibus qvibusdam, qvæ ad parabolam & circulum junctim conſideratos ſpectant, occupatur, & occaſione data refractiones radiorum luminoſorum in lentibus vitreis ſphæricis, parabolicis, hyperbolicis & ellipticis, qvæqve illarum perficiendis teleſcopiis conducant, determinat: demonſtrationibus qvarundam propoſitionum, qvas *Dn. Wallisius* inductione probaverat, in antecedentibus a ſe omiſſis finem operi faciens.

REMARQVES SUR LES ACTES DE LA derniere assemblée generale du Clergé de France.

Sive

Animadversiones in Acta nuperorum comitiorum generalium Cleri gallicani, sive Examen commonefactionis pastoralis, & methodorum, qvas Clerus proposuit.

Opus ex Anglico Dn. Burneti Gallice versum a Dn. de Rosemond.

Londini, 1683. in 12.

ANnus jam vertitur, cum auditum est, Clerum Gallicum Romano-Catholicum, auctoritate Regia congregatum, commonefactionem ad Galliæ Protestantes edidisse, per qvam ad conciliationem cum Ecclesia Romana paterne & humanissime invitarentur. Propositos etiam, methodorum nomine, XVII modos fuisse, qvibus conversio illorum absqve violentia procurari posset. Et utrumqve qvidem scriptum non Lutetiæ tantum Parisiorum, sed in Belgio etiam jam superiori anno excusum, publice prostat. In Anglia vero non recusa tantum nuper hæc opuscula, sed sub examen etiam vocata sunt a Burneto, cujus in ea animadversiones Anglico idiomate compositas in Gallicum Rosemondus vertit, ac cum iis simul publici juris fecit.

Exhortatoria vero Cleri Calendis Jul. 1682 Parisiis data, subscripta habet nomina Archi-Episcoporum VIII, Episcoporum XXVI, aliorumqve Prælatorum & Theologorum complurium. Stylus benignus est, & temperatus. Compellantur Protestantes fratrum nomine; vocantur blande in sinum Ecclesiæ; urgentur sæpius, ut dicant, qvare separationem sive schisma fecerint? Præsupponitur, non aliam illos causam habuisse, qvam corruptelam morum in Ecclesia Romana deprehensam, sed ob hanc deseri unionem fidei non debuisse; peccatum id Donatistarum & Novatianorum fuisse. Laudatur Regis Christianissimi zelus ad reducendos errantes, & tollendum schisma. Additur

tur tandem cautio & proteſtatio, qvam integram hic legi, qvia digna conſideratione eſt, non ingratum fortaſſe Benevolo Lectori futurum eſt. *Qvod ſi*, inqviunt, *facere adhortantibus nobis pertinaci animo renuitis; ſi nec precibus vinci, nec flecti charitate, nec monitis adduci ad concordiam vultis, Angeli qvidem pacis amare flebunt; nec tamen vos continuò, ut fieri par eſſet erga nimium pervicaces, relinqvemus vobis: ſed per ſepes & ſpinas oves Chriſti qværere non deſinemus: & cum effecerimus omnia, propter qvæ mentes veſtræ nobis reconciliari debuerint, pax noſtra demum, vobis cum reſpuentibus tam officioſe tam ſincere oblatam, revertetur ad nos, nec amplius requiret Deus animas veſtras de manu noſtra; & qvemadmodum hic error veſter noviſſimus erit pejor priore, ſic erunt noviſſima veſtra pejora prioribus. Verum meliora ſperamus, Fratres, & ſaluti veſtræ viciniora.* Animadverſionis ad Paſtoralem hanc Epiſtolam ſumma eſt, male convenire vocem Jacobi cum manibus Eſavi. Inter ipſa enim blandiloqvia hæc, adverſus Proteſtantes ſummum rigorem adhiberi, & fidem tum Regiorum Edictorum, & benevolentiæ Paſtoralis, a Clero oſtentatam, ipſo facto ſubverti: certe ſpiritum Chriſti miſericordis & placidi non apparere. Deinde, fruſtra exigi profeſſionem cauſarum ſchiſmatis; eas enim notiſſimas & toties vulgatas eſſe, qvotidieqve ſcriptis & doctrina publica exhiberi.

Seqvuntur Methodi XVI (alii XVII numerant) ad convincendos Proteſtantes partim a Cardinale Richelio, partim ab aliis inventæ, ac a Clero Gallico ſuperiore anno publicatæ; & in carum ſingulas, Burneti Angli animadverſiones, qvibus id agit Auctor, ut oſtendat, iſtis qvidem machinis religionem, qvalem Calviniani profitentur, non ſubrui. Ac optandum omnino eſſet, ut & ea, qvæ Clerus Gallicus his ipſis methodis parti adverſæ objicit, & qvæ ad ea Burnetus regerit, recenſeri hic accurate poſſent. Fatendum enim, qvod præcipua controverſiarum, qvæ inter Romano-Catholicos, & Proteſtantes Calvinianos hodie intercedunt, momenta hic expendantur. Aſt fieri hoc ea brevitate non poteſt, qvæ inſtituto noſtro convenit: & nulli dubitamus, librum hunc non magnum, Cleri Gallici methodos, & Burneti ad eas reſponſa complexum, propediem in latinum etiam ſermonem iri translatum, ut legi ab omnibus, etiam Gallicam linguam non callentibus poſſit.

Deniqve Burnetus ſibi qvoqve licere exiſtimat, qvæ Romano-Catholicis convincendis conducant, proferre in medium, qvæqve ſuſpectam religionis Romano-Catholicæ veritatem faciant. Scilicet 1, qvod ſibi auctoritatem definiendi credenda arrogent, & obedientiam cœcam exigant, plebem a lectione S. Literarum arcendo, utendo lingva peregrina in cultu publico, atqve ita occultando myſteria divina, & populum in ruditate ac ignorantia detinendo. 2. Qvod ad evehendam Cleri potentiam tot dogmata foveant, jactando ſummum miraculum in converſione ſacramenti, vim conſecrationum, neceſſitatem confeſſionum particularium, & qvod vim ſacramentorum dependere faciant ab intentione ſacerdotum, ut adeo omnium hominum ſalus in illorum arbitrio verſetur. Eodem pertinere exemptionem cleri ab imperio Magiſtratus politici, hierarchiam Pontificiam, hujusqve prætenſam ſuper Reges & regna poteſtatem. 3. Qvod doctrinam invexerint, ficto purgatorio, venditisqve cenſuris, per qvam opes provinciarum Chriſtianarum magna ex parte in Cleri dominium conceſſerint. Plus hæc dogmata illi profuiſſe, qvam Hiſpaniarum Regi inventam Americam. 4. Qvod auctoritatem ſibi, & dogmatibus atqve potentiæ ſuæ qværant, falſis diplomatibus, corruptis libris, fictis miraculis, & Sanctorum fabulis, ut jam cordati & doctiſſimi ex eorum cœtu agnoſcant ac erubeſcant, Rituales etiam libros a fabulis purgandos. 5. Qvod ſumma iracundia & crudelitate adverſus diſſentientes graſſentur, contra doctrinam & exemplum Chriſti. Tandem axiomata eorum, qvibus maxime innituntur, aggreditur, negatqve probari poſſe jactatam ſucceſſionis Epiſcopalis non interruptam ſeriem; nec recte Eccleſiæ immunitatem ab omni errore attribui credit; obſtare enim Judaicæ Eccleſiæ exemplum tempore Chriſti, qvæ vera fuerit, capitali licet errore de officio Meſſiæ inqvinata; infallibilitatem etiam ſeu Eccleſiæ, ſeu Pontificis Romani fruſtra prætendi; & Traditionum ac Præſcriptionum principium admitti non poſſe, qvod applicando, qvæ invocationi Sanctorum, & præſentiæ corporis Chriſti in cœna ex fundamento Traditionis deductæ objici poſſunt, pluribus exeqvitur; ipſisqve tandem Galliæ Epiſcopis Traditionis neglectum ac violationem imputat, qvod ſententiam tot ſeculis in Romana Eccleſia receptam ac ſtabilitam, qva Romano Pontifici jus Reges ac Principes hæreticos aut

hære-

hæreticis patrocinium præbentes deponendi vindicatur, non ita pridem publico solenniqve decreto rejecerint.

REFLEXIONS SUR L' UNION QVE les Calviniſtes ont fait avec les Lutheriens &c.

Sive

Conſiderationes unionis, qvam Calviniſtæ inierunt cum Lutheranis.

Ad exemplar Pariſienſe, 1683. in 12.

ANni ſunt plusqvam qvinqvaginta, cum Miniſtri Reformatarum Eccleſiarum, Synodo Carentoni habita, decreverunt, Lutheranos, qvi vellent, in communionem ſuam recipere, additis rationibus, qvod in principiis fidei idem cum Reformatis ſentiant, nec in cultu ſuo habeant, qvæ idololatrica ſint. Qvod igitur Clerus Gallicanus in Methodo convincendi Proteſtantes, ex hoc decreto primo loco Richelii Cardinalis ductu arripuit, id diſſertatiuncula hac acrius exeqvitur Anonymus, & Reformatis dicam ſcribit, qvod in Lutheranis dogma conſubſtantiationis ferant, nec ob id Fraternitatem Chriſtianam & communionem publicam iis denegent, cum tamen ex illo, vel Calvino teſte, adorationis neceſſitas ſeqvatur; Impoſtores itaqve & obſtinatos eſſe, qvod ob hanc potiſſimum Catholicos Romanos vitent & ſchiſma foveant: ſublato enim hoc obſtaculo idololatriæ, qvam prætexant, nihil reſtare, qvo minus cum Romano-Catholicis conciliari poſſint. Sed huic objectioni qvid Reformati reſpondeant, non eſt ignotum. Burnetus, ſive qvisqvis eſt, qvi nuper ad methodum illam animadverſiones edidit a nobis jam jam recenſitas, ita ſe expedit, ut dicat, Reformatos qvidem conſubſtantiationem non magis, qvam Transſubſtantiationem credere, nec Calvinum, dum contra Lutheranos diſputaret, fruſtra oſtendiſſe, qvid ex dogmate illo ſeqvatur: ſed qvoniam Lutherani conſecutionem negent, nec in praxi illam exhibeant, ſed adoratione Elementorum abſtineant; non convenire, ut ob errorem Theoreticum in hoc articulo

a communione excludantur: sed Pontificios longius progredi, nec intra opinionem consistere. Ideoqve merito schismatis causam, neqve tamen hanc solam dedisse. Hæc ille. Qvæ autem sit Ecclesiæ nostratis sententia, institutioni CHRISTI conformatissima, qva & præsentia realis creditur, & adoratione, deficiente mandato, in actu hoc sacramentali, abstinendum esse statuitur, ex confessione publica & libris eam exhibentibus & explicantibus, peti potest.

CONFERENCES DES PROTESTANTS opposées aux XVII Methodes du Clergé de France.

Sive

Collationes Protestantium, oppositæ XVII methodis Cleri Gallicani.

Lutetiæ, 1682. in 12.

PAucis pagellis Minister qvidam sive Ecclesiastes, ut videtur, inter Reformatos Gallicos, sententiam suam exponit ad postulatum Cleri Romano-Catholici, ut colloqvia inter dissentientes instituantur, qvæ abnuisse, habitis synodis, videntur Reformati. Adducit multas rationes, qvibus ostendat, non abnuenda esse, & respondet ad dubitationes, victoriamqve suis, ut doctioribus, & veritatis fundamento instructis, certam pollicetur. Sed conditiones accipiendi colloqvii has proponit (1) ut ex utraqve parte tres aut qvatuor sint collocutores, ex doctissimis electi. (2) ne ad audiendum admittantur, qvam qvos utraqve pars probaverit. (3) ut placide & absqve convitiis agatur. (4) ut nemini negotium exhibeatur, ob dicta, sed plena libertas & securitas præstetur. (5) ut promittatur utrinqve, seqvenda esse, qvæ vera deprehendantur; non qvidem gloriæ sed salutis causa. (6) judicium unice sit ex sacris literis. (7) ut acta subscribantur & firmentur ab utraqve parte. (8) ut qvoniam a Reformatis exigitur, ut causas schismatis profiteantur & probent, non procedatur ad aliam & novam causam, nisi prius illa, qvam propo-

fuerint,

fuerint, pro insufficienti declaretur: satis enim esse, ad amovendam schismatis culpam, si vel unam causam probent. Videt autor conditiones has admissum non iri, neqve tamen, præter qvintam, ullam relaxari posse. Itaqve nunqvam fore putat, ut ad colloqvia perveniatur; satius tamen esse, ut Protestantes ad ea paratos se, certis nempe, iisqve qvas proposuit, conditionibus, ostendant, qvam si illa defugiant, & calumniandi occasionem præbeant, ac si id ex causæ desperatione facerent.

OBSERVATIONES QVÆDAM ANATOMICÆ circa Pilos, in diversis corporis membris repertos, ut & circa dentes, ossa &c. communicata ab Eduardo Tyson M. D. & Regiæ Societatis Socio.

Excerptæ ex collectionibus Philosophicis Anglicanis num. 2. pag. 11. seqq.

Epistolæ cujusdam Norimbergæ anno 1680 datæ, & Collectionibus Philosophicis Anglicanis insertæ, qvæ cadaver humanum, ante 43 annos sepultum, ac tum forte erutum, maximam partem in pilos longos ac crassos conversum fuisse perhibet; item Scriptorum variorum, *Hippocratis scilicet, Plinii, Cœlii Rhodigini, A. Lusitani, Schenckii, Eustachii, Marcelli Donati, Sculteti, Panaroli, Wierii, Hildani, Bartholini &c.* in diversis corporis humani, aliorumqve animalium internis partibus, pilos observari testantium occasione, observationes hasce illustrissimæ Societati Regiæ nobile ejusdem membrum Eduardus Tyson proposuit. Putat vero, vix ullum interanеorum phænomeno huic freqventius expositum esse, qvam ovarium seu testiculos muliebres, ejusqve rei exempla non ab aliis tantum se percepisse varia memorat, sed & horum tria ex propria autopsia refert.

Primum scilicet in cane fœmella, cujus anteriora satis naturaliter constituta, posteriora emaciata erant, omentum justo majus & extremitatibus suis intestinis, cornubus uteri lateriqve abdominis dextro annatum, observabatur, ut non nisi cum difficultate separari hinc potuerit; illa vero qva adhærescebat, sui parte aliqvantum inflam-

flammatum pluribusqve glandulis intertextum idem cernebatur. In hujus variis insimul membris pilos vidit, scilicet in omento dicto, uteri cornubus, ovario, venis & ventriculo cordis dextro, alios qvidem liberos & separatos, alios in parvis glandulis defixos. Cornua uteri, in qvibus fœtuum antecedaneorum vestigia, extremitatibus suis coaluerant, ita ut ambo testiculi unam saltem magnam & informem constituerent glandulam, cui insculptæ cavitates sinuosæ materiam purulentam ac pilos continebant, qvorum hi longitudine unciam aut unciam cum dimidia æqvabant. Fatetur Tyson, se ad conspectum eorum in ventriculo cordis & venis valde consternatum futurum fuisse, nisi *Cardanus* in cujusdam Hispani, *Slovacius* in fœminæ Cracovienſis, & *Sculletus* in illorum, qvi plicam patiuntur, sangvine tales se vidisse perhiberent.

Alteram observationem ex dissectione juvenculæ, una cum D. Morton, & D. Daniele Cox a se Anno 1679 administrata, promit, in cujus cadavere præter alia specialiora, pro illius mortis ac morbi lenti causis habenda, tumorem testiculi dextri singularem, in duas vesiculas membranaceas, caput humanum æqvantes, abeuntem, deprehenderunt. Vesiculæ hæ parte sua interna invicem communicabant, ac substantia seu liqvore, coagulo & sero lactis simili, turgescebant, qvatenus lymphæ pallidiori moleculæ steatomosæ aut coagulatæ materiæ, qvæ mollis & adiposa, coloris subflavi, ac omnis fere saporis expers observabatur, innatabant. Harum nonnullæ aqvæ calidæ immersæ aliqva sui parte dissolvebantur, & pilos intertextos gerebant; una vero dimidium pugnæ humanæ æqvans, multum eorum coloris argentei, mollium & firmorum, ulnam cum duabus unciis utplurimum longorum, & ab omni connexione liberorum fovebat. Aliqvandiu asservati pili hi ad subfuscum magis colorem vergebant, freqventiusqve contrectati rumpebantur. In externa majoris illarum vesiculæ parte residuum conspiciebatur ovarii seu testiculi, & in hoc nonnulla ovula, aut hydatides, hujus propemodum (Oo) crasitiei: simulqve, qvod mirandum, substantia inibi latebat, qvæ denti oculari seu canino figura, duritie, colore omnibusqve circumstantiis qvam similima erat. Hæc basi sua latiore membranæ ovarii adhærescebat, ac ejus & utriqve lateri bina alia
TAB. V Fig. 1. ossa aut dentes minores & irregularis magis figuræ adstabant, qvorum forma & magnitudo figura prima sistitur. Qvi-

TAB. V.
ad A: 1683.
pag: 216.

fig. 1.

fig. 2.

fig. 3.

I. Andr. Sehm fc.

BIBLIOTECA

Qvidam dentem & pilos hos partes embryonis corrupti ſuſpicabantur, ſed contradicit his Tyſon, (1) qvod præter reperta, nec oſſa, nec purulenta materia fuerit obſervata; (2) dens extra ovarii veſiculam, pili intra eandem, extiterint: creditqve, luſum potius qvendam naturæ ſubeſſe, qvæ, dum in animalis productione deficit, vegetabile formet, qvatenus dentes atqve oſſa primo molliores exiſtant membranæ aut tendines, poſtmodum in cartilagines, tandemqve in oſſa indureſcant; pari ſcilicet ratione, ac tendines crurum in pennatis oſſeſcant, & arteriam magnam, portionem emulgentium ac iliacarum arteriarum in fœmina qvadam Oxonienſi viderit oſſeæ ſoliditatis. Præter illud qvoqve, qvod ex Williſio de arteria carotide, qvodqve alias de aortæ principio, in bove, eqvo & cervo oſſeſcente, notiſſimum ſupponit, aliqvando tunicam epatis & ſplenis humani, ac in alio ſubjecto pulmonis tunicam, partim ſcirrhoſam, partim oſſeam, ſe vidiſſe teſtatur: hincqve infert, ſimili forſan etiam modo portionem qvandam ovarii muliebris ſcirrhoſam aut calloſam ſoliditatem induere poſſe, circumſtantia qvadam occulta dentis formam ſuppeditante.

Ad pilos vero intra folliculum generandos multum conferre putat pingviorem illam ſubſtantiam, in qva hi continentur, ſimiliter ac fila bombycum, tela aranearum, goſſypium & lanugo graminis fomentoſi &c ex determinatis fiant ſuccis; Ita tamen ut hic ſimul cola ſua inveniant, per qvæ inſtar filorum metallicorum ferantur. Dum pili, qvorum prior obſervatio meminit, maximam partem in exiguis glandulis radicabantur: iis vero, qvos obſervatio ſecunda exhibet, generandis & propagandis materia pingvior & ſteatomatoſa congruum exiſtat ſolum, perinde ac nonnullæ plantæ, dum vegetant, radices ſuas per fluidum aliqvod corpus, ſcilicet aqvam emittunt atqve explicant. Qvod qvidem vel ideo probabile magis ſuſpicatur, qvod ſubſeqvens ſimilesve hiſtoriæ allegandæ, ubi ejusmodi pili reperti fuerint, pariter pingvem ſeu adipoſam ejusmodi ſubſtantiam ſimul adfuiſſe, teſtentur.

In tertia ſiqvidem obſervatione ſeu diſſectione fœminæ cujusdam, 39 circiter annorum (qvæ per longum ſatis tempus variis calculi renum agitata fuerat ſymptomatis, urina ſcilicet cruenta, dolore intenſo, vomitibus &c tandem ipſi ſine dubio evadentibus lethali-

bus) prope uterum visa fuit cystis sive sacculus, magnitudinem ovi gallinæ Indicæ æqvans, & in hoc ejusdem cum antecedanea generis materia pingvior ac candidorum atqve mollium pilorum insignis copia, carnosæ vero intra folliculum substantiæ annatum os, mandibulæ haud absimile, i. e. diversos alveolos, qvibus, qvasi in triangulo, tres dentes molares, & qvartus aliqvantum adhuc latitans, infixi, habens, ut ex *fig. 2* constat. Alter autem hujus rei calculum satis magnum continebat, *fig. III* delineatum.

TAB. V fig. 2 fig. 3.

Tandem materiam hanc unctuosam cum pilis sæpius circa uterum reperiri, ex *Sculteto* de Trichiasi *Schenckio* & *Horstio* comprobat: *D.* vero *Needham* superioribus annis in fœminæ cujusdam ovario valde tumido dentem qvoqve cum pilis se vidisse perhibet.

OBSERVATIO SINGULARIS CIRCA VENÆ pulmonalis propaginem, tussi sanguinolenta rejectam, relata a D. B.

A tubo pulmonum horum compagem ita exedi posse, ut interdum cum sputo illorum qvædam arrosa vasa excernantur, non adeo qvidem experientiæ repugnat: ast sine suppuratione prævia tale qvid contingere, se primum & unicum observasse *Tulpius* credit, dum *lib. 2 obs. 12* venæ arteriosæ seu arteriæ pneumonicæ surculum, longitudine digitum auricularem æqvantem, & *observ. 13* duos insignes venarum pulmonalium ramos cum sanguine & sine ullo pure rejectos fuisse, perhibet, adeoqve in hæc verba erumpit: *Mirabuntur Medici, tantam parenchymatis pulmonum dissolutionem, sine prævio pure. Qvod ipsum forte non minus qvoqve mirabuntur posteri, licet nec visuri, nec lecturi simile exemplum in ullis Medicorum monumentis.* Nihilominus qvid elapsi anni mense Septembris in fœmina qvadam honestissima hujus generis viderim, posteritatis causa hic referre, congruum duxi. Scilicet postqvam hæc per aliqvot septimanas de ardoris cujusdam molesta sensatione circa & supra scrobiculum cordis, defluxionibus ad pectus, tussim subinde moventibus conqvesta fuerat, ex improviso hæmoptosi satis enormi corripiebatur, qvæ qvidem remediis adæqvatis adhibitis mox cedebat, ægraqve

per

per triduum ne guttulam qvidem ſangvinis amplius rejiciebat, & ſatis commode reliqvas functiones animales exercebat, aliqvalem ſaltem dyſpnœam perſentiſcens. Sed qvinto poſt primam ſputationem cruentam die adeo impetuoſam hujus illa experiebatur recidivam, ut intra decem circiter horas ſangvinis ſinceri, floridi, ſpumoſi ac omnis purulentæ heterogeneitatis expertis, ultra qvinqve libras excerneret, cum ſumma & præcipiti maxime virium proſtratione ac præcordiorum anguſtia. Sub principium poſterioris hujus paroxyſmi ſimul cum fluido ſangvine ſolidiorem paulo rejiciebat ſubſtantiam, membranaceam ſcilicet & digitum longam æqve ac latam, qvam tunicæ tracheæ interioris portiunculam cum eodem *Tulpio lib. 4. obſ. 9* dixiſſes: finem autem eidem imponebat, poſtqvam ſub excretione hac ferina totam noctem inſomnem egerat miſera, immaniſſimus qvidam tuſſis inſultus & cum hoc rejectum vas, ab omni fere parenchymate liberum, variisqve ramis inſtructum, cujus iconem *figura qvarta tabulæ V* ſiſtit, corpus vero in liqvore apto ab illo tempore integrum, cuilibet conſpiciendum, aſſervo. TAB. V fig. 4. Ab hujus qvippe vaſis excretione tuſſis aliqvando miteſcebat, ac ceſſabat in momento qvaſi cruenta expuitio, niſi qvod primo & altero die qvædam ſaltem qvaſi ſangvinis ſtriæ aut punctula exiguum illud pituitæ, qvod tuſſiendo excernebat Noſtra, interdum leviter tingerent. Haud tamen ob id ſpiritus reddebatur liberior, ſed indies potius difficilior, præcordiorum anguſtia eadem & in orthopnœam abiens cum febre continua, ſingulis veſperis ingraveſcente, ac tuſſi recrudeſcente, uno verbo, talibus ſymptomatis, qvæ vomicæ pulmonum generationem teſtabantur, ægram vigeſimo, ni fallor, a prima affectus hujus ingruentia die, ſuffocantis. Venoſum ſeu venæ pulmonalis propaginem hoc vas longitudine palmam æqvans, fuiſſe, conjicere jubebat hujus ſubſtantiæ textura, aſt per fiſſuram ejus, ubi a trunco majore illud ſeceſſiſſe probabile erat, ſubſtantiam carneam, polypo non abſimilem ac totius forſan hujus tragœdiæ actorem primarium, intueri licebat.

OBSERVATIONES MEDICO-PHYSICÆ TRES, excerptæ ex Epiſtola Dn. Petri Rivalicii ad Dn. Jac. Sponium Medicum Lugdunenſem,

Nemauſi qvinto Calend. Aprilis 1683 data.

I. Ossa cum alvi facibus dejecta.

Susanna de Fontfroide, uxor Claudii Rivalier, Pharmacopolæ Nemausensis, qvinqvagenaria major, qvæ per viginti qvinqve annos ulcus uteri, cum omnium ægritudinis istius symptomatum syndrome, sustinuerat, atrocibus tandem alvi & coccygis doloribus correpta est, qvi per trium aut circiter hebdomadarum spatium noctesqve diesqve sævientes, deliria, convulsivos motus, ileumqve excitarunt. His sedatis, duodecim aut tredecim ossa, parvula qvidem, verum integra & recte conformata cum biliosis alvi dejectionibus excrevit. Horum figura peculiaris in nullis unqvam bipedum qvadrupedumqve ossibus visa fuit, ne suspicari contigisset ab ægrotante deglutita esse. Defunctæ cadavere aperto, prædictum uteri ulcus callo obductum inventum est; abscessus autem steatomatis naturam redolens uterum inter & rectum intestinum adfuit. Sanis interim & inculpatis viscеribus donata, nullam in partibus carneis ossеisve læsionem præbuit. *Martio Mense 1678.*

II. Nævus monstrosus.

Magdalena de Poussaq uxor D. de Genas de Puyredon, Nemausensis, mulier juvenca, in primis graviditatis mensibus, lienes ovillos infarctos & assos ab ancilla in lance gestatos, casu intuita est. Edulii nidor nares appulit, oculisqve cibum extreme gratum devorans, vix cupidinis suæ compos, manum tunc temporis auri & collo admovit, tanqvam partes has scalpere voluisset, ut mos illis est qvi aliqvid vehementer appetunt. Graviditatis suæ tempora sine ulla invaletudine percucurrit. Adveniente tandem pariendi tempore, filiam enixa est, qvæ adstantibus alterum caput gerere visa fuit. Tumorem scilicet habebat dimidii capitis magnitudine, qvi ab extrema aure dextra ad mentum usqve in longum protendebatur, & latitudinem ab inferiori malæ parte ad mediam colli regionem sortitus erat, radices suas late diffundens, ita ut basis apice duplo latior esset. Color ipsi modo ruber, modo lividus: vasis eodem colore præditis ubiqve apparentibus instructus, mirum in modum aliqvando attollebatur & inflabatur, aliqvando detumescebat. Pulsabant vasa, motusqve totius tumoris, qvandoqve arteriarum, imo respirationis motum & ordinem seqvi videbatur. Moles ista indies augebatur, prout filiola ipsamet crescebat. Mulierculæ tam monstrosum nævum horrentes,

cum

cum acicula punxerunt. Sed erumpentem torrentis instar sangvinem vix cohibere potuerunt, filiolaqve vix mortem evitavit. Vocatos interim medicos & chirurgum de fœdo tumore extirpando interpellarunt. Sed cum tenerrima cutis ligatura forti, serica nempe aut linea, sfecta potius qvam compressa fuisset, bombacinam adhibuimus: eaqve qvotidie arctius constricta, intra mensem, præcisis radicibus aut saltem ad minoris digiti crassitiem redactis, tanqvam acrocordon propendebat tumor. Totum præternaturale corpus, ob constricta, per qvæ sangvinem & spiritus accipiebat vasa, sensim desiccatum & fœtens forcipe præcisum fuit. Apertum corpus, vasa omnis generis, spongiosam carnem, nervorum plexus, cellulasqve instar veri & genuini lienis exhibuit: filiolaqve sanitati restituta nullum præter parvæ cicatricis vestigiū præse tulit. *Octobri mense 1678.*

III. Ovum ovo prægnans.

Occurrit mihi forte, *Majo mense 1682*, gallinaceum ovum vitello & albumine instar ovorum communium perfecte instructum, in qvo ovum aliud columbini magnitudine continebatur. Situm erat in majoris ovi medio, putamen inter & vitellum cui paulisper adhærebat, mediante materia qvadam viscida, qvæ non impedivit, qvo minus ab illo facile avelleretur, illæsa, qvæ vitellum majoris ovi continebat, membrana. Contenti istius minoris ovi testa imperfecta nec solida, facile a substrata, seu ovi substantias succingente tunica, qvatenus friabilis, separata fuit. Hac autem aperta membrana, prodiit primo liqvor albumineus, intus & extra candidis filamentis conspersus, qviqve albuminis proprie dicti haud dubie loco erat. Emersit deinde substantia qvædam mucilaginea, crystallina, solidioriqve consistentia donata. Primo liqvori, ut vitellus albumini, cohærebat, & ab illo pari negotio separata fuit. Sphæricam figuram tenacissime servabat, pisi magnitudine. In ipsius medio albæ fibrillæ conspiciebantur, qvæ illam præse ferebant configurationem, qvam a vario continentis istius crystallinæ substantiæ situ mutuabantur. cum nempe in plano collocabatur, in longum porrigebantur, cum vero sphæricam rursus figuram repetebat, contrahebantur. microscopio examini tradita, punctula qvædam crystallina, nullo ordine constituta, filamentaqve candida perlucidaqve in ipsius circumferentia, qvædamqve etiam minus lucida punctula observabantur. Utraqve substantia in aqvam injecta fuit. Liqvidior

qvæqve primo prodierat, ſupernatavit: poſterior autem ſive ſphærica fundum petiit: igni traditæ induruere. Illa extenſa & diffuſa fuit: hæc vero rotunda ſphærica ſolidaqve. In utraqve diſſecta nihil heterogeneum adfuit.

OECONOMIÆ SUBURBANÆ a P. CHRISTOphoro Fiſcher, S. I. conſcriptæ, PARS PRIMA.

Pragæ, Anno 1679 in 4.

EJUSDEM OECONOMIÆ PARS SECUNDA, eaqve Poſthuma.

Pragæ, Anno 1683 in 4.

INter rei ruſticæ Scriptores loco non poſtremo hic Autor facile meretur poni. Qvi cum in prædiis colendis operæ plurimum ſtudiiqve conſumſiſſet, ampliſſimisqve, qvæ Societatis ſuæ viri per Bohemiæ regnum poſſident, per plures qvam qvadraginta annos præfuiſſet, negandum nihil cenſuit eorum votis, qvi enixo a ſe ſtudio, ut, qvæ tot annorum experientia edoctus in adminiſtrata re Oeconomica obſervaſſet, cum novitiis communicaret Procuratoribus, efflagitarunt. Qvamvis vero abſolutum in hoc ſtudiorum genere Magiſtrum dari neminem ultro agnoſcat, ſed œconomiam gymnaſium inexhauſtum eſſe, qvod, ſi alia uſpiam in re, hic maxime, res, ætas, labor, uſus, cœli temporumqve facies, & indoles telluris indies qvid novi doceant; facere tamen ampliora ſtuduit qvæ accepit, eoqve monita ac documenta rei ſuburbanæ adminiſtrationi & incremento peropportuna hoc opere eſt complexus. qvo diutius enim hoc in munere verſatus eſt, eo majorem qvoqve earum rerum comparavit ſibi peritiam, in qvibus ſolertis œconomi officia verſantur.

Facit ergo Oeconomiam, qvæ qvidem hujus eſt loci, duplicem, *Ruralem*, & *Domeſticam*. Illam in operoſa & matura agricultura conſtituit, annonæqve proventu: in ordinate diſpoſitis ædificiis, copioſis altilibus, feraci braxatorio: in granariis & cumeris munde ac ſolide conſervatis, & in grana cuſtodienda recte diſtributis; in hortis ſedulo cultis, & bene elaboratis lupuletis; in neceſſariis & aqva perenni verſatilibus molis; plenis ſaniore pecore ovilibus; robuſtis & utilibus armentis; bona progenie impletis piſcinis; copioſis ſylvis tam cæduis, qvam vivis, ſeu germinantibus; ſuo tempore caute paſtinatis & excultis vineis

neis, aliisqve: De qva pars etiam PRIMA agit operis, integra tractatuum Decade, Georgicam qvam vocat, constans, & luci anno abhinc qvarto jam tum exposita. Horum tractatuum *primo* principem rei familiaris partem, culturam persequitur agrorum, modum & tempus sationis definit, & varia de tritico, siligine, hordeo, pisis, avena, milio, panico adducit documenta, trituratorum fraudes, qvidve cum in messe, tum in agrorum stercoratione probe attendendum sit, exponit. Monet autem inter cætera, in omni semente verna, maxime in avenacea, projectam prodige nocivam esse, qvod largius illa & velocius germinet, granorumqve densitas cohibeat ubertatem.

In *secundo* piscium & piscinarum curam non invenuste explicat, & de aqvæ in piscinas ductu, de cyprinorum fœtu justo tempore ac numero illis inferendo, de recte constituendis seminariis, de piscatu, de piscium morbis, & piscinarum corruptela restauranda, de arundinetis extirpandis tractat aliqvanto fusius. Piscatorem enim se a nativitate fassus artis hujus fuisse perstudiosum non dissimulat. *Tertium* locum dedit Braxatorio. ubi non modus solum & praxis cervisias coqvendi ab ovo, ut ajunt, usqve ad mala describitur, sed varii simul cervisiarum morbi recensentur ac virtutes; qvin & diversa alimentorum atqve medicamentorum, ex cervisia qvæ parantur, genera. Sub finem, ubi lupuli, qvi præstantissimus in Bohemia omnino gignitur, & in cervisiariis officinis desideratur unice, naturam ac vires exposuisset, de lupuletis etiam, viniqve sublimati Distillatoriis ad usum sic satis accommodate disserit. Ad *qvartum* tractatum, qvi describendis hortis & hortensibus inservit, observationes qvoqve refert de herbarum & animantium Antipathia & Sympathia, nec non de mellificio. *Qvintus* delineandis Pomariis destinatur. Propositis enim Plantarii, Seminariiqve conditionibus, insitionum genera, qvibus nihil natura invenit solertius, explicat; morbos pariter, & curam arborum, ut & remedia nonnulla talparum, insectorumqve damnis opposita. *Sextus* in vinearum cura & cultura occupatur, & de situ ac solo earundem, de apertura & putatione, de prima pastione & propagatione, de vitium pullatione & pampinatione, de vinetorum firmatione & vitiis, de maturitate & vindemiæ collectione monita cum jucunda, tum utilissima subjicit. *Septimus* de sylvis ac lignis instruit Oeconomum, *Octavus*, de ovibus, ovium natura, utilitate, cura, pascuis, & pabulo: præterea de pactis cum opilione incundis, & hujus officio, de agnellorum castra-

ſtratione & tonſura, de cavendis opilionum impoſturis, de pratis deniqve, & fœniſecio. *Nonus* curam docet pecoris, cum bubuli, tum porcini. *Decimus* idemqve ultimus Altilia contemplatur, & qvid poſſit commodi ex corte, ex anſeribus, ex noſſotrophio, & periſterotrophio ſperari, commemorat. Sub cujus extremum *ἀναπεφαλαίωσιν* eorum, qvæ hucusqve fuerunt propoſita, ſubjungit, una cum rerum potiorum indice, & Syllabo Latino-Boemo-Germanico, vocum varium ſenſum & dictionum vim interpretante, ne qvem forte Latina vocabula, huic argumento familiaria ſuſpenſum teneant.

ALTERA pars operis *Domeſticam* œconomiam reſpicit: qvæ ſicut in prudenti regimine omnium actionum domeſticarum, earumve per diſtributa tempora regulari ordine Autori ponitur; ſic diverſis hujus qvoqve partis tractatibus diſtincta argumenta dedit. Et *primo* qvidem Cancellariam Oeconomicam ejusqve reqviſita. Reconditorium enim hic delineat, ſeu ideam Archivi rei familiaris, cum perpetuo Calendario; in qvo præcipuæ Oeconomiæ operæ in ſynopſi per menſes diſtributæ deſignantur, adjectis varii generis prognoſticis ac reminiſcentiis.

Secundo tractatu leges præſcribuntur & inſtructiones, villæ Poſſeſſori ſeu Patrifamilias primum, deinde Capitaneo, ejusqve ſubſtitutis miniſtris; Scribæ puta rediturum, Scribæ frumentarii, Exactori ſeu Burggravio, & Braxatori. *Tertius* regimen in dominio aliqvo bene conſtituto attendendum continet, cujus qvidem petitur exemplum e diſtrictu omnium fertiliſſimo, Slanenſi. Declarato enim regiminis iſtius fundamento, ſubductisqve rationibus, qvis per annum haberi fructus ex Dominii hujus agris, ex re pecuaria, altilibus, braxatorio, piſcinis, hortis, cenſu, ex lignatione deniqve & venatione qveat, conſtituit; primarias dein expenſas cum acceptis contendit: poſtremo in officialium ſalariis, alimonia familiæ, pecorumqve pabulo deſcribendis ſic verſatur, ut qvantitatem & pondus annonæ in menſem, qvin & in annum neceſſariæ, ſubjectis tabulis demonſtret. *Quartus* modum tradit rite conficiendi rationes qvotidianas, hebdomadarias, menſtruas, annuas. In *qvinto* variæ villarum luſtrantur officinæ, Molitura, Piſtrinum cum frumentaria taxa, Uſtrina ſeu fabrile, Textrinum cum materia ſua proxima remotaqve, qvo ſimul loco de tractatione cannabis agitur atqve lini, & qvis ſit utriusqve fructus. Corollarii deniqve ſeu mantiſſæ titulo documenta accedunt de villis ſeu bonis emancipatis, de inſtitutione pupillorum, de Judiciis annuis paganis, & hæreditatum devolutione; de terminis ac limitibus eum vicinis; de metarum teſtibus horúmqve reqviſitis. Subjungitur huic ſecundæ parti geminus qvoqve index: unus rerum potiorum continet capita, alter vocum ſyllabum trilingvem.

Præter hactenus enumeratas & tertiam Autor partem affectam habuiſſe fertur, in qva Geometriam ruralem, ædificiorum ſymmetriam, officinas metallorum, aliaqve non ad ſplendorem tantum ac ordinem, ſed etiam ad utilem curioſitatem maxime facientia perſeqvi ſtatuerit; Sed fata viri, qvo minus elaborari ac perfici potuerit, interceſſerunt. Adeo incertis eventibus exponuntur, qvæ in extremam ſenectutem conjicimus.

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipsiæ
Calendis Junii, Anno M DC LXXXIII.

DICTIONARIUM ÆLII ANTONII NEBRISSENSIS Grammatici ac Chronographi Regii.

Lugduni, juxta Exemplar Madriti, 1683. fol.

INter doctissimos superioris seculi Hispanos loco principe collocandus omnino est *Ælius Antonius Nebrissensis*, quippe qui primus, dicente Majoragio, literas apud Hispanos illustravit, barbariemque illorum suo Marte, quod Sepulvedæ de eo testimonium est, expugnavit. Is postquam in patria sub Grammaticæ ac Dialecticæ præceptoribus pueritiæ annos laboriosissime exegisset, per quinquennium in Salmanticensi hæsit Academia, ibique in Mathematicis Appollonio, in Physicis Paschali ab Aranda, in Ethicis Petro Oxemensi, Professoribus clarissimis, dedit operam. Quos cum excellentes quidem scientia, sed in sermone valde incultos reperisset, in Italiam anno ætatis XXI se contulit, non alia fini, quam ut linguæ latinæ Autores jam multis retro seculis ab Hispania exules postliminio quasi patriæ restitueret. Decem in ea annis consumptis ab Alphonso Fonseca, Archi-Episcopo Hispalensi fuit revocatus, a quo liberaliter admodum per biennium habitus ad latinæ linguæ professionem sese toto animo præparavit; nec destitit, etiam post fata hujus, rationem apud se exputare, qua barbaries per omnes Hispaniæ partes longe lateque diffusa profligari tandem posset; utque in arcem quasi hujus rei invaderet, a Salmanticensi Academia, cujus & olim civis fuerat, auspicium ejus cepit, non vane sperans, fore, ut hac expugnata etiam cæteri Hispaniæ populi non difficulter in deditionem consentirent. Illic duplici salario, inusitato antehac exemplo, mactatus spartam Grammaticam insigniter & summa cum

laude adornavit. Ac primum quidem duo artis opuſcula tumultuaria, ut ipſe vocat, edidit; quæ cum incredibili totius Hiſpaniæ conſenſu reciperentur, non pigrabatur his fundamentis feliciter jactis ædificium ipſum jamdudum animo conceptum ſuperſtruere. Dimiſerat enim priorem vitæ rationem, uxore ducta, nec aliunde, poſt reditus Eccleſiaſticos abalienatos, victum quærebat, quam ex mercede ſcholaſtica, munificentiſſime ipſi a D. Johanne Stunica, Magiſtro militiæ de Alcantara, Ordinis Ciſtercienſis, cui & pleraque opera dedicavit, perſoluta. Elaboravit autem opera Grammatica, ut ipſe refert, varia. In primo dictiones latino ſermoni admixtas ſtrictim breviterque Hiſpanas fecit; In ſecundo dictiones pari brevitate latine fuit interpretatus. In tertio, eoque in tria magna volumina diſtributo, omnes artis Grammaticæ partes cum ſingularum lectionum enarratione percenſuit. In quarto ſermonem Hiſpanum, incertis tum artis legibus velut oberrantem, certis regulis conſtrinxit. Adjecit etiam Grammaticæ artis commentarios, eosque ejusdem Stunicæ auſpicio inchoatos; prout ipſemet Nebriſſenſis in dedicatione Dictionario Hiſpanico præmiſſa profitetur.

Quod Dictionarium præſens attinet, id in quatuor diviſum eſt partes; quarum prima dictiones latinas in ſermonem Hiſpanum verſas; II nomina propria regionum, urbium, montium, fluminum &c. III neotericas ac vulgares regionum & urbium appellationes; IV voces Hiſpanicas latinitate donatas complectitur. Ut autem completior comtiorque eſſet hæc poſtrema Dictionarii jam dicti Madritenſis editio, præter *Johannis Lopez* Serrani Malacitani labores, multa, quæ deſiderabantur, ex Lexicis atque Hiſtoricis, nec non ex ſacrarum literarum monumentis & juris voluminibus, fuerunt addita; aucta etiam immane quantum ſunt vocabula tum a M. D. *Guilielmo de Ocahaſa*, tum L. D. *Johanne Gonzalez Manrique*; recognita denique omnia, & innumeris a mendis vindicata a R. P. M. Fr. *Petro Ortiz de Lujando*. Speciatim autem primæ parti annexa ſunt verba vetera & raro uſitata apud Terentium, eaque ſecundum Alphabeticum ordinem diſpoſita; Leges item XII Tabularum juxta ſeriem Rivallianæ editionis, & Index M. *Johannis Alvarez Sagredo Burgenſis* longe utiliſſimus, in quo oppoſita emendataque eſt quotidiani ſermonis latinitas, ſeu voces ac phraſes Ciceronianæ barbaris alie-

alienisque ſubſtitutæ. Alteram partem, quæ Dictionarium propriorum nominum eſt, ex probatiſſimis Græcæ & Latinæ linguæ auctoribus concinnatum, excipiunt locorum recentiores ac vulgares appellationes, æque emendatæ, & ab Ocahaſa jam dicto auctæ, quibus *Notæ antiquarum literarum Valerii Probi* Grammatici ſunt ſubnexæ. Quartæ parti ſeu Dictionario Hiſpano-latino ſubjicitur & Dictionariolum Arabico-Hiſpanum, idque a *Franciſco Lopez* compilatum. Quid præterea ſcriptorum poſteritati reliquerit Nebriſſenſis, refert Valerius Andreas Taxander in Catalogo clarorum Hiſpaniæ virorum, quem vide,

A SHORT VIEVV OF THE LATE TROUBLES in England, By Sir VVilliam Dugdale Kt, Garter King of Arms.

i. e.

Conſpectus compendioſus nuperorum Angliæ motuum, Auctore Dn. Guilielmo Dugdalio Equite, Ordinis Periſcelidis Heraldo.

Oxonii, 1681, in fol.

CIvilium motuum, quibus concuſſa eſt hoc ſeculo Anglia, Hiſtoriam componere aggreſſi ſunt multi; at pauci ea cum dexteritate, judicio, & adminiculis, quibus præſentis operis auctor nobiliſſimus, Guilielmus Dugdalius. Noſſe illum intimius ſtatum Angliæ publicum, vel ex muneris quod ſuſtinet amplitudine (princeps enim Fecialium eſt, ſeu Heraldorum quos Reges armorum vocant, occupatus præcipue regendis ceremoniis in comitiis illuſtriſſimi Eqvitum periſcelidis ſeu D. Georgii Ordinis) veroſimile eſt. Tragœdiæ in theatro Angliæ actitatæ ſpectator ipſe fuit, & cum ferverent maxime civiles diſſenſiones, Oxonii ſingula, quæ geſta utrinque fuere, in ſchedis ſuis in dies prope ſingulos diligenti annotavit ſtudio; quæ magnam ipſorum horum commentariorum partem conſtituunt. Acta publica, Diplomata, Remonſtrationes, Proteſtationes, Declarationes, Scriptaque alia utrinque publicata, nec non Auctorum aliorum Relationes Hiſtoricas, ac monumenta quæcunque

alia sedulo evolvit excussitque. Motuum autem veram originem, ac rebellium sophismata & arcanas artes detegere nunc felicissime Dugdalius potuit, vir civilium rerum minime imperitus, postquam eas ab horrendæ seditionis architectis tanto olim studio occultatas, tempus ipsum ac negotiorum nexus eventusque luci publicæ exposuit. Nec vitio vertendum Auctori partium Regiarum, quod passim prodit, studium, odiumque in rebelles; cum nemo seu fidi Historici, seu boni viri nomen tueri possit, qui vel levissime excusare aut dissimulare in animum inducat parricidarum sceleratissimorum facinora, quæ & nunc totus orbis damnat, & posteritas omnis execrabitur.

Exhibet ergo Auctor hoc opere universam civilium dissidiorum Historiam, quibus ab anno 1637 ad 1660 usque Anglia flagravit, temporum serie exacte servata: sed ita exhibet, ut res armis gestas, commissa prælia, obsessas & expugnatas urbes, & ejus generis alia non prætermittat quidem, at præcipue tamen curæ habeat, rationem rerum ac consilia expendere, & rebellium genuina destinata ponere ob oculos. Itaque & sub auspicium libri de Presbyterianorum principiis Monarchomachicis, quibus, dum studium ostentarunt repurgandæ religionis, non disciplinam modo Ecclesiasticam, sed Monarchiam ipsam conati sunt evertere, erudite disserit; & cum ipsam motuum Historiam absolvisset, Dissertationibus Politicis rebellium actiones accuratius examinat, comprobatque eos revera exitium Religionis Reformatæ, stabilimentum vero Syncretismi pro fine habuisse; doctrinam & disciplinam legibus Ecclesiæ Anglicanæ firmatam oppugnasse; leges Regni fundamentales, libertatem subditorum, jura Parlamenti eversum iisse; tametsi, ut vulgo fucum facerent, repetitis toties Declarationibus & Remonstrationibus professos semper, nonnisi religionem Protestantium, leges Regni, subditorum libertatem, ac Parlamenti privilegia tueri se velle.

Duo tamen præ aliis Discursus delectationem Lectori curioso non poterunt non afferre: alter, quo cum civili bello, quod in Anglia Optimates nonnulli Henrico III regnante concitarunt; alter, quo cum turbis, quas in Gallia superiori seculo Liga, ut vocari amabat, sancta dedit, motus illos qui nostro ævo Angliam concusserunt, contulit composuitque. Nam ii quidem, qui Henrici III temporibus ante hos quadringentos annos publicam Angliæ quietem turbarunt, iis-

dem

dem prope, quibus noſtra ætate rebellionis auctores, mediis ad deſtruendam Regis auctoritatem fuerunt uſi: ſparſis in vulgus malignis de Rege rumoribus, tanquam inſidiante libertati publicæ, ut animos plebis a Rege averſos ad ſuos uſus adjungerent; Rege ipſo ad pauperratem, negatis ſubſidiis, redacto, ut prædiis primum, poſt & cimeliis divenditis, *cum Abbatibus*, quæ verba ſunt Matthæi Pariſienſis, *& Prioribus ſatis humiliter hoſpitia quærere & prandia* cogeretur; armis tandem adverſus Regem, & ſi exui ſe jam magna auctoritatis Regiæ parte paſſum, ac omnia fere rebellibus indulgentem pacisque ſtudioſiſſimum, palam ſumptis, prælioque commiſſo, quo Rex ipſe cum filio Eduardo captus eſt; etſi ad extremum æmulatio inter factioſos oborta occaſionem Regi ex malis illis eluctandi pepererit. Ligæ vero Gallicæ dici non poteſt, quanta fuerit cum rebellione Anglicana ſimilitudo, ut plane hæc ad illius exemplum adornata videri poſſit: niſi quod Galli Ligiſtæ Romano-Catholicæ, Angli rebelles Reformatæ Religionis vindicandæ acerrimum ſtudium ambitioni prætexuerunt. Quem paralleliſmum, non eo tantum, quod utraque factio ab urbibus Regnorum principibus, Gallica a Pariſienſi, Anglica a Londinenſi ſuffulta inprimis fuit, ac utraque legitimis Regibus ſuis, Gallica Henrico III & IV, Anglica Carolo I necem attulit, ſed quamplurimis aliis factioſorum technis, molitionibus, conſiliis mirifice congruentibus notabilem, & a paucis forte juſto ſtudio evolutum, operoſe Auctor perſecutus eſt. Ut adeo civilis etiam belli, quod Galliam ſuperiore ſeculo pervagatum eſt, exactam hoc loco Hiſtoriam Lector inventurus ſit, collatam cum Angliæ motibus, quorum concitatores Tragœdiam in Gallia actam, in Anglia quoque mutatis tantum perſonis exhibuere.

Subnectitur Operi Appendicis titulo juſtum volumen, Pacis Uxbrigiæ anno 1644 Regem inter & Parlamentum, ſed irrito labore tentatæ Acta magno collecta ſtudio complexum; ad quæ ſæpius in ipſo Hiſtoriæ contextu, ac Diſſertationibus Politicis Auctor provocaverat, velut magni in conſiliis Rebellium penitius cognoſcendis uſus ac momenti.

TRAITE DE LA COMMUNION SOUS les deux eſpeces. Par Meſſire Jacques Benigne Boſſuet, Eveſque de Meaux, Conſeiller du Roy en ſes Conſeils, cy-devant Precepteur de Monſeigneur le Dauphin, premier Aumoſnier de Madame la Dauphine,

id eſt

Tractatus de communione ſub duabus ſpeciebus, Dn. Jacobi Benigni Boſſueti, Epiſcopi Meldenſis &c.

Pariſiis 1682. in 12.

DEplorandum eſt rei Chriſtianæ fatum, quod venerabile illud Sacramentum, a Servatore noſtro, ſuprema ante paſſionem nocte inſtitutum, in acerbiſſimi diſſidii & odiorum materiam verſum ſit, cum arctiſſimæ conjunctionis cum ipſo & inter ejusdem myſterii participes, vinculum eſſe debeat. Neque enim de aliis fidei articulis majori vehementia certatum eſt, & inter præcipuas diſcedendi a Romanæ Eccleſiæ placitis cauſas, fuit uſus ſacri calicis populo Chriſtiano interdictus. Inde tot volumina diſceptantium de hac quæſtione extant, ut ea plane exhauſta videri poſſit. Placuit tamen *Dn. Boſſuero*, eandem hoc libello tractare, & *Theologorum Reformatorum* in Gallia ſcripta qvædam nova refutare; maxime vero Autorem libelli, magno cum Proteſtantium applauſu non ita pridem ſub titulo *Præſervativi* editi, cui nomen eſt *Jurieux*, aggredi; etſi D. Lutherum etiam, & Georgium Calixtum impugnat. Materiam ipſam in duas partes diſtribuit. *In prima* probare annititur praxin Eccleſiæ, per qvam appareat, communionem ſub una ſpecie, jam primis Chriſtianiſmi ſeculis, in qvibusdam caſibus receptam, aut indifferenter habitam fuiſſe. Demonſtratum id eſſe putat, quod ægrotis non niſi una, *panis* nempe conſecrati, ſpecies; infantibus vero *vini* data ſit; deinde quod eadem panis ſpecies ex templis in domos deportata, & ad privatum uſum ſervata fuerit: denique quod ante Leonis & Gelaſii Pontificum conſtitutiones, adverſus Manichæos, ut ait, editas, in publica etiam communione uſitatum aut promiſcuum fuerit ſacro calici abſtinere; unde infert Eccleſiæ ſententiam ſemper fuiſſe, præſuppoſita

posita *reali præsentia & concomitantia*, eandem vim & efficaciam uni specici, ac duabus inesse. *Parte altera* principia hujus praxis asserre & defendere satagit. Horum *tria* recenser. (1.) Non omnes Christi actiones in Sacramentis imitandas aut indispensabiles esse, sed eas solum, quæ ad substantiam Sacramentorum pertineant. (2.) In dignoscendis substantialibus respici debere ad effectum Sacramenti essentialem, collationem nempe gratiæ. (3.) Leges divinas tam Veteris, quam Novi testamenti, præsertim in practicis, ex usu Ecclesiæ perpetuo & constanti explicari debere. Hoc modo ad quæstionem de traditione reditur, cujus necessitatem & utilitatem rationibus & exemplis firmare allaborat, eamque ab ipsis *Reformatis*, aliquibus in casibus, v. g. in baptismo, admissa aspersione loco immersionis, & in baptizandis infantibus, agnosci statuit, urgetque maxime, quod abstemios ad S. cœnam admittant, & responsionem adversarii sui *Jurioſi* exagitat, qui in libro *Præservativi* supra dicto, *Articulo 13*, statuit, ab abstemio Sacramentum non ore, sed tantum voto & corde percipi, quanquam eandem gratiam accipiat, quam illi, qui integro fruantur. Perstringit etiam ejusdem Autoris *historiam de restrictione S. Calicis*, aliaque, etsi non nova, quod ipse fatetur, ita tamen pro eruditione & eloquentia sua objicit, ut ad ea sine dubio responsuri sint, qui id sibi incumbere existimaverint.

CONFERENCE AVEC M. CLAUDE MINISTRE de Charenton ſur la matiere de l' Egliſe par Meſſ. Jaques Benigne Boſſuet Eveſque de Meaux &c.

Sive

Collatio Dn. Jacobi Benigni Boſſueti Epiſcopi Meldenſis &c. cum Dn. Claudio Miniſtro Charentonio ſuper articulo de Eccleſia.

Pariſ. 1682 in 12.

COllationem hanc Calendis Martii A. C. 1678 Lutetiæ habitam, argumenti non minus quam colloquentium dignitas insignem reddi-

reddidit. Actum enim est de Ecclesia, a cujus nutu & Scripturæ autoritatem, & omnes fidei articulos dependere *Jacobus Benignus Bossuetus*, eo tempore Condomensis, nunc Meldensis Episcopus, ab una parte asseruit; quod Charentoniæ Ecclesiæ minister & reformatæ, quæ vulgo sic dicitur, religionis acerrimus hyperaspistes *Claudius* ab altera negavit. Acta hujus collationis, dum recens adhuc esset rerum ibi gestarum memoria, uterque literis consignavit; sed cum *Claudii* relatio typis expressa nondum extet, interim ex *Bossueti* fide summa disputationis illius capita paucis referemus.

Procuravit hoc colloquium, dum injectos conscientiæ suæ scrupulos eximi sibi cuperet, illustris *Virgo de Duras*, quam *Bossuetus*, cum Lutetiam venisset, antequam cum *Claudio* congrederetur, de perpetua Ecclesiæ visibilitate semel iterumque privatis discursibus instruxit, & his quasi velitationibus, quæ primam relationis hujus partem constituunt, ad futuri certaminis arbitrium præoccupavit.

Ad ipsum cum *Claudio* conflictum, in quo alterum relationis caput occupatur, ubi ventum est, *Bossuetus* ex Actis quibusdam Ecclesiarum Reformatarum synodicis, quatuor probationis instrumenta iterum produxit, quæ olim in tractatu suo, cui titulus; *L'expositon* artic. 20 & 21 exposuerat, & pridie collationis Virgini, quam diximus, Principi non alium in finem communicaverat, quam ut illi persuadere posset, ipsos Reformatos in rebus fidei quoad praxin subinde supremum ultimumque judicium Ecclesiæ detulisse; quoties nempe vel in eos, qui post consistoriorum, colloquiorum & Synodorum provincialium sententiam Nationalibus Conciliis refragaturi essent, excommunicationis pœnam statuerint; vel de Spiritus S. gratia Patribus Conscriptis affutura firmiter persuasi, se omnia illorum decreta rata habituros solenniter promiserint, ut in Synodo Victoriaci congregata factum est; vel effrenem Independentium licentiam severis edictis castigaverint; vel, quod in Synodo Nationali Anni 1578 contigit, suis ad colloquia deputatis plenam transigendi potestatem permiserint, adeoque fidem suam illorum judicio submittere haud recusaverint. Ad hæc argumenta partim ex libro de disciplina Ecclesiastica Anno 1667 Charentoni impresso, partim ex Actis Authenticis Amstelodami Anno 1655 a Blondello evulgatis deprompta, cum *Claudius* ipsius *Bossueti* judicio nec ineleganter, nec confuse respondisset

disset, & a bono Ecclesiæ ordine usuque disciplinæ Ecclesiasticæ ad absolutam Conciliorum infallibilitatem perperam concludi demonstrasset; Bossuetus inter alia hæc potissimum regessit: absurdum esse, cum quis ea conditione Conciliorum decretis se subjiciat, nisi ea Scripturæ contraria agnoscat; sic enim Deo pariter & hominibus illudi; nec causam apparere, cur Reformati in Synodis magis quam in aliis judiciis Ecclesiasticis solennem juramenti formulam exegerint, si etiam synodalia decreta ad examen revocare cuilibet liberum relinquatur; denique si absoluta decidendi potestas Conciliis denegetur, nil obstare, quo minus, quot capita, totidem religiones enascantur, nec Independentes condemnari a reliquis Reformatis debuisse, si ipsi quoque cuilibet privato tantum sibi præsumendi licentiam indulgeant, ut Sacram Scripturam melius vel intelligere vel explicare possit, quam in Conciliis congregati tot illustres Ecclesiæ Doctores. Quod cum ab omni probabilitatis specie alienum esse Bossuetus multoties exaggerasset, *Claudius* contra suam Conciliis autoritatem constare non negavit, neque tamen inter ea, a quibus cujuslibet Christiani aures abhorrere debeant, referendum censuit, quod integro Doctorum cœtu errante privati homines etiam indocti duce Scriptura verum apprehendant. Idque Ariminensis Concilii, & maxime Synagogæ Judaicæ exemplo comprobavit, quo sane tempore quilibet fidelis sacrorum oraculorum sensum longe melius penetraverit, quam universa Pontificum & Seniorum in unum congregata colluvies, quæ Messiam a Prophetis promissum reprobavit & ad mortem condemnavit. Hæc cum ultro citroque variis ut solet assertionibus, probationibus, confirmationibus, objectionibus, responsionibus, exceptionibus, & vindiciis, quas prolixitatis vitandæ caussa repetere supersedemus, per quatuor horarum spatium fuissent agitata, disceptatum deinde est, an Christianus, qui S. Codicem nondum legit, Scripturam S. Verbum Dei esse animo suo firmiter & sine metu oppositi persuadere possit, nisi in Ecclesiæ, quæ Scripturam ipsi tradidit, autoritate acquiescat. Atque hic *Bossuetus* statuit, primum actum fidei quem Spiritus S. in lavacro regenerationis humanis cordibus immittit, esse hunc, quod Ecclesiam Catholicam esse credant, eandemque Ecclesiam externum illud instrumentum esse, quo Deus homini Christiano, antequam Scripturam S. legit, hunc actum fidei, quo Scriptu-

ram Dei Verbum esse credit, cœlitus inspiret, ideoque hominem Christianum & Scripturam, & Scripturæ sensum sine examine & scrutinio ab Ecclesiæ manibus accipere oportere. At *Claudius* hæc omnia gratis dici excepit, & ex hoc principio Græcos, Æthiopes, Armenos, & quoslibet Christianorum sectas religionem suam etsi erroneam non incommode tueri posse demonstravit, si se per baptismum fide Ecclesiæ donatas Scripturam ejusdemque sensum ex Ecclesiæ manibus accepisse dicant. Atque hæc controversia iterum prolixam differendi materiam subministravit, utroque sententiam suam, quantis posset viribus tuente, donec post multas verborum reciprocationes surgerent ac abitum pararent. Id vero dum facerent, abiturientes Durassia rogavit, ne prius a se discederent, quam de separatione ab Ecclesia verba inter se contulissent: quod cum haud gravatim stantes peregissent, tandem receptui canentes hanc verborum pugnam abruperunt, factoque hic fine quieverunt.

Postremo loco, qualis collationis hujus eventus fuerit, Bossuetus memorat, qui postridie Durassiam invisens eandem multis verborum blandimentis in suam sententiam pertraxit, & paulo post iterum cum ea conversatus haud difficulter obtinuit, ut, quod diu jam animo agitaverat, abjurata religione, cui hactenus addicta fuerat, ad Romanam Ecclesiam transiret.

Cæterum cum hæc collationis Acta, antequam a *Bossueto* edita fuissent, per amicorum manus versarentur, exemplar aliquod in *Claudii* manus incidit, eundemque permovit, ut scripto suo, quo, ut jam superius indicavimus, non minus ac Bossuetus collationis hujus historiam complexus fuerat, per modum epistolæ responsum ad Bossueti instructiones superadderet, & familiaribus suis communicaret. Quod ubi ad Meldensis Episcopi notitiam pervenit, is non modo collationis gesta a se pridem concinnata & hactenus a multis non satis fideliter descripta, ac juxta vitiosum aliquod exemplar, ut ipse refert, se inscio Tolosæ typis impressa, publici juris facere, verum etiam animadversiones aliquas, in quibus ea, quæ vel in ipsa collatione, vel in instructionibus præmissis asseruit, ulterius amplificat atque exornat, attexere decrevit. Sunt autem animadversiones illæ numero tredecim, e quibus octo priores relationi Claudianæ, quam a sua admodum diversam esse notat, sunt oppositæ, reliquæ

quæ Claudii responsum perstringunt, quod in duas partes divisum esse dicit. Prior enim pars juxta ideam a *Bossueto* nobis exhibitam, circa quatuor quæstiones versatur, scilicet qualis sit Ecclesia, cujus in Symbolo Apostolico mentio occurrit? num recte Ecclesia per communionem externam definiatur? an Ecclesia perpetuo sit visibilis? & quænam illa sit Ecclesia, ad quam promissiones a Christo factæ spectant? quas postquam exposuit & undecim ex iisdem consequentias elicuit *Claudius*, ad alteram partem progreditur, quæ agit de statu Ecclesiæ Israeliticæ tempore Regis Achabi, idololatria Baalitica usque adeo contaminatæ, ut Elias se solum ab isto crimine immunem crederet. Quid ad singula *Bossuetus* animadverterit, in præsenti recensere nolumus, cum non dubitemus fore, ut *Claudius* aliquando, nisi major vis impediat, scriptum suum edat, & a Bossueti animadversionibus vindicet, quo facto nova nobis de his dicendi materia nascetur.

DISSERTATIO HYPATICA

seu de Consulibus Cæsareis, ex occasione inscriptionis Forojulienſis Aureliani Augusti. In qua Cæsarum & Augustorum Consulatus Ordinarii, eorumque Decennalia & id genus festa regulis nemini observatis declarantur: perpetui vero, tam cum Imperii, quam cum Æra Christianæ annis, juxta accuratam Chronologiam, nunc primum de integro digeruntur &c, Auctore R. P. Antonio Pagi, Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci Doctore Theologo,

Lugduni 1682. in 4.

DUo illa Cenotaphia Pisana Caji & Lucii Cæsarum ansam dabant *Henrico Norisio*, doctissimo apud Italos Augustiniano, dissertationes prolixissimas quatuor, quas mense Martio hujusdem anni recensuimus, conscribendi. Non absimilem in modum & unica Forojulienſis Epigraphe Aureliani Augusti, cum autori *Antonio Pagi* abs *Ludovico de Thomassin* Supremæ in Gallo-Provincia Curiæ Senatore, & altero Peireskio oblata esset, diffusissimam hanc, addo & eruditissimam dissertationem Hypaticam nobis peperit. In ea Columnæ XV pedes

altæ insculpta Aureliani Augusti, tribunitia potestas quarta tertio ejusdem Consulatui illigata legitur, licet in alia ejusdem Imperatoris, quæ apud Onuphrium, Gruterum, & Golzium extat, & una cum Forojulienſi ab Autore ſub initium exhibetur, tribunitia ejus poteſtas quinta cum Conſulatu tertio tantum deſignato connectatur. Nata igitur hinc doctiſſimo Pagi fuit occaſio, non tertium ſolummodo Aureliani Auguſti Conſulatum in Inſcriptione Forojulienſi expreſſum, ſed & alios quoscunque a Cæſaribus & Auguſtis geſtos explicandi. Tres autem diſſertationis hujus Hypaticæ cum ſint partes, in priori agit de Cæſarum & Auguſtorum Conſulatibus tum deſignatis, tum ſuffectis, oſtenditque, tertium Aureliani Auguſti Conſulatum in Epigraphe Forojulienſi cum quarta Tribunitia poteſtate conjunctum, vel eſſe tantum deſignatum, vel tertium dici in ordine ad ſuffectum, quem ante adeptum Imperium idem Imperator geſſerat. In altera de eorundem Cæſarum & Auguſtorum Conſulatibus ordinariis, eorumque regulis ſermocinatur, Decennalia etiam, & id genus alia feſta, poſt Henricum Noriſium & Carolum Dufreſnium, ad amuſſim diſcutit; magnamque ex illis lucem Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Scriptoribus Hiſtoriæ Auguſtæ, Chronologiæ, Nummographiæ & Codici Theodoſiano affert. In poſtrema denique de perpetuis Imperatorum Orientalium Conſulatibus tractationem inſtituit, Faſtosque Byzantinos conſulares de integro ordinat. Tametſi enim Onuphrius Panvinius Faſtos Romanos quam diligentiſſime digeſſerit, in ordinandis tamen Orientalibus, qui in Juſtino Juniore incipiunt, & in Conſtantino Porphyrogeneta deficiunt, erraſſe ſæpiſſime fuit deprehenſus. Supplentur igitur hic, quæ deſiderantur in Onuphrio. Multa certe in lucem de Cæſareis Conſulatibus proferuntur, ignorata atqve inexplicata hactenus, ſed incredibile quantum ad rem Chronologicam facientia. Tria autem potiſſimum, quæ parum alias fuere cognita, in ea exhibentur; accurata videlicet Conſulatuum deſignatorum & ſuffectorum a Cæſaribus & Auguſtis geſtorum tractatio, qua varia Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptorum loca illuſtrantur; deinde ordinariorum Conſulatuum ab iisdem aſſumtorum Rationarium, ſeu nova Faſtorum Conſularium Romanorum ab Auguſto Imperatore ad Juſtinum Juniorem, in qvo deſiere, illuſtratio, & Conſulatuum Cæſareorum cum Decennalibus & id genus Feſtis, Triumphis, Ludis ſecularibus & inſignioribus Imperato-

ratorum factis connexio; & denique perpetuorum Consulatuum, quæ impossibilis alias visa est, certa ordinatio, qua ipsa difficultates, quæ in Fastis Byzantinis digerendis alias se obtulerunt, tolluntur, eorumque usus jam a multis seculis, summo Chronologiæ detrimento, intermissus revocatur. Dissertationi præmittuntur Prolegomena, quibus & Autoris institutum exponitur; & multa in Dissertatione hinc inde asserta uberius dilucidantur; præmissus etiam est index capitum, qui in hoc volumine continentur, & syllabus autorum, qui in eo citantur, notantur, emendantur, illustrantur; nec deest Index præcipuarum rerum in hoc opere contentarum, sed libro finito subjectus.

BIBLIOTHECA ROMANA, SEU ROMANORUM Scriptorum Centuriæ autore Prospero Mandosio, Nobili Romano, Ordinis S. Stephani Equite.

Romæ 1682. in 4.

Quemadmodum nullo non inventi sunt tempore, qui Heroum, cujuscunque gentis, res præclare gestas monumentis literarum consignarent, ipsisque adeo æternitatis tabulis inscriberent: ita nec defuere & olim & hactenus, qui illustres Urbis terrarum quondam Dominæ cives ab oblivione ac silentio vindicarent. Notus præter cæteros a Cl. Viro *Martino Hankio* duobus libris percensitos, est *Plutarchus Chæronensis*, Polyhistor Trajano Imperatori summe æstimatus, qui commentarium scripsit de *Romanorum fortuna*, inque eo res varias illorum, quibus quidem indulgentiorem fortuna se præbuit, commemoravit. Extat etiam liber *Sexti Aurelii Victoris de Urbis Romæ Viris illustribus*; quanquam autorem hujus multi aut Cornelium Nepotem, aut Plinium Secundum, aut Suetonium Tranquillum, sed nullo alicujus momenti argumento, constituunt. Quo loco nec tacendus *Georgius Cassander*. Is enim librum hunc, quem Plinio Secundo adscribit, supplevit, prius agens de tribus illustribus Viris, qui ante Procam fuere in Latio, Evandro videlicet, Latino, & Ascanio, & posterius de novem Viris illustribus, qui cum Pompejo vixere. Ex recentioribus Romanorum illustrium Scriptoribus nominari vel maxime meretur *Janus Nicius Erythræus*, seu, *Julius Victor Rossius*; qvippe qui in Pinacotheca sua uti Ita-

los sui temporis clarissimos longe plurimos, ita Romanos quoque non paucos eleganti stylo percensuit. Sed ecce recentissimum Romanorum illustrium scriptorem, *Prosperum Mandosium*, Nobilem Romanum, & Ordinis S. Stephani Equitem! Nam & hic in opere supra indicato non alios viros exhibet, nisi Romanos, eosque non Marte, sed arte, non bipenni, sed penna, non pilo, sed stilo claros, quique *diuturnitate*, ut ipse loquitur, *in propriis lucubrationibus exarandis insudarunt*. Exhibet autem horum *Centurias quinque*, his quinque alias, si fortuna cœptis faveat, succenturiaturus, inordinatum quendam, quod nec ipsemet diffitetur, observans ordinem, nulla quippe dignitatum, nulla temporis, nulla serici abecedariæ ratione habita, sed omnimoda libertate sua utens, & scriptores promiscue recensens v. g. jam Pontificem quendam, mox priscum aliquem Poetam aut Historicum, & mox nonneminem vel ex recentissimis. De cætero non *vitas* tantum Romanorum horum, sed & *scripta*, quantulacunque etiam, refert, unde & Bibliothecæ Romanæ titulum liber meruit; inserit etiam hinc inde *Inscriptiones illustrium Virorum sepulcrales*, quæ & gemmarum instar ob argutius dicendi genus in toto hoc opere exsplendescunt.

DES BALLETS ANCIENNES ET MODERNES selon les regles du theatre.

id est,

De saltationibus veterum & hodiernis juxta leges theatri.

a Paris 1682, in 12.

Non minus pervagatus saltandi mos fuit olim, quam hodie passim obtinet; nec minori apparatu in magnatum aulis antiquissimis temporibus, ac hodiernis saltationes institutæ fuerunt: in theatris non saltem, ludis, chorisque ac intersceniis apud gentiles, verum in sacris etiam apud Judæos recepto, & ab his ad Christianos derivato earum usu. Quo factum, ut præsules sacrorum, quos a *præsiliendo* appellatos Scaliger affirmat, dicerentur, qui præ cæteris Dei laudes canerent, & hymnos saltationibus ac tripudiis auspicarentur. Non alienum igitur a muneris sui ratione se acturum censuit

fuit Menetrerius S. I. si, postquam de *Dramatibus musicis* commentatus esset, quod in Actis anni superioris mense Julio pag. 226 memoravimus, de *Saltationibus* etiam tractationem susciperet, & veterum Judæorum, Græcorum, Romanorum, aliarumque gentium moribus receptum, ad nostra tempora deductum saltandi morem ost enderet, quibusque initiis ad quantum gradum quantamque absolutæ artis laudem iste pervenerit, exhiberet. Quod commodissime per exempla se præstiturum existimavit: ideoque egregiorum ac admirandorum prorsus in Gallia editorum ludorum orchesticorum recensionem per universum librum instituit: ac in præfatione statim eximiorum duorum meminit; quorum alter Parisiis *felicitatem armorum Gallicorum* repræsentans a Rege exhibitus; alter Lugduni anno 1658, *aram Lugdunensem* Ludovico Augusto consecratam & in æde Gloriæ collocatam referens editus fuerit. Cujus posterioris auctor cum idem qui libri hujus extiterit Menetrerius, ejus occasione arti huic exactiorem se operam dedisse, & quidquid Plato, Aristoteles, Plutarchus, Lucianus, Libanius, Athenæus, Julius Pollux, veteres Scholiastæ græci, aliique recentiores in scriptis suis de orchestica & saltationibus reliquerunt, investigasse ac collegisse indicat; unde libellus hic sibi natus sit. in quo veram indolem & naturam saltationum *(des ballets)* juxta regulas Aristotelis, ad mentem Luciani, & exempla antiquioris ævi, exposuit. Ludicram earum artem non esse primum probat, quod inventionis filia, & musicæ, pictoriæ, & poeticæ æqualis sit: neque poeseos dramaticæ solum partem, sed peculiare constituat genus, quod mixtum ex serio & jocoso, naturali & artificiali, fabula & historia, ideoque peculiaris artis nomine merito veniat: quæ hactenus regulis circumscripta certis non fuerit, quod istæ ex professo a nemine fuissent traditæ: quas ipse ex plurimis scriptoribus colligere, & in justæ artis modum orchesticen concinnare studuerit. Originem saltationum divinam esse, easque in sacris tam apud gentiles, quam Judæos & Christianos olim usitatas, tripudio Mariæ & chori feminarum Judaicarum, postquam eæ transiissent mare rubrum, Exod. XV; populi Israelitici circa vitulum ab Aarone conflatum choreas ducentium, Exod. XXXII; mulierum Israeliticarum in occursu Davidis, cum is Goliathum stravisset, 1. Reg. XIIX; filiarum Silonitarum a Benjamitis raptarum 2. Reg.

VI

VI; Davidis item in Psalmis ad choreas instituendas creberrimis exhortationibus; & *chori* in omnibus templis hodienum usitati appellatione ostendit. Apud gentiles autem saltationes in rerum sacrarum numero recensitas fuisse, ipsa *saliendi*, a *Saliis* in honorem Martis saltantibus deducta appellatione, pluribus item poetarum locis, in quibus Dii saltantes introducuntur, & furore sacro probat. Qui cum vel *propheticus* ab Apolline, vel *poeticus* a Musis, vel *bellicosus* a Marte, vel *amatorius* a Venere, vel *ebriosus* a Baccho inspiratus fuerit, omnes tamen saltando se exeruisse affirmat, quod tremor ille & concussio ad saltandum eos raperet. Nec vanam esse sanctorum Patrum conjecturam statuit, existimantium angelos & beatos cœlites saltantes laudare Deum; quorum sententiam celebres quidam pictores penicillo expresserint.

Comicas autem saltationes (*Ballets* vulgo dictas) absolutæ magisque perfectæ artis esse docet: quas apud Ægyptios frequentatas, motus cœlestes & harmoniam universi referre, Sophoclis, Euripidis & Aristophanis scholiastæ tradiderint: stropharum etiam & antistropharum epodarumque originem ad istos motus referendam, Marius Victorinus scripserit. Nomen ἀπὸ τοῦ βάλλειν deductum ait, quod a Græcis Galli, Itali, Hispanique acceperint: media etiam ætate apud Latinos usitatum fuerit: quos *ballationes* pro saltationibus, & *ballare* pro saltare dixisse, Concilii Bragensis & Romani anno 826 habiti verbis probat. Definit ex sensu Græcorum apud Athenæum hanc saltationem, quod sit *imitatio earum rerum quæ audiuntur & canuntur*; addit Lucianus: *gestibus, motibus & intervallis eam absolvi*: ita ut quemadmodum cantus flexione vocis, sic saltationes motu & flexione corporis constent. Omnium vero accuratissimam esse definitionem Aristotelis observat, qui *mores & affectus & actiones in his choreis exprimi* ait, *eo quem gestibus effingunt rhythmo*. Unde Tesaurus *metaphoram realem & agentem* eas vocat, *gestu & motu affectus interiores & actiones externas hominum exprimentem*. Nonnullos occasionem his saltationibus ab Hierone Syracusanorum tyranno suppeditatam statuere docet, quod is loquendi usu interdixerit Siculis, ac propterea motibus gestibusque loqui & exprimere sensus eos coegerit. Hinc nomen *pantomimorum* eos adeptos, quod imitando quævis exprimerent: qualis Proteus fuerit. unde nata fabulæ

bulæ occaſio, in omnes habitus ſe commutaſſe eum narrantis.

Poſt hæc *materiam* ſaltationum latiſſime patentem, quod argumentum undecunque, cumprimis autem ex hiſtoria ſive vera ſive fabuloſa depromere liceat; *formam* quam inventio, imagines, motus, harmonia & ornamenta, ſingulorumque commoda diſtributio, aptaque concinnitas ipſis conciliant; *genera* varia, tragicum, comicum, thymelicum, aliaque huc pertinentia excutit; de Luſitanorum etiam ambulatoriis tripudiis (*des ballets ambulatoires*) in plateis urbis inſtitutis, machinis in quibus tripudia peraguntur, ſe provolventibus, de Hieronicis item ludis, e Græciæ Olympicis ad Romanos translatis, quorum artifex Pylades quidam celebratur, diſſerit: Petro Mambrunio autem, qui Diſſertationi ſuæ de epico carmine *tripudium* ejusmodi verſibus latinis expreſſum ſubjecit, cui argumentum fecit, diſſidia populorum religione potius ac pietate, quam armis componi, eidemque præfatiunculam præmiſit, in qua aſſeruit, tripudii pompam latino verſu ſatis commode poſſe exprimi, litem movet, nec inſtituto huic parem eum fuiſſe oſtendit. tum de *ſchematibus* tripudiorum tractat, quæ infinita eſſe ex Luciano, Phrynicho, & Sidonio Apollinari tradit: de *motibus* porro, *harmonia*, *ſcenis*, *choro*, *veſtibus*, *machinis*, apparatuque reliquo tripudiorum erudite tam ex veterum mente quam hodierno more diſſerit, & ubi a decoro longius receſſerint quævis tripudia paſſim inſtituta, admonet: quæ hic recenſere omnia nimis longum foret. Neque enim exempla, quæ plurima in Gallia, Italia, Sabaudia, Hiſpania, Luſitania & Anglia inſtitutorum ludorum orcheſticorum, magnis ſumtibus ſplendidiſſime editorum affert, heic referre inſtituti operis modus permittit.

SCHOLASTICÆ THEOLOGIÆ, AUTORE Stephano Spinula, Epiſcopo Savonenſi,

Pars Prima.

Papiæ 1681, in fol.

AUctor hic, præter ſplendorem familiæ in Italia haud exiguum, & honores quibus ab Alexandro VII publice affectus fuit, comes nimirum nepoti Flavio Chiſio, Cardinali & ad Regem Galliæ Le-

gato, e Theologis datus, & redux Episcopus Savonæ creatus, claritudinem etiam nominis sui ipse comparavit sibi scriptis Philosophicis, quæ jam iterato edita conspiciuntur. Hæc vero insequitur jam Theologiæ Scholasticæ *Pars prima*, disputationes in primam partem Thomæ complexa, in quibus, post Prolegomena, de Deo uno, de visione, scientia, voluntate, prædestinatione, Trinitate, atque Angelis, subtiliter atque perspicue disquiritur; media etiam & nova quædam via, quæ hoc nomine in toto libro maxime notanda & considerandæ est, in Tract. 4 disputat. 3 tentatur inter prædeterminationis & scientiæ mediæ assertores, in ardua illa & periculosa quæstione de conjunctione divinæ voluntatis cum libertate creata: ita nimirum explicato concursu causæ primæ cum secundis, ut nec physica præmotione, nec scientia media opus esse videatur, qua de re viderint domestici ejus, hoc est, Pontificii ipsi heic in diversum abeuntes.

OTHOSOPHIA, SEU PHILOSOPHIA Impulsus universalis Johannis Marci Marci a Kronland, Philos. & Med. Doctoris & Prof. Pragensis &c. Opus posthumum.

Vetero- Pragæ 1682. in 4.

QUo præclaro animo doctissimus Dn. Jacobus Joannes Wenceslaus Dobrzensky de Nigro Ponte, Philos. & Med. Doctor, & Præceptori suo fatis functo referendi gratiam, & de re literaria bene merendi, ante *Liturgiam mentis*, nunc *Othosophiam* ingeniosi præ cæteris Philosophi & Medici publicavit. In quo libro *impulsus naturæ, progressus ac vires* explicantur & demonstrantur, argumentum Physicis Mathematicisque acceptissimum. Partibus hoc agitur tribus.

In prima naturam impulsus exponendo, illum describit virtutem locomotivam, a qua proxime oritur motus, cap. 1, sive vim motricem de novo acquisitam vel de potentia in actum traductam, cap. 6. Principium ejus duplex facit, unum internum seu liberum, alterum externum seu necessarium. Principium liberum sunt animalia, quæ proxime aliquam partem corporis, mediate alia corpora movent. Sicut autem virtus impulsiva in animalibus ex se indifferens est ad omnem differentiam loci, & ipse motus unus est specie juxta loci differentiam extrin-

trinſece & accidentaliter diverſus, ita quoque impulſus nonniſi una ſpecie continetur, plures differentias accidentales habens a variis directionibus ab impellente acceptis: a forma quidem elementi, quatenus dirigitur ſurſum aut deorſum, dicitur levitas aut gravitas: ab aliis motoribus plures differentias admittens: nam & ſurſum & deorſum & ad latus atque etiam circulariter dirigi poteſt. Et licet directio ab impellente v. g. lapidi impreſſa abſumat nativam inclinationem ſeu gravitatem, non tamen interminabilis fit adſcenſus, ſed terminatur impulſus tum per oppoſitam eidem reluctantem gravitatem, tum per reſiſtentiam medii, in quo motus contingit. Principium motus neceſſarium indagaturus oſtendit (1) ejus impulſum neque ad gravitatem neque ad levitatem referri poſſe, cum indifferenter a quolibet corpore produci videatur. quam ſententiam probans declarat *quomodo globus in bellico cylindro impetum ab igne capiat, a quo motore ortum habeat impulſus ſagittæ a nervo excuſſæ.* (2) nullum motum fieri abſque impulſu; inde cauſam reddit, *quod curru vecti urinam in eo motu aut nullo modo aut difficulter reddunt*, & quod *qui navi magis concita feruntur, ubi hac ripam attigit aut in vado ſubito hæſit, ſibi a lapſu vix cavent.* (3) impulſum non eſſe ſubſtantiam, non ſpiritum illi ſimilem quo animantia cientur ad motum. (4) differentiam motus in animalibus ejuſque determinationem non pendere a ſola voluntate ſeu appetitu, ſed animam, quæ in ſe ipſa habet motus alicujus poteſtatem, ejus ſpeciem vel ideam novam imprimere & imaginativæ & parti mobili: itaque ab anima efficienter, ab idea veluti cauſa exemplari talem motum procedere. (5) motus impedimentum non ab anima, ſed ab organis varie affectis provenire, vel ex defectu ſpeciei, ſicuti in apoplecticis, lethargicis, ſopore ſomnove affectis; vel ex defectu ſpiritus influentis, ut in paralyſi; vel ex defectu vectis ſeu muſculi, ut in membris reſolutis nimia humiditate & infantulis; vel ob mobilem partem nimis vaſtæ molis aut onere ab extra gravatam. Addit ab intenſione ſpeciei, ſi illi robur accedat a ſpecie mundi analoga, opera illa miranda in lunaticis, rabidis, furioſis, maniacis &c. provenire. *Hanc ſpeciem Cræſi filio linguam reſeraſſe, dum nimio terrore percitus, ex nece patri imminente, omnes vires huc collegit: hanc podagricos ſæpe in pedes conjicere, dum ſpecie doloris & quæ huic cohærent omiſſa ob gravius malum, quod effugere properant, ſola ſpe-*

cies motus concinatrix adeſt, totaque vi imprimitur imaginationi atque inde ſpiritui. Quibus præmiſſis concludit, impulſum eſſe qualitatem a forma vel principio interno mobilis productam: formam vero, ex ſe indifferentem ad omnem motum, per levitatem & gravitatem veluti ideas determinari: proinde *falſo a Peripateticis gravitatem pro cauſa efficiente motus reputari*, cum ipſa tantum ſit exemplaris. porro ideam determinatricem motus elementi eſſe ejuſdem ſpeciei cum idea motus voluntarii, quæ dirigit ad eundem motum, ut quo brachium deprimitur & quo lapis deſcendit: membro enim mobili ſpeciem hanc motus anima imprimit. *rebus ergo inanimatis etiam ineſſe quandam notitiam naturalem* ab ejusmodi ideis, a quibus determinatæ agunt, abſque tamen cognitione vitali: eas vero ideas in motu voluntario a cognitione ortum habere; in iis, quæ naturaliter moventur per gravitatem & levitatem, h. e. per ideas ſurſum & deorſum dirigentes a forma elementi emanare neceſſitate naturali tanquam inſeparabiles ejuſdem proprietates, quibus ad impulſum certum determinantur: in iis, quæ ab extrinſeco impellente moventur, ideam oriri ex corporum mutuo contactu vel unione: tum enim extrema formæ fieri unum, atque ſic cum idea inſit communi extremo, ab hac utramque formam determinari ad ſimilem impulſum producendum; v. gr. cum lapis alium percutit, ideam hic ab illo recipit ob unitatem formæ, quæ ex unione ſubjecti facta per illum contactum reſultat. Hinc intelligi, *moveri corpora contra nativam gravitatem aut levitatem ad vacuum prohibendum ab impulſu, facta determinatione communis ſuperficiei*, ut uno corpore moto alterum quoque moveatur. Hæc potiſſima ſunt Partis primæ.

In ſecunda parte de gravitate ad mundi centrum relata tractat. Hic initio diſputat, inæqualia pondera motu inæquali deorſum ferri, motum gravium in deſcenſu augeri, contra Ariagam; qua occaſione geometrice demonſtrare conatur, magnitudinem non poſſe conſtitui ex individuis punctis. Deinde rationem gravitatis in mobili ad medium relatæ inquirit, inprimis ut ipſa in humido vel fluido, cui vel aliud fluidum vel corpus concretum incumbit, ſe habeat: pluribus enim theorematis hypotheſes ab Archimede poſitas illuſtrat. Hinc oſtendit, *aerem & ignem eſſe ſua natura gravia & fluida corpora*, demonſtratque ex eo, quod humida ſphærice terminentur, vim habere illud principium aquilegorum: *aſcenſum & deſcenſum aqua facere inter ſe paria.*

paria. Ad quod ab objectionibus vindicandum *de fluviorum exortu* differit, rejectis Scaligeri & Caſpari Bartholini opinionibus, ſententiam Ariſtotelis explicando, elegantibusque argumentis confirmando. In qua diſſertatione verifimilitudines quas inſpergit, *cataractas cœli ad diluvium Noachicum concurrentes fuiſſe vaporoſum aerem orbi terrarum circumfuſum omnem in aquas a Deo reſolutum & depreſſum; ignes ſubterraneos tam copioſos ſeculis futuris tellure rupta urbes populoſas abſorpturos; die illo ſupremo mundi exeſis & perruptis omnibus clauſtris ab igne erumpente univerſa in vitrum colliquatum iri*, aliis judicandas relinquimus. Hoc ſine dubio ſe magis approbat, quod *gurgites & voragines maris, in quibus reciprocatio aquarum æſtui maris conformis, qualis vorago eſt ad Norwegiam celebris, effectum æſtus marini* aſſerit; at in illis, in quibus reciprocatio aliter contingit, ut in freti Siculi Charybdi ter, in Euripo Chalcidis ſepties diei ac noctis ſpatio, cauſam in plurium gurgitum confluxum refert. Inde commode tranſit ad *æſtum maris* ſeu acceſſum & receſſum ſingulis diebus bis evenientem, dum pleriſque locis ſex horis mare affluit, ac totidem refluit. Cauſam ejus facit Lunam; modum agendi hunc exiſtimat: Luna ideam motus ſui aquis Oceani ſibi ſubjectis imprimendo eas attollit: hæ vero ductricem ſuam eo modo quo poſſunt ſequuntur. atque hic æſtus univerſalis primarius eſt, cujus uti principium definiunt radii lunares ſuperficiem maris tangentes, ita ſummum incrementum radius ejuſdem lunæ perpendicularis adducit: eſt enim radius omnium fortiſſimus perpendicularis, maxime debilis ejuſdem tangens. In locis igitur, quibus Luna oritur vel occidit minimum, quibus verticalis ſummum efficit incrementum. Nec obſtat in ortu & occaſu paria fieri; quoniam occidua terminat tumorem, qui ſenſim illius digreſſu ſidit, ortiva eundem inchoat. Ex quibus fluxus Oceani, qui in Occidentem aſſidue fit, derivari poterit; nam cum aquæ aſſurgentes Lunam comitentur, neceſſe in eandem plagam fluere, quæ a parte Orientali videntur ſubſidere. Ab illo univerſali primario æſtu, loco eidem oppoſito, ad quem radii lunares nullo modo perveniunt, æſtus ſecundarius proxime efficitur. Nam partes aquæ ſub illa moleſunt magis preſſæ; recipiunt ergo ab his partes contiguæ minus preſſæ fluxum, qui per infinitos circulos ejuſdem ſphæræ continuatus, ſi nihil occurrat a quo reflecti poſſit, demum in parte ſibi oppoſita occurrens in eandem altitudinem

partes ibidem minus preſſas attollit. Enimvero quia ſuperficies maris non eſt continua, ſed immenſa terrarum ſpatia aquas disjungunt, fluxus quoque a preſſione inductus variat, dum alibi quidem a promontoriis interciſus & litorum continua productione elisus aut varie reflexus & nonnihil mutilatus ſuo pari occurrit. Unde neque eodem ſemper modo, neque in omnibus locis ſimiliter fieri æſtum contingit. Ex quibus rationem differentiæ & varietatis æſtuum particularium aſſignari debere exemplis nonnullis oſtenditur.

Conſiderata ita gravitate & impulſu tam in uno quam in diverſis mediis in ordine ad mundi centrum, quorum motus eſt linea recta, Parte 3 vim gravitatis & impulſus expendit, quam habent ad hypomochlium ſeu centrum revolutionis, cujus reſpectu circulariter moventur. Et cum in Mechanica *ad circulum libra, ad hanc vectis, ad vectem reliqua omnia reducantur*, ante omnia de circuli proprietate ad motum comparata agens, demonſtrat circulo ineſſe contrarietatem motus & quietis; circulos majores eſſe magis mobiles; (quæ utraque aſſertio eſt Ariſtotelis) motus cœleſtes nihil commune habere cum motu penduli, contra Galilæum &c. poſt hæc *de cauſa librationis inæqualis ob rationem ſitus* ſollicitus eſt, quamobrem ejusdem ponderis, ſola remotione ab hypomochlio, vires augeantur in infinitum? an brachia libræ æqualiter onerata quieſcant extra ſitum horizonti parallelum? aliaque plura de Libræ motu explicat. Tertio motum ponderis trochleæ appenſi declarat.

His ſubjungitur (1) velitatio epiſtolaris inter Auctorem & Caramuelem, *an libræ ſeu vectis ratio in centro univerſi locum habeat?* ubi inter cætera diſceptant, *an centro mundi ſemper idem telluris punctum reſpondeat; an ipſa vacillet & trepidet ad cujuscunque rei inſultum? an terra moveri in gyrum poſſit?* (2) demonſtratio nova Georgii Behmi Matheſeos Profeſſoris Olomucenſis contra Staticos, præſertim Paulum Guldinum, oſtendens in centro univerſi non haberi rationem vectis. (3) de iſta demonſtratione inter Marcum Marci & Godefridum Aloyſium Kinnerum Theol. & J. U. Doctorem, Capellæ Regiæ Pragenſis Decanum &c. amica concertatio. (4) Problema Mathematicum Theodori Moreti: *An Archimedes recte demonſtrarit, poſſe terram a medio Univerſi amoveri ſic, ut non propellantur etiam cætera elementa & cæli?* Quod Marci noſter reſolvens concludit: nos necdum videri

ſolu-

solutos ea lege quam tulit quondam Hiero Rex Syracusanus: *Pro vero habendum, quicquid dixerit Archimedes.*

Tandem pagellas vacuas mansuras occupant *Monita quædam Medica* ad valetudinem conservandam ex familiaribus colloquiis Marci Marci collecta ab humanissimo doctissimoque Balbino, qui ad ea vivens suam literarum studiis aptam profecuamque senectutem non accusavit.

LA VIE REGLEE DANS LE MONDE, OU la maniere de bien passer la journee, & de vivre dans l' ordre, par Monsieur de la Volpiliere Docteur en Theologie.

id est,

Vita ordinata, sive modus bene transigendi singulos dies, & vivendi secundum ordinem. Autore Volpilerio, Doct. Theolog.

Lutetiæ 1683. in 12.

MAteria hujus tractatus seipsam satis commendat, nec auctori eruditio aut facundia defuit ad eam terse & eleganter explicandam. Distribuit autem opusculum in partes sive capita *sex*. *Parte I* commentatus est de tempore vitæ, præterito, præsenti, futuro, variis & salubribus monitis singula prosequutus. insistit autem hypothesi Tridentini decreti, *de incertitudine salutis*. *Parte II* monstrat, quam necessarium & utile sit, de ratione vitæ deliberare; scopumque sive finem tenere, qui non alius sit, quam Deus; Eo enim referenda & ordinanda esse omnia, nisi perniciose aberrare velimus. Eligendum vero cuique pro conditione sua vitæ genus, scopo illi convenientissimum, & in proposito constanter permanendum. *Parte III* necessitatem ordinis in vita servandi ejusdemque facilitatem ostendit, sine quo monstrose & confuse fierent omnia. Pendere autem ex ordinatione singulorum dierum, totius vitæ ordinem: cum vita nihil aliud sit, quam dies sæpe iteratus. Deinde cum agenda omnia tribus constent occupationibus, cultu divino, negotiis, recreationi-

ationibus: quomodo eæ per singulos dies distribuendæ sint, summatim docet, & in consilium adhiberi suadet *directores*, quos vocant, *conscientiæ*. Quotidie ex matutino & vespertino tempore aliquam partem precibus & meditationibus piis assignat; actiones cæteras, non consuetudine, nec impetu, aut ex vanitate, & pravis affectibus, imo nullo respectu mere humano, suscipiendas esse dicit, sed motu supernaturali, ex principiis religionis, & ex spiritu gratiæ & charitatis: ut ita ad Deum ejusque gloriam & amorem omnia referantur. sic fore ut, quod D. Paulus exigit, *omnia fiant in nomine Jesu*. Interserit his, ex religionis, quam profitetur, placitis, aliquammulta de sacrificio, quod vocant, Missæ, de precationibus pro mortuis, de meritis operum, de cultu sanctorum, & inprimis Virginis Deiparæ; Hanc enim, ait, mediatricem esse in omnibus, quæ ob peccata cum Deo habemus, dissidiis, illam misericordiæ sinum pandere, & peccatoribus refugium præbere, nec ullum hominibus beneficium a Deo conferri, quam per ministerium divinæ hujus Reginæ, omnis gratiæ dispensatricis. addit invectivas in dissentientes, etiam ex suo cœtu, qui excedi putent devotione erga Virginem, cum tamen, ut ipse opinatur, omnia quæ illi exhibentur, ad filium pertineant, neque hic melius coli possit, quam veneratione matris. Minus paradoxa & a piis omnibus probanda adjicit; de præstanda fidelitate & fervore in exercitiis pietatis, & quomodo in spiritu & veritate Deo serviendum sit. *Parte IV* de negotiis sive laboribus agit, quos unusquisque pro sorte sua, sive manu, sive cura publica, aut privata, suscipere debeat, acriter taxans otium & inertiam juvenum, feminarum, & hominum opulentorum & illustrium. *Parte V* refectiones, & recreationes, non necessarias saltem sed & proficuas esse, ad laborem constantius & durabilius ferendum, statuit: dictum Christi ad Apostolos Marc. 6, 31 allegans: *Requiescite pusillum*. Sed rejicit delectationes vitiosas, inprimis aleam, cujus damna graphice describit, sobrietatem & moderationem ubique commendans. *Parte VI* de intentionibus actionum breviter commentatur, bonis, malis, indifferentibus: & quamvis rigorem Thomæ & quorundam Scholasticorum sequi non videatur, qui indifferentes intentiones in classem malarum conjiciunt; ostendit tamen meritorias (ita enim ex instituto suo loquitur) actiones nullas fore, id est Deo non placituras, nisi fiant

ex

ex gratia ſanctificante: eorum enim, qui in mortali peccato hæreant, opera mortua eſſe. Referenda itaque omnia, ut ſupra dictum eſt, ad bonum finem, ad fidem, charitatem, religionem, aliasque virtutes Chriſtianas. Affert effatum Servatoris, rationem ob *omne otioſum* verbum exigentis, & dictum Auguſtini: *Omne factum, ſi recte factum non eſt, peccatum eſt, nec recte factum ullum eſſe poteſt, quod non a recta ratione proficiſcitur.* Et pro ſymbolo commendat, ſive quotidiana precatione: *Propter te Domine*; ut omnia pro Deo, & ad gloriam divini nominis fiant. Hoc vovendum eſſe Deo ſub initium cujuslibet anni, ſeptimanæ, diei, imo ſi fieri poſſit, uniuscujusque horæ: Sic divina præmia ſperari poſſe, imo Deum ipſum præmium noſtrum futurum eſſe.

EXCERPTA EX LITERIS ILLUSTR. ET CLARISSIMORUM VIRORUM, ad Nobiliſſimum Dominum JOHANNEM HEVELIUM perſcriptis, Judicia de rebus Aſtronomicis, ejusdemque ſcriptis exhibentia, ſtudio & opera Joh. Erici Olhoffii.

Gedani 1683, in 4.

QUanquam ea dudum ſummi Viri JOANNIS HEVELII in rem literariam ſint merita, ut nec ipſi nec Operibus ejus a cujusquam teſtimonio exiſtimationis aliquid accedere poſſit amplius: optime tamen de literis meruiſſe merito cenſendus eſt clariſſimus Editor, vulgatis Virorum tota Europa celebrium de HEVELIO ſcriptisque ejusdem judiciis. Præterquam enim quod communi celeberrimorum hujus ævi Virorum ſuffragio, de fide, ſolertia & ſagacitate tanti Aſtronomi, ejusque adeo ſeu obſervationum ſeu hypotheſeon pretio & veritate certum reddant unumquemque: quid hactenus inter principes in literis, præcipue Aſtronomicis, Viros HEVELIUMque commercii interceſſerit, & velut hiſtoriam aliquam cœleſtem, ob oculos ponunt. Habet autem curioſus Lector in hoc libro cum ſereniſſimorum quorundam Principum, & Oxonienſis atque Cantabrigienſis Academiarum, tum ſummorum celeberrimorumque Virorum Bullialdi, Caſſini, Colberti, Felli (Epiſcopi hodie

Oxonienſis eminentiſſimi) Gaſſendi, Heinſii, Hugenii, Kircheri, Merſenni, Oldenburgii, Riccioli, Robervallii, Uſſerii, Walliſii, Wardi, aliorumque, quos recenſere longum foret, literas, non affectus ſolum in HEVELIUM & Heveliana propenſiſſimi, ſed & eruditionis ſubinde mathematicæ pleniſſimas: ut, quanto Uranies commodo futurum eſſet, ſi cæteræ ad magnum hunc Aſtronomum ab Eruditis undiquaque intra ſemiſeculum ſubmiſſæ, atque ab hoc eodem cum reſponſionibus ſuis in quindecim Volumina digeſtæ, (vide Act. ſup. anni p. 32) fatis propitiis ſubſequerentur, non temere conjectare liceat.

LES DIVERSES ESPECES DE NOBLESSE & les Manieres d' en dreſſer les Preuves, par le P. Meneſtrier, de la Compagnie de JESUS.

id eſt,

De diverſis Nobilitatis ſpeciebus, eamque probandi modis, Tractatus P. Menetrerii, e Soc. Jeſu.

Pariſiis 1683, in 12.

TRactatus hic continuatio eſt illius, quem ſub eodem titulo menſe Februario hujus anni excerptum dedimus, & continet enumerationem nobilitatis, tum majoris ſive titulatæ, tum ſimplicis, ejusque vel militaris, vel patriciæ & civilis. Percurrit vero auctor provincias & civitates Germaniæ, Belgii, Helvetiorum, Britanniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Sueciæ, Daniæ, Poloniæ, Italiæ, Hiſpaniæ, & quæ regiones aut inſulæ regnis & tractibus illis adjacent, aut eo referuntur. Apparet tamen, ob defectum auctorum aliorumque adminiculorum, non magnam notitiam de provinciis Germaniæ, præſertim ſuperioris, ad ſcriptorem hunc perveniſſe: quamvis diligentia ejus & rectitudo judicii non exiguam laudem mereatur. Fatetur ipſe ſæpius, non alibi majorem de nobilitate ad veterem morem ſervanda & probanda, quam in Germania, curam habitam fuiſſe, aut nunc etiam haberi. Potuiſſet induſtria ejus juvari, & familiarum nobilium per plurimas alias Germaniæ provincias, non minor quam in Weſtphalia

phalia ratio haberi, si auctori inspicere & excerpere licuisset, vel archiva Episcopatuum & collegiorum Ecclesiasticorum, in quæ nobiles soli recipiuntur, vel indices sive matriculas nobilium, tam immediatorum i. e. soli Imperatori jure ordinario subjectorum, (quales tantum in Franconia, Suevia, & tractu Rhenano reperiuntur,) quam mediatorum, quos *Landsassios* vocamus, quique ad comitia Principum vocari solent. Ex talibus enim documentis certiora petuntur, quam ex libris, privata auctoritate, aut superficiaria opera compilatis, quales fere sunt qui insignia exhibent. Interim uti diximus, non defraudandus est laude sua auctor, cum quod potuit, etiam in regionibus peregrinis præstitit, exemplumque dedit, quod indigenæ & regionum periti, minori cum difficultate sequi possent.

COURS DE CHYMIE, CONTENANT LA maniere de faire les operations, qui sont en usage dans la Medecine, par une methode facile, avec des Raisonnemens sur chaque operation &c. par Nicol, Lemery, Apoticaire du Roy.

a Paris 1682, in 8.

id est,

Cursus Chymicus, methodum facilem operationum in Medicina usitatarum continens, cum discursibus & notis circa operationem quamvis, auctore Nic, Lemerio, Pharmacopœo Regio &c.

Parisiis 1682, in 8.

Libri olim jamdum impressi quartam, eamque diversis in locis notabiliter auctam & emendatam nunc sistimus editionem, (quæ enim Latine *Genevæ anno 1681* impressa fuit, secundæ editionis Gallicæ versio, adeoque nostra imperfectior longe videtur:) a materiæ ubertate, methodique hactenus desideratæ elegantia commendati, & tantum non omnibus systematis Chymicis antehac editis palmam præripientis.

Primo siquidem Auctor de generalioribus hujus artis præceptis, hacque occasione de principiis rerum, hinc de furnis & vasis disserit, plura addens, quæ in prioribus duabus editionibus (tertia enim frui nobis haud licuit) neglexerat, imo illorum figuras tribus tabulis æneis exprimens: terminos vero technicos dum explicat, locupletior longe pariter observatus. Deinde operationes ipsas aggreditur in variis concretis, secundum tria mixtorum perfectiorum Regna in classes digestis: ita tamen ut primo ipsum operandi modum exponat, postmodum autem huic semper encheirises ac annotationes quasdam ætiologias operationum concernentes, annectat, uno verbo, chymiam philosophice satis profiteatur.

De principiis rerum ubi agit, spiritus, sive sulphureos, sive urinosos, sive acidos, principii nomen haud mereri putat, quod cuncti satis compositi sint: non nisi unum sal, & quidem acidum, terræ visceribus innatum agnoscens, unde reliqua salia, mineralia æque ac vegetabilia, cuncta, varii nominis, & texturæ paululum mutatæ, v. g. gemmæ, marinum, vitriola, salia vegetabilium tam essentialia, quam urinosa & fixa emergant; posteriora tamen bina ab igne modificentur, ac vegetabili nunquam sub hac textura incasistant. Occasione salis alcali animalis bilem cum acidis effervescere, prout hactenus nonnulli sibi persuaserunt, experientia subnixus negat: quamvis acidum cum bile, sanguine &c. intra corpus simili ratione ac in musto aut cerevisia recenti consipicitur, fermentescere facile concedat.

Mineralium præparationibus egregias meditationes & discursus (olim quoque omissos) de illorum genesi præmittit, ac inter alia vulgarem & hactenus receptam sententiam, de influxu illo particulari septem planetarum in septem metalla, & vice versa, examinat ac destruit, argumentis haud levis momenti: & ubi in specie de auro agit, Alchymistarum errores & imposturas, quas in illo producendo & metallis transmutandis committunt, cum summa artis transmutatoriæ difficultate exponit, concluditque, *Alchymiam* congrue a nonnullis definiri per *artem sine arte, cujus principium mentiri, medium laborare, & finis mendicare.* Præterea auri usum cordialem, quem ab influxu solis particulari habere vulgo dicitur, dubium reddit, illorum simul objectionibus satisfaciendo, qui

idem

idem metallum, a caponibus devoratum, intra horum viſcera aliquid ponderis perdidiſſe ſibi perſuadent: inſimulque hoc paradoxi ſubdit, vix aurum exacte homogeneum, id eſt 24 caratarum, dari, quatenus omne aurum, etiam ſumme purificatum, portiunculam quandam Lunæ & Veneris retineat; qualem puritatem atque ſinceritatem veram argento quoque denegat. Volatiliſari poſſe metalla hinc infert, quod remanentia tinctura Lunæ, cum ſp. vini & ſale urinæ paratæ, ſi per ſe, revificationis ſeu deliquationis gratia, igni committatur, maximam partem in auras abeat. Stanno ſulphur ineſſe, per detonationem, quam metallum hoc cum nitro præſtat, evincit. De Martialibus horumque ætiologiis ubi ſollicitus eſt, terræ motus & thermarum cauſas tradit. Occaſione Mercurii ſublimati venenorum differentias eorumque antidota recenſet; hinc quam abſurde illi agant, qui Theriacam, Orvietanumve omnibus venenorum generibus opponunt, oſtendit. Regulo Antimonii, dum evacuationis gratia propinatur, aliquid molis revera derodi, contra antimonii ſuper ignem calcinatione (adeoque non ſaltem, quæ nonnullorum eſt traditio, ex radiis ſolaribus) pondus augeri, teſtatur. Stellam reguli Antimonii Martialem non a Planetæ Martis influxu, ſed ab ipſa Antimonii textura, derivat. Poſtquam de calcis vivæ exæſtuatione, potentia cauſtica ac hujus præparatis diſſeruit, atramentorum ſympatheticorum confectionem, applicationem atque agendi rationem oſtendit. Omittit vero in hac editione Hæmatitis examen, quod ſilicum præparationibus & olei de lateribus confectioni in ſecunda interjecerat. Corallorum rubedinem a cera alba deliquata extrahi perhibet: quam autem in ſecunda illa editione hinc parandam ſuaſerat tincturam, ſicco nunc pede tranſit, forſan, quod fallacem valde hanc poſthac obſervavit. Aquam marinam per deſtillationem aliquid ſalis volatilis evehere, hinc ſalia per evaporationem parata, illis, quæ cryſtalliſatione ſola perficiuntur virtutibus longe inferiora eſſe, per experientiam comprobat, hacque occaſione, quomodo ſal marinum Rupellæ paretur, edifferit. Poſtquam Aquæ regiæ præparationem dedit, in arduum illud phænomenon, cur hæc aurum, non vero argentum ſolvat aut corrodat, prolixe ſatis inquirit. Porro ſpiritui ſalis armoniaci vim hypnoticam concedit; pulveris ſympathetici, ex vitriolo Veneris parati, vim & uſum

in dubium vocat. Spiritum aluminis, ſecus ac communiter aſſerunt, continuato igne elici poſſe, item ad ſpiritum ſulphuris per campanam conficiendum parum referre, ſive tempore & in loco humido, ſive ſicco hæc operatio adornetur, docet.

Vegetabilia dum tractat, in horum virtutem purgatricem, ejusque ætiologiam, diſquirit, ubi ab iis recedit, qui certo, ſive ſalino, ſive ſulphureo, principio vim hanc attribuunt, & hanc potius in illorum determinata miſcela, hincque dependente humorum fermentatione, collocat. Papyri analyſin dum molitur noſter, oleum hujus in ſurditate & flatibus pellendis maxime extollit: Spiritum vero, aciditate omnes vegetabiles ſpiritus antecellentem, ut diureticum & deoppilativum, commendat.

Corticis chinæ uſum in febribus intermittentibus ſub certis cautelis pariter deprædicat, & medicaminis hujus rationem agendi ſubminiſtrat, una cum ejusdem præparatis. De Sacchari confectione & depuratione compendioſe agit, ſpiritum vero hujus cum ſale armoniaco præparatum communi & ſimplici præfert.

Occaſione Tartari vitriolati diverſorum acidi phænomenorum explicationem ſuſcipit, v. g. cur acida modo diſſolvant, modo coagulent? fermentatio quomodo fiat? acidum ventriculi diſſolvens, ſcholis hactenus adeo decantatum negat; febrium vero cauſam in acore quodam præternaturali ſupponit. Opii potentiam narcoticam hujus glutinoſæ ſubſtantiæ, ſpiritus quaſi inviſcanti, tribuit: adſuefieri tamen interdum nonnullos adeo hujus uſui, ut drachmam ejus unam ſine aliqua noxa aut ſingulari alteratione aſſumant, cujus conſuetudinis pariter rationem addit. Nicotianam venenum certis animalibus v. g. ſerpentibus, lacertis, exiſtere teſtatur, ſive fumum hujus admittant, ſive cuti eorum vulneratæ aliqua ejus portiuncula intrudatur: aliis vero exterius, ſcilicet per vulnuſculum, admotam hypercatharſin excitare, experimento in cane facto confirmat.

Ex Animalibus dum viperæ præprimis accuratius examen inſtituit, de hujus venenoſitate quædam præmittit, ejus formalitatem in acido coagulante quærens. Hinc pulveris viperini confectionem, ſpiritus, ſalis, & olei deſtillationem docet, ac ſecundum hanc methodum cornu cervi, capillorum, cranii humani &c. analyſin præſta-

præstare jubet: tandem vero urinæ, mellis ac cereæ præparata potissima recenset.

CONSIDERATIONS SUR LES LETTRES circulaires de l' Assemblee du Clergé de France, de l' Annee M. DC. LXXXII.

id est,

Considerationes ad Epistolam Circularem Cleri Gallicani anno 1682 congregati.

Hagæ 1683, in 12.

EXhibuimus nuper, mense Majo, excerpta ex *Animadversionibus Burneti*, ad has ipsas literas, quas aggressus est Anonymus hic, non minori apparatu & argumentorum agmine. Redegit vero considerationes, sive monita sua, in quatuor capita: (1) Affectatam a Clero fraternæ charitatis blanditiem, pro acerba illusione habet, cum ex eodem stylo amarulenta in Protestantes convitia, & ex ipsius Cleri, ut putat, instigatione, durissimæ persecutiones procedant. (2) Objectam hæresin ita repellit, ut meram esse dicat petitionem principii: nullum enim fundamentum allegari quam decretum concilii Tridentini, & Traditionem, cui toties contradictum. citatque Auctores ex ipsis adversariis, qui fateantur, articulos a Protestantibus in controversiam vocatos ex scripturis probari non posse. (3) Schismatis culpam in Pontificem & Clerum retorquet, qui Protestantes superiori seculo vera & justa urgentes, non audiverint, & crudelissime fuerint persecuti. Certissimum vero falsæ Ecclesiæ indicium esse, violentiam adversus dissentientes, etiam manifestos hæreticos. Constare hoc ait ex historia S. Martini Episcopi Turonensis, qui contra Priscillianistas vi agi noluerit. (4) Quæstionem, *cur Protestantes schisma fecerint*; & intempestivam & captiosam esse asserit: satis enim notum esse, propter quos errores discessio facta sit, nec quadrare comparationem Evangelicam de tritico & zizaniis; quæri enim, utra pars pro tritico habenda sit? Protestantes hoc nomen jure sibi tribuere, ob retentam divinam & internam religionis bonitatem, licet externam Ecclesiæ speciem, cum ædificiis & red-

reditibus Pontificii possideant. Frustra etiam ex Augustino & Optato compilari dicta adversus Donatistas, & inepte in Protestantes dirigi: illos enim nullum caput fidei, sed personas Episcoporum quorundam impugnasse, at Protestantes plus millies ostendisse, quos articulos admittere non possint, nullam tamen ne minimam quidam emendationem obtinuisse, neque in præsens sperare, cum indies superstitio plebis incrementa sumat, etiam in tanta veritatis luce. Adducit ad hoc probandum, unum atque alterum exemplum, præsertim continuationem prohibitionis de non legenda a Laicis in lingua patria Scriptura, quicquid contra ursrint Jansenistæ. Digreditur ad pleraque controversiarum capita, ob quæ ad communionem cum ecclesia Romana redire nequeant Protestantes; nec moveri posse dicit argumentis a desiderio & voluntate Regis & moribus Pontificis hodierni accersitis. Regem enim ea esse modestia, ut imperium in mentes Deo relinquat. Pontificis autem vitam inculpatam laudem quidem mereri, sed id non efficere, ut pro capite & sponso Ecclesiæ haberi debeat, non magis, ac pro judice controversiarum, pro quo neque ab ipso Clero agnoscatur, in quæstione maxima, quæ nunc de potestate ejus movetur. In epilogo, conqueritur de minis Epistolæ circularis, in versione Gallica adjectis, quarum sensum protestantes satis intelligant & effectum sentiant. Mitiora tamen a Clero sibi promittere, cogitaturo tandem, quam aliena sit a disciplina Christiana, omnis violentia, in docenda religione; quamque noxio exemplo, & infelici successu exerceatur. Provocat ad Constantini M. tempora & ad historiam Gabaonitarum: spem etiam superesse a justitia & bonitate Regis, qui tot proborum belloque & pace utilium civium millia opprimi non sit permissurus. Etsi enim Protestantes iisdem calumniis apud Regem deferantur, quibus Judæi apud Ahasverum, aut Christiani apud Imperatores ethnicos olim onerati fuerint: ita tamen oculatum esse Regem, ut veritatem perspecturus sit, eoque animo, ut potentia sua non sit usurus in subditos prostratos & omnia toleraturos. Oceanum objectos sibi aggeres disjicere, sed parcere littoris sui arenæ. Nihil impedire Protestantes, quo minus Regi obsequantur, nisi timorem Dei & vincula conscientiæ: neque tam male consultos esse, ut levibus ex causis tantas incurrant jacturas, aut oblata commoda respuant. Denique Dei causam esse, qui in manibus habet corda Regis & Cleri. Fidendum esse clementiæ & poten-

potentiæ Dei, omnia tandem ad ſalutem ſuorum ſit directurus, nec ad patientiam & conſtantiam vires denegaturus, ſi ulteriores perſecutiones immittere decreverit.

HENRICI HAHNII OPUSCULUM AUREUM ad §. de indaganda, in Inſtrumento Pacis Osnabrugenſis & Monaſterienſis comprehenſum, & Conſtitutionem Imperii Ratisbonenſem de Anno 1654 von Schuld-Sachen/ Capital und Zinſen/ ꝛc. Curante Johanne Eichelio, Anteceſſore Primario in Academia Julia.

Helmſtadii 1683, in 4.

Cum infinitis calamitatibus tempore belli Germanici tricennalis obortis remedium aliquod ab Imperatore & Statibus Imperii ſubinde quæſitum eſſet, inter alia etiam in inſtrumento Pacis Cæſareo-Suedico art. 8. §. *de indaganda* &c. promiſſa fuit indagatio modi alicujus æquitati convenientis, cujus ope perſecutiones actionum contra debitores ob bellicas calamitates fortunis lapſos, aut nimio uſurarum curſu aggravatos, moderate terminari, indeque naſcituris majoribus incommodis tranquillitati publicæ noxiis obviam iri poſſet. Stetit promiſſo Majeſtas Cæſarea, dum antea exquiſitis Judicii Aulici ac Cameralis, ut & Electorum, Principum, ac Statuum conſiliis, conſtitutionem peculiarem controverſias iſtas ſopientem noviſſimo Receſſui Ratisbonenſi de anno 1654, a §. nachdeme auch in dem Friedens-Schluß ꝛc. 170, usque ad §. dieſer unſerer ꝛc. 175, inſeri juſſit. Hanc Imperialem conſtitutionem in præſenti opere ſibi diſtinctius exponendam ſumſit Hahnius Anteceſſor in Academia Julia quondam primarius, ob variam videlicet ac infinitam ejus in praxi forenſi utilitatem.

Poſtquam igitur p. 1 verba ſanctionis hujus ex dicto Receſſu Imperii retuliſſet, p. 9 ejusdem diſpoſitionem quaſi Logicam, ſecundum cujus normam etiam commentationem ſuam inſtituit, exhibet, memoratam Legem ſummatim dividens in proœmium, conſtitutionem ipſam, & ſanctionem. *Proœmium* quod d. §. Nachdem auch ꝛc.

170 continetur, exponit p. 25 seqq. *Constitutionem* ipsam, in §. 171, 172, 173, 174 d. Recess. propositam, resolvit in subjectum, (de personis & rebus) prædicatum (quod Lege ipsis sit succurrendum) & ipsam Legis decisionem (seu modum quo subveniri debeat) Ad subjectum & prædicatum accommodat verba §. 171: **Setzen demnach/ ꝛc.** eaque explicat p. 55 seqq. Modum subdividit in extraordinarium, & singularem. Ad extraordinarium refert (1) statuta particularia d. §. 171 versic. **zum zweyten ꝛc.** p. 108 seqq. (2) Amicabilem compositionem d. §. 171 vers. **zum dritten ꝛc.** p. 163 seqq. Modum singularem quatuor capitibus constare asserit, quorum (1) agat de sorte, cujus artic. (1) vult eam non esse minuendam, nec per præscriptionem auferendam §. **So viel nun die** Capitalia &c 172 p. 210 seq. (2) non tamen exigendam ante triennium d. §. 172, vers. **Jedoch fürs andere ꝛc.** p. 244 seqq. (3) hoc præterlapso insuper septennium concedendum esse ad solutionem particularem, d. §. 172 vers. **Falls aber drittens ꝛc.** p. 263. (4) pecunia deficiente aliud pro alio solvendum esse, d. §. 172, vers. **oder auff dem Fall ꝛc.** p. 281 seqq. (5) debitorem sua prodigalitate vel culpa bonis lapsum hoc privilegio frui non debere, d. §. 172, vers. **wäre es aber ꝛc.** p. 305 seqq. (6) nec idem plene creditori inopi opponendum esse, d. §. 172, vers. **wann auch sechtens ꝛc.** p. 320 seq. (7) instrumenta obligationum per vim extorta secundum instrumentum pacis esse dijudicanda, d. §. 172, vers. **Siebendes wegen derer ꝛc.** p. 329 seqq. (II) Caput tractare ait de pensionibus & usuris residuis, cujus artic. (1) disponit: remissas usuras esse usque ad quartam partem, nisi & hanc debitor se solvere non posse probaverit, §. **die verflossenen ꝛc.** 173, p. 347 seqq. (2) quartam illam intra decennium post publicatam legem particulatim solvendam esse, d. §. 173, vers. **wird aus erst-gedachten Ursachen ꝛc.** p. 390 seqq. (3) Sorte vero ante decennium soluta, quartam istam, aut ejus residuum intra triennium vel quadriennium proximum pendi debere, d. §. 173, vers. **Wofern aber drittens ꝛc.** p. 418 seqq. (III) Caput agit de pensionibus & usuris in futurum solvendis, ad has scilicet privilegium concessum non esse extendendum, §. **Anreichend die künfftige Zinß ꝛc.** 174, p. 428 seqq. (IV) denique caput proponit casus septem a regulis superioribus exceptos: (1) rerum transactarum, d. §. 174, vers. **damit aber gleichwohl ꝛc.** p. 439 seqq. (2) rerum judicatarum ac executioni datarum, d. §. 174, verb. **die vollzogene ꝛc.** p. 444 seq.

(3) Sor-

(3) sortis & usurarum solutarum, d. §. 174, verb. was an Capital &c p. 449 seq. (4) creditorum durante bello & ad redimendam pacem, d. §. 174, verb. was in den Kriegs-Läufften ꝛc. p. 450 seq. (5) creditorum ad emtionem & reparationem bonorum desertorum, d. §. 174, verb. was zu erkauff ꝛc. p. 453 seq. (6) solutorum a fidejussore, d. §. 174, verb. was ein fidejussor &c p. 457 seq. (7) creditorum a piis causis, d. §. 174, verb. und wie es ꝛc. p. 461 seqq. Postremum *Sanctio* continetur §. Dieser unser ꝛc. 175, & explicatur p. 466 seq.

Uti vero Autor in id incubuit potissimum, ut justitiam hujus constitutionis ex immotis Juris Naturalis, Divini, Gentium, Civilis privati pariter ac publici Romano-Germanici principiis ostenderet: ita quæstiones practicas ad præsens negotium facientes sedulo proposuit, & ex legibus communibus, statutis itidem provincialibus, ac variis præjudiciis supremi Judicii Aulici Cæsarei, inclytæ Cameræ Spirensis, multorumque Dicasteriorum Electoralium & Principalium, nec non Collegiorum Juridicorum, accurate, solide, ac perspicue definivit.

Subjunctus insuper est fasciculus varia ad hunc tractatum facientia continens: (1) verba §. *de indaganda* &c art. 8 Instrum. pac. p. 1. (2) D. Wilhelmi Bidenbachii Consiliarii Imperialis Aulici consilium super d. §. *de indaganda* &c p. 2. seq. (3) Simile Consilium Cameræ Spirensis de ann. 1653. d. 16 Augusti, p. 19. (4) Principum Electorum & Statuum Imperii Consilium d. 30 April. 1654, p. 31. (5) Imperatoris resolutionem d. 2 Maji 1654, p. 37. (6) Excerpta ex recessu circuli Saxonici inferioris sub dato Brunsuig. d. 4 Decembr. 1654, p. 38. (7) Excerpta ex recessu Provinciali de dato Halæ 11 Febr. 1655, p. 40. (8) Ordinationem Magdeburgensem d. 16 Febr. 1655 p. 42. (9) Constitutionem Megapolitanam d. 23 Junii 1655, p. 45. (10) Mandatum Principis Anhaltini d. 2 Maji 1655 p. 49. (11) Mandatum Electorale Saxonicum 1656, p. 51. (12) Mandatum Electoris Bavariæ 11 April. 1635, p. 63. (13) Constitutionem Haderslebiensem Christiani IV Regis Daniæ obstagia concernentem de anno 1604, p. 65. (14) ejusdem constitutionis renovationem de anno 1630, p. 69. Neque omittenda laus JCtissimi *Eichelii*, cujus cura opusculum hoc lucem aspexit. Is quippe non solum magno studio ejus editionem promovit, sed &, cum integrum libellum ad finem B. Hahnius morte præventus perducere non

potuisset, ex amore erga socerum hunc suum, ultimam manum eidem erudite imposuit.

MISCELLANEA CURIOSA, SIVE EPHEMERIDUM Medico-Physicarum Germanicarum Academiæ Naturæ Curiosorum Decuriæ II Annus Primus, Anni M DC LXXXII, continens celeberrimorum Virorum, tum Medicorum, tum aliorum Eruditorum in Germania & extra eam Observationes &c.

Norimbergæ, sumptibus Wolffg. Maurit. Endteri, Anno 1683, in 4.

QUas Anno 1670, instituto nunquam satis laudando, inchoarunt perque integrum decennium feliciter continuaverunt *Academiæ* in Germania *Naturæ Curiosi* eruditissimarum Observationum Medicarum, Physicarum, Chymicarum & Mathematicarum Collectiones, seu *Miscellanea Curiosa*; illas inposterum quoque indefesso continuatum iri studio, præsens novus hic observationum fasciculus spem certam literato orbi facit. Absolutis enim & completis annis Miscellaneorum decem, nunc undecimus, seu secundæ Decuriæ primus sistitur, in quo præmisso ac repetito Patronorum & Collegarum omnium Catalogo, varii generis observationes & experimenta, num. 185, modo cum, modo sine scholiis, uno verbo, methodo alias Societati huic Illustrissimæ solenni recensentur. Huic subnexa vero Appendix continet 1 Ejusdem Societatis Leges a Sacr. Maj. Cæsar. confirmatas. 2 Literas supplices ad Comitem de Montecuculi pro suscipiendo ejusdem protectoratu, cum hujus responso & Collegii gratiarum actione. 3 Literas ad Electorem Moguntinum supplices, pro suscipiendo pariter protectoratu, cum Electoris Reverendissimi responsoriis, & Academiæ gratulatoria & eucharistica &c. 4 D. Wedelii orationes binas, de pestis diritatis causis ac antidoto. 5 D. Weizii meditationem de Peste & Febribus malignis. 6 Joh. Jac. Handeri dissertationem de Rupicaprarum interaneis & Ægagropilis, & 7 Balduini Hermetem Curiosum.

LA

LA COUR DU ROY CHARLES V SURNOMMÉ le Sage, & de la Reine Jeanne de Bourbon.

id est,

Aula Caroli V cognomento Sapientis, Galliæ Regis, ac Reginæ Johannæ Borboniæ.

Pariſ. 1683, in fol. maj.

CUjus non ſemel mentionem fecimus, quique inter Eruditos, quorum Acta publicamus, jure optimo cenſeri meretur, clariſſimus *Meneſtrerius* e Societate Jeſu, ut artem Heraldicam cum amœnioribus quibusque literis magno ſemper ſtudio excoluit: ita operam dare non ita pridem cœpit, conquirendis antiquis figuris ac monumentis, quibus & Gallica illuſtrari Hiſtoria, & ſimul Heraldicæ Artis cultus poſſet promoveri. Deditque jam induſtriæ ſuæ ſpecimen, expreſſis æte duabus tabulis, quarum altera Caroli V Galliæ Regis, altera Reginæ Johannæ Borboniæ Aulam exhibet, perſonis ſingulis per inſignia, quæ in veſtitu præ ſe ferunt, diſtinctis. Cum in manus illæ noſtras incidiſſent, operæ nos facturos pretium exiſtimavimus, ſi præcipuam ex tabulis illis, quæ Regis curiam repræſentat, æri incidi curaremus, ac explicationem figurarum ipſis Meneſtrerii verbis latine redditis Lectori Benevolo communicaremus; ſi non alio, at illo tamen fine, ut ad excutienda diligentiori ſtudio antiqua monumenta, quibus Germaniæ noſtræ Hiſtoria exornati, & illuſtrium Familiarum arma gentilitia, quorum præcipua apud Germanos Heraldicæ artis ipſorum Gallorum confeſſione inventores, cura olim fuit, explicari poſſe videantur, hoc Galli hominis exemplo Germani etiam noſtri excitarentur. Eſt vero Tabulæ hujus argumentum ſolennis ceremonia, qua Ludovicus II Dux Borbonius nomine Claromontani Comitatus, antiqui a Roberti, qui filius Ludovici Sancti fuit, primi Claromontani in Bellovacenſi ditione Comitis, temporibus Borboniorum apanagii, homagium Carolo V Regi præſtat; ſuntque in ea viginti quatuor perſonæ obſervandæ. TAB. VI.

1. Rex Carolus in throno ſedens, indutus habitu longo liliis perſperſo, cum collari ex vellere murino *(d' hermine)* cui annexum eſt capitium, ſeu cucullus, ſecundum morem illius temporis. Corona

ejus aperta est, & ex sex depressioribus liliorum floribus, prout priores Franciæ Reges eam gestarunt, etiam antequam lilia cœperunt esse Francici Regni insignia.

2. Ludovicus II Dux Borbonius, amictus tunica liliata, cum baculo rubro, velut nota adscititia *(brisure)* Domus Borboniæ. Hæc tunica munita est vellere murino, & revincitur baltheo crasso per fibulam adstricto. Capiti circumcingitur corona, sive sertum rosaceum Equestris ordinis insigne *(chapelet de chevallerie)* quod capillos subligat. Cujusmodi corollæ in pluribus simulacris vetustis conspiciuntur, de quibus Menestrerius in Eroticis antiquis sub titulo *chapelet* consulendus. Hic Princeps junctas manus suas Regis immittit manibus, qui eas comprimit; id quod signum fidei ac homagii est, dominis & superioribus, a quibus cum onere vasallagii feuda recipiuntur, debiti.

3. A læva solii Regii Delphinus est, qui Regnum postea sub nomine Caroli VI tenuit. Togam gerit Franciæ & Delphinatus insignibus quadripartitam, ex pacto cum Humberto Delphino Viennensi, qui ea conditione Johanni Regi Delphinatum concesserat, inito. Innititur dextra throno tanquam præsumptus Regni hæres.

4. Dux Aurelianensis Delphini ad ipsum respicientis frater, vestitus toga liliata cum lambella argentea, velut adscita nota ordinaria filiorum Regiorum postgenitorum, qui Aurelianensium Ducum titulo gaudent.

5. Pone teneros hos duos Principes consistunt tres fratres Regis. I Ludovicus Dux Andegavensis, posteaque Rex Siciliæ, indutus toga liliata cum limbo rubeo, ascito charactere filiorum Regiorum nominis Andegavensis.

6. II Philippus, Dux Burgundiæ, togam quadripartitam habens insignibus Niverni & Burgundiæ, quæ nunc Burgundia hodierna & vetus appellantur. Burgundiam hodiernam sparsa lilia indicant cum limbo argenteo: Burgundiam veterem laterculi aurei & cæruleis fasciis a dextra deorsum exarati, *(bandé d'or & azur)* cum limbo rubro.

7. III Johannes, Dux Biturigum, vestitus, ut frater, toga liliata, cum limbo serrato seu denticulatim inciso *(engreslée)* tanquam ascititia nota filiorum Regiorum nominis Bituricensis.

8. Johannes Artesius, Comes Augensis *(d'Eu)* a Roberto Ludovici

vici ſancti Franciæ Regis fratre oriundus, poſt thronum Regis conſiſtit, illique innititur, cubicularii hac occaſione munus exercens. Veſtitus eſt habitu liliato, cum lambella ſeu faſcia trifida novem caſtellis diſtincta (*chaſtelé de neuf pieces*) velut nota adventitia Comitum Arteſiæ e Regia Franciæ Domo.

9. Cancellarius paritèr poſt Regis thronum viſitur, bacillum, juriſdictionis ſignum, manu tenens. Veſtitus eſt clerici habitu, cum corona ſeu ſerto roſacco equeſtri. A tergo duos habet libellorum ſupplicum Magiſtros cum cucullis, poſt quos iterum adſtat clericus quidam ſeu Eleemoſynarius.

Omnes hæ perſonæ editiorem locum occupant: inferiorem vero Comeſtabilis, duo Mareſchalli Franciæ, ſummus machinarum bellicarum Præfectus, & Thalaſſiarchus.

10. Comeſtabilis eſt Bertrandus Gueſclinus, inſigne ſuum, Aquilam nempe duorum capitum coronatorum, cum faſciola rubra totum ambiente (*cottice de gueules qui broche ſur tout*) præ ſe ferens. Longiorem baculum gerit, velut characterem juriſdictionis ſuæ; & in vita Ducis Borbonii legitur, quod Regi prandenti cum ejuſmodi baculo adfuerit.

11. Poſt illum Mareſchallus Ludovicus Sanceerranus comparet, quem e Domo Campanica (*de Champagne*) fuiſſe manifeſto arguunt inſignia, faſciolæ nempe duæ alternis utrinque patibulis diſtinctæ (*deux cottices contre-potencée*) cum lambella rubra, tanquam nota aſcita minorum natu e Campanica Domo.

12 Mouton de Blainville, alter Mareſchallus, in inſignibus togam præfert cæruleam cum cruce argentea, aureisque minoribus aliis, cum faſcia rubra circumfuſa.

13 Poſt duos hoſce Mareſchallos conſpicitur Hugo Caſtillonius, Dampetræ Dominus, lineæ Dampetrinæ, ex poſtgenitis Comitum de Porcean. Dignoſcitur ex armis Caſtilloniorum gentilitiis, quibus pro ſymboſo poſtgenituræ additi ſunt leunculi duo frontem ſibi invicem obvertentes. Supremus is Magiſter fuit baliſtariorum, quæ dignitas, poſtquam tormentorum aliorumque armorum flammantium uſus invaluit, in ſupremam rei tormentariæ præfecturam mutata eſt.

14. Ultimus ab hoc latere eſt Johannes Viennenſis Franciæ Archithalaſſus, cum toga rubra & aquila aurea bicipiti.

Dux

Dux Borbonius comites in his solennibus habuit Dominos de Beaujeu, Chaumont, Trie, Borbonium nothum, de Monchy, de Norry, & de Nedonchel.

15. Eduardus Bellijocensis (*de Beaujeu*) Dynasta in Perreux noscitur ex insignibus, leone nigro cum lambella rubra:

16. Postgenitus quidam e Domo Calvomontia (*de Chaumont*) in Vexino, ex fasciis suis rubris & lambella cærulea.

17. Ægidius Nedonchelius Cubicularius Ducis Borbonii, qui super baculo elevat claves castellorum Comitatus Claromontani, quorum nomine Dux Borbonius Regi præstat homagium. Togam gerit cæruleam cum argentea a dextro fascia, quod ipsius est insigne.

18. A tergo ipsius est Dn. Reginaldus de Trie, Eques, Dominus de Plessis, togam gestans auream cum rubra a dextro fascia, quam interstinguit fascia alia argento-cærulea, *pour brisure*, cum merula in angulo dextro, *pour contrebrisure*.

19. In medio consistit Johannes nothus Borbonius, Ducis frater naturalis. Indutus est candido amictu cum quadrante insignium Borboniorum, pro more illius temporis; cum ordinarie liberi naturales nonnisi quartam partem insignium paternorum gererent. Nam ut minores natu ex legitimo matrimonio paterna & materna insignia quadripartito secabant, ut distingui a primogenitis possent: ita liberis naturalibus quadrans tantum insignium paternorum ob vitium natalium concedebatur.

20. Petrus d'Auxy, Dominus de Monceaux, post Dominum de Trie emicans togam habet auro minioque tessellatam, velut insigne suum. Cubicularius is fuit Ducis Burgundiæ, & Capitaneus Duaci; qui idem præsto quoque fuit, cum Ludovicus Andegavensis eidem Regi fratri suo in Basilica S. Pauli Parisiis d. 19 Martii Anno 1374 fidei sacramentum præstaret.

Is qui toga rubra cum fascia argentea indutus est, incognitus Menestrerio fuit, habitus tamen de Domo de Norry, ejusmodi insignia gerente.

(o)

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipſiæ
Calendis Julii, Anno M DC LXXXIII.

LES EDIFICES ANTIQVES DE ROME desſines & meſures tresexactement par Antoine Desgodets Archtecte.

i. e.

Ædificia antiqua Romana exactiſſime deſignata & menſurata ab Antonio Desgodets Architecto.

Pariſiis 1682. in fol. charta auguſta.

ARchitecturam, politioribus quibusque gentibus nullo non tempore excultam, Romani inprimis ſummum ad perfectionis faſtigium evexere. Nam ex quo ſemel eos pudere caſarum ac tuguriorum cœpiſſet, quibus inter ſurgentis imperii anguſtias deliciarum ac ſplendoris incurioſi, unique armorum dediti ſtudio, contenti ſat longo tempore vixerant; jamque cum devicti orbis opibus luxuria etiam invecta in urbem eſſet, Græcæque & Aſiaticæ magnificentiæ æmulatio: dici non poteſt, quantis ſumptibus, quantoque ſtudio urbi ſuæ, rerum dominæ, ſplendidiſſimis exornandæ ædificiis Romani incubuerint. Exemplo prævit Auguſtus, qui urbem, dicente *Suetonio*, neque pro majeſtate imperii ornatam, & inundationibus incendiisque obnoxiam, excoluit adeo, ut jure ſit gloriatus, marmoream ſe relinquere, quam lateritiam accepiſſet. Secuti ſunt Cæſares reliqui, excitatis inſana prope ambitione magnificentiſſimis templis, theatris, amphitheatris, arcubus, aliisque operibus publicis, ut quicquid artificum Græcia Aſiaque habebat, Romam ſpe certa mercedis confluereat, nec ullæ tam magnæ opes eſſent, quas non ædificiorum ſumptui Romani promptiſſime profunderent. Ex qvo factum, ut Romana illa opera, & mole, & materia, & ſymmetria, artisque excellen-

tia, alia omnia orbis monumenta crederentur ſuperare; & nunc etiam, poſtquam dudum non vi quidem temporis, ſed barbarorum manibus deſtructa ſunt, ipſa eorum rudera pro abſolutiſſimæ architecturæ exemplaribus reputentur. Noſtro tempore nullibi fortaſſe, quam in Gallia, acriori ſtudio Architectura excolitur, inprimis ex quo tempore non Academia tantum Regia Artium & Scientiarum, ut ſcientiis quibuscunque aliis, ita Architectonicæ quoque perficiendæ manum admovit, ſed peculiaris inſuper Academia Architecturæ, illuſtriſſimi Colberti, Regiarum ædium, ut munia alia auguſta taceamus, magnificentiſſimi Curatoris, auſpiciis inſtituta eſt. Attamen ita huic arti incumbunt Galli, ut Romam tamen velut magiſtram reſpiciant, indeque exempla artis præclara mutuentur. Quo fine Romæ quoque Rex Chriſtianiſſimus Seminarium condidit, in quo, in architecturæ, picturæ & ſculpturæ ſtudiis, Gallica ingenia erudirentur, ex urbe harum artium cultu olim hodieque celeberrima, exactiorem earum ſcientiam revectura in Gallias.

Atque id ipſum inſtitutum, præſens quoque Opus nobis peperit, cujus Auctor, cum in Academia Architecturæ præſtantiſſimis in ea arte viris operam Pariſiis per biennium dedi ſſet, ac Romam inde a. 1674 cum alumnis Regiis pluribus, uberioris capiendi cultus cauſa eſſet miſſus, id ſibi potiſſimum incumbere exiſtimavit, ut quantum ſupereſſet antiquorum ædificiorum, ipſe metiretur exactiſſime, & minimorum pariter ac maximorum ſymmetriam accurato ſtudio exploraret, ſingulaque ichno-ortho-ſciagraphice in futuros delinearet uſus. Tametſi enim non ignoraret, occupatum jam ab aliis laborem hunc fuiſſe, eorumque libros, quibus Romana illa ædificia deſcripta conſpectui lectoris ſiſtuntur, ut profitetur ipſe, veneraretur, operæ tamen facturum ſe pretium exiſtimavit, ſi cum exemplis opera ipſa ſedulus conferret, laboremque ſæpius exercitum reſumeret denuo, ac num typi archetypis reſponderent, etiam in minimis ſcrutaretur. Quo ſtudio id viſus ſibi eſt deprehendiſſe, vix ullum Romæ momenti alicujus antiquum monumentum extare, in quo delineando errores non admiſerint notabiles, quotquot ante ſe experiri laborem hunc voluerunt; non ignorantia quidem artis, ſed quod vel minutiora curatius expendere neglexerint, vel metiendi curam ſibi gravem hominibus operariis, imperitis æpe, ignavis, ac infidis, commiſerint. Quatuor vero inprimis virorum

rum præ oculis semper habuit libros ædificiorum antiquorum Romanorum typos exhibentes, *Palladii, Serlii, Labacci & Chambraji*, inque singulis antiquitatis monumentis describendis sic versatus est, ut quo Auctore quodque conditum, quosque in usus fuerit, aut a quibus restauratum ac amplificatum, ex Annalium fide memoret; inde structuræ excutiat rationes, ac symmetriam inprimis & proportionem singularum partium diligentissime describat, figuris semper adjunctis; denique Auctorum jamjam dictorum errores hic illicve notatos castiget.

Cæterum opera, quæ hoc volumine describuntur, ea sunt. 1. Pantheon. Templum illud celebratissimum ab Agrippa, Augusti genero, exstructum, ac Jovi vindici cæterisque Diis olim dicatum; postea vero Bonifacii IV Pontificis auspiciis vero Deo consecratum, ac ab Urbano VIII magnificentissime instauratum, cujus nuda moles hodieque superstes structuræ omnis laudes exsuperare creditur, quodque dignum reputavit *Desgodetius*, cui per partes singulas accuratissime exhibendo integras viginti & tres tabulas destinaret. 2. Templum Bacchi. 3. Templum Fauni. 4. Templum Vestæ. 5. Templum Vestæ Tiburtinum. Etsi enim Romana tantum ædificia titulus libri præ se ferat, Templum tamen illud Vestæ, cujus vestigia Tiburi supersunt, nec non Veronense Amphitheatrum, illis immiscere non dubitavit. 6. Templum Fortunæ virilis. 7. Templum pacis. 8. Templum Antonini & Faustinæ 9. Templum Concordiæ. 10. Templum Jovis Statoris. 11. Templum Jovis tonantis. 12. Templum Martis vindicis. 13. Frontispicium Neronis. 14. Basilica Antonini. 15. Forum Nervæ. 16. Porticus Septimii. 17. Arcus Titi. 18. Arcus Septimii Severi. 19. Arcus Argentariorum. 20. Arcus Constantini. 21. Amphitheatrum Vespasiani & Titi, 13 tabulis descriptum. 22. Amphitheatrum Veronense. 23. Theatrum Marcelli. 24. Thermæ Diocletianæ, & 25. Balneum Pauli Æmilii.

FRANCISCI VAVASSORIS E SOCIETATE Jesu multiplex & varia poesis, antea sparsim edita, nunc in unum collecta.

Parisiis, A. 1683, in 8.

ULtra quadraginta jam annos scriptis in lucem editis per orbem literarium inclaruit *Franciscus Vavassor*, patria Burgundus, ex

Comitatu Carolesio, & anno ætatis XIV, seculi hujus XXI in Societatem Jesu, ut vocant, cooptatus, & postquam Parisiis Humaniora duos, Rhetoricam quinque, & Theologiam positivam seu expositivam sex & triginta annos docuerat, ibidem Anno 1681 d. 16 Decembr. non sine ingenti literatorum mœrore his terris ereptus. Nam *poetica* ejus *paraphrasis in librum Job* jam anno 1637 prodiit; quam succedentibus deinceps annis alii atque alii feliciſſimi ingenii fœtus, & quidem 1644 *Theurgicon* seu *liber de miraculis Christi*, Anno 1646 *Orationum volumen*, Anno 1649 *liber de Forma Christi*, Anno 1650 *Cornelius Jansenius Iprensis suspectus*, Anno 1651 *Claudii Avauxii Elogium & Funus*, Anno 1653 *dissertatio de libello supposititio*, Anno 1656 *Liber Elegiarum*, Anno 1658 *de ludicra dictione liber, in quo tota jocandi ratio ex scriptis veterum æstimatur*, Anno 1669 *liber de Epigrammate, & Epigrammatum libri tres*, ac denique Anno 1679 *Jobus brevi commentario illustratus, cum Metaphrasi poetica aucta & emendata*, qui & cantio ejus cygnea extitit, exceperunt. Nunc postquam fatis cessit hic cygnus, carmina ejus variis temporibus evulgata & dissipata, ut sit, quædam, Elegias puta, Heroica, & Epigrammata in unum corpus collegit *Johannes Lucas*, ejusdem Societatis pater, eaque incomparabili hoc tempore Literatorum Mæcenati *Ferdinando*, Episcopo Monasterio-Paderbornensi & Libero Baroni de *Fürstenberg* dedicavit. Subjunxit etiam his carminibus *Observationes* Vavassoris antehac non editas *de vi & usu verborum quorundam latinorum*. Erat enim Vavassor non comptus tantum orator atque poeta elegans, sed & latinæ literaturæ tam sciens, ut nemo magis; unde & tale illi a Johanne Commirio, Jesuita, positum est epitaphium:

Vavassor jacet hic, quem postquam fata tulerunt,
Ausoniæ Charites dedidicere loqui.

De cætero quoniam idem Vavassor proferre in lucem cœperat *Petri Johannis Perpiniani*, doctissimi & eloquentissimi Jesuitæ, natione Hispani, *Epistolas aliquot* cum operibus ejusdem non evulgatas, & nescio quo casu derelictas, etiam isthoc affectum ejus opusculum perfecit Johannes Lucas, imo has quoque Epistolas Perpinianæas Observationibus jam dictis annexuit, eo quod non emendatissimæ tantum sint latinitatis, sed multa, præter cætera, *de locis Rhetoricæ commu-*

communibus deque erudienda in Græcis latinisque literis juventute complectantur. Eloquentiſſimum autem fuiſſe Perpinianum, vel ſolius Mureti (at quanti Oratoris!) teſtimonium perſuadere cui poteſt. Ita autem ille Variar. Lect. lib. 15 c. 1 ad Darium ſuum: *Nunquam quenquam audiſti, ac ne audies quidem, opinor, in quem illud de Neſtore elogium melius conveniret, cujus ex ore melle dulcior fluebat oratio.*

CENTUM HISTORIARUM EXAMEN,

cum ſententia definitiva in utroque jure & pro utroque foro: ſeu Deciſiones Theologico-Legales P. F. Caſſiani a Sancto Elia Carmelitæ Diſcalceati Mediolanenſis.

Bononiæ, 1682. in fol.

ETſi Theologia moralis ad informandam hominis conſcientiam, longe utiliſſima doctrinæ pars ſit; tamen illam, per maligna nonnullorum Jeſuitarum principia, in ſcholis Pontificiorum miris modis fuiſſe corruptam, notius eſt, quam ut prolixe declarari debeat. Nam famoſo ac peſtilentiſſimo illo de *Probabiliſmo* doctrinæ genere invento, non tantum omnia legis divinæ vincula laxata ſunt; ſed & ſceleribus omnibus porta patentiſſima fuit aperta. Id quod ante annos non ita multos demonſtravit *Ludovicus Montaltius*, publicatis *literis provincialibus de Morali & Politica Jeſuitarum diſciplina, a Wilhelmo Wendrockio Saluburgenſi theologo*, e Gallico idiomate in linguam latinam translatis & cum *Examine Probabilitatis Jeſuitica, novorumque Caſuiſtarum* a celeberrimo *Rachelio* Helmſtadii editis. *Hic Autor*, qui centum hoſce caſus (ipſe vocat *hiſtorias*,) propoſuit atque reſolvit, non quidem ubique Moraliſtarum malignorum rationes ſequitur, nec *damnatas* Jeſuitarum *propoſitiones* adprobat; ſed tamen multas ſuperſtitioſas ac inutiles plane quæſtiones admiſcet, quas ignorare, Chriſtiano fraudi non erit; v. gr. *Caſ. XVIII. An liceat mulieri ſub veſte virili mentiri ſexum, ut degere poſſit intra ſepta conventus Regularium, donec edat partum conceptum in ſacrilego adulterio cum Superiore ejusdem conventus?* LIV. *An amaſius juransquinque olim ſuis concubinis ob affectivam erga illas recordationem, quotidie recitare pro*

singula unam Angelicam salutationem, peccet recitando, vel omittendo? LXXXII. *An inciderit in pœnas violantium clausuram monialis pergens per longum subterraneum usque ad muri fracturam, in qua partim intra, partim extra super firmamentum cum amasio cubabat?* IC. *An monialis fornicaria acquirat sibi, vel monasterio pretium sacrilegarum fornicationum?* LXXXV. *An sit dabilis casus, in quo quis teneatur baptizare aqua rosacea?* XXXIV. *An emens rem cum obligatione solvendi cum pecuniis, quas in ludo lucrabitur, teneatur ludere?* &c. Tractavit etiam aliquos casus, qui ad jurisprudentiam, ut titulus libri innuit, referri possunt: ut XXVIII, *An licite fiat compensatio propter ablata ab eo, qui fraudabat gabellam?* XXIX, *An venditori sit restituendare non ei soluta a mortuo emtore, si ab alio creditore tollatur?* & quæ aliæ sunt hujus generis quæstiones insperſæ; quarum multæ quoque statum ipsorum hierarchicum respiciunt, aut disciplinam monasticam corruptiorem. Sub calcem operis *indicem propositionum damnatarum a Pontificibus R. Clemente VIII, Alexandro VII, & Innocentio XI* subjicit: cui annexus est index rerum & verborum copiosissimus, quem claudit Instructione parochorum & aliorum confessionariorum pro casibus, quorum absolutio vel dispensatio spectat ad sacram Pœnitentiariam seu ad sedem (ut loquuntur) Apostolicam.

TOBIÆ ANDREÆ, Phil. & Med. D. Bilanx exacta Bilsianæ & Clauderianæ Balsamationis. Qua ostenditur, D. Clauderi inventam balsamationem non minus ac veterum longe a Bilsiana differre &c. Omnia per modum epistolæ communicata Samueli Andreæ, SS. Th. D. Ejusdemque & Histor. Professori celeberrimo.

Amstelodami 1682. in 12.

EDiderat Anno 1679 D. Gabriel Clauderus, Medicus Duc. Altenb. & Academicus Naturæ Curiosus, Praxi Medica æque, ac vulgata anno 1678 de Tinctura universali dissertatione, non incelebris, *Methodum balsamandi subjecta humana, aliaque majora sine evisceratione ac sectione hucusque solita*, Bilsiana haud inferiorem eam, imo ob certas circumstantias præstantiorem persuasus. Ægre hoc ferens præsens Scriptor,

Scriptor, quem plerique historiæ Anatomicæ gnari unicum Bilsianorum arcanorum conscium, ac inventorum postmodum possessorem ajunt, ad patruelem suum hanc conscripsit epistolam: in qua demonstrare satagit, illam ipsam D. Clauderi condiendi cadavera methodum a Bilsii, suaque immane quantum differre, & huic dignitate & utilitate longe cedere. Postquam enim Dn. Clauderi candorem & balsamandi rationem laudavit, *primo* urget, Bilsium cadavera integra, sine ulla sectione aut exenteratione antegressa, balsamationi subjecisse; adeoque falli Clauderum, quod concurrente illa hanc a Bilsio præstitam, id est extractas & seorsim præparatas partes rursum repositas fuisse asserat: prolixius declarans, Bilsium finita demum balsamatione, commodioris demonstrationis, aut alterius cujuscunque rei gratia, membrorum separationem & extractionem adornasse, certe minus necessariam habuisse. Et quamvis forsan quatuor illa cadavera, quæ Clauderus olim Roterodami viderat, absque exenteratione non fuissent balsamata (quod tamen non adeo prompte Noster concedit) posse nihilominus omnia citra ipsam ait parari: quod non tantum Bilsius, Auctori arctioris societatis vinculo junctus sancte asseverarit, & anno 1669 in publico Sylvæ Ducis theatro præstiterit; sed & ex natura balsamationis Bilsio & Andreæ communis sequatur, ipseque Auctor in cadaveribus infantuli, avium, piscium que, citra plumarum evulsionem, aut detractionem squamarum comprobatum dederit. *Deinde* tantæ efficaciæ Balsamum Bilsianum, & suum deprædicat Auctor, ut non tantum cadavera, quorum viscera ulcerosa & corrupta (quale illud, quod Bilsius Sylvæ Ducis præparatum ostenderat) sed etiam peste extinctorum, & quæ per aliquot dies jam sepulta fuerunt, ac putrefieri jamdum cœperunt, in tantum conservet, ut reliquum in integritate sua maneat, id est, ne pars corrupta sinceram trahat: imo fœtorem ex putredine contractum per balsamationis hujus vim obtundi, ac tandem plane dissipari, diversis experimentis comprobat. Quod idem quamvis Clauderus de sua quoque balsamationis ratione sibi polliceatur, spem tamen ejus forsan frustraneam fore autumat; ideo præprimis, quod Clauderus passim fateatur, cadavera sua, antequam ultimam pollinctoris manum experiantur, fermentationibus variis agitari, mephitimque insignem & fœtorem cadaverosum spargere, ut vel hinc Clauderianam

derianam balſamationem Bilſiana longe inferiorem judicet: quod uti ne ſanis quidem cadaveribus a putredine & fœtoris exhalatione præſervandis ſit idonea; ſic multo minus cadaverum jamdum putrescentium fœtorem tollere queat: præprimis cum Clauderus liquorem balſamantem per inciſionem corporis cavitatibus majoribus infundat; Bilſii balſamum ſine ulla inciſura exteriora ſaltim cadaveris alluat. *Tertio* differre etiam Bilſii & Clauderi balſamationem ſcopo oſtendit: quatenus hic exſiccationem, ſeu mumiſationem tantum cadaverum Magnatum intendat, ratione cujus hæc ætatem longiorem ferant; Bilſius autem methodum ſuam primario eo direxerit, ut perveſtigandis iis, quæ Anatome nondum detexit, cadaver totum flexile redderetur & minutiſſimæ quæque illius partes diſſecari commode poſſent. *Quarto* non exiguum inter utramque hanc balſamationis rationem diſcrimen a temporis, quod ipſi impenditur, diverſitate intercedere aſſeverat; ita ut quamvis ſubjectum majus ſine ulla inciſione, tres menſes Clauderus in liquore balſamante maceret, cum inciſione vero ſex vel ad ſummum octo ſeptimanas, adeoque præparationem intra hoc tempus abſolvat: idem tamen hoc de cadavere humano majore tamdiu adeo ſimpliciter aſſerere non poſſit, quamdiu experimentum in tali ſubjecto non feciſſet: quale illum hactenus nondum tractaſſe diverſis argumentis conjicit. De Bilſianis contra cadaveribus ſe certum eſſe, ea ſine omni inciſione prævia, ſpatio bimeſtri, ita præparari poſſe, ut in mumiam diu perennaturam, niſi ob anatomen in illis ad minutula inſtituendam flexibilia conſervare mens ſit, mox mutari queant. Huic *quinto* ſubjungit, non omnia cadavera, quæ ut mumias Clauderus ſervat, ſed pleraque ſaltem ipſius confeſſione per octodecim poſt mumiſationem menſes ſine alteratione, & putrefactionis labe ſubſtitiſſe; ita quidem, ut quamvis longiorem durationem ipſis præſagiat, hoc tamen non ſimpliciter, ſed ſub legitimæ curæ tantum conditione affirmet: Bilſiana vero & ſua, non obſtante plurium ſeptimanarum anatome, poſt elapſos jam aliquot annos, adhuc dum belle ſe habere, nulla, poſtquam in mumias mutata ſunt, balſamationis nova ſpecie in illis inſtituta. Nec *ſexto* Bilſii referre, ſive in aere calido & æſtivo, ſive in frigido & hyemali tempore balſamationem adornet: cum Clauderus frigidiorem & hyemalem potius auram ſeligat. *Septimo* fœtere inter balſamandum cadavera Clauderiana; ſecus ac Bilſiana faciant,

ciant, in quibus balſamatio fœtorem, ſi quem forte ex putredine concepta jam emittant, ſuperet & penitus extinguat, utut a balſamatione ferventiſſimis ſtatim exponantur radiis ſolaribus. Tandem & *octavo* interdum illa poſt balſamationem & mumiſationem ab aeris viciſſitudine molleſcere, horumque viſcera quandam vermiculorum inſidiis expoſita eſſe: cum nullum ejusmodi corruptionis vel leve indicium in balſamatis a Bilſio cadaveribus, quocunque anni tempore & aeris temperie obſerventur.

His omnibus prolixius explicatis, Clauderum præjudicio laborare Epiſtolæ Scriptor ait, dum Bilſianam balſamandi Methodum plane interiiſſe putat: utut concedat, Bilſium (quem primum Transfuſionis ſanguinis Authorem pronunciat) & quidem optimo jure, artē hanc ſtudioſiſſime celaſſe. Sibi enim artem hanc, Bilſiana adhuc præſtantiorem, cognitam, inque balſamandis minoribus ſubjectis identidem uſurpatam, annexis ſimi epiſtolæ obſervationibus ſeu experimentis atque teſtimoniis confirmat: addens demum coronidis loco, deſcriptionem qvinque illorum cadaverum, olim a Bilſio Marchioni a Caracena demonſtratorum, quæ tamen cuncta obſtetricantibus Marpurgenſium typis jam Anno 1678 in publicum prodierunt.

VITI RIEDLINI ULMENS. PHIL. & MED. D. ac Poliatr. Auguſt. Obſervationum Medicarum Centuria.

Anno 1682. in 12.

MEdicorum præprimis nonnullorum auctoritate excitatus, præſens ſcriptor illa, quæ circa morbos & ægros notatu digna obſervavit, publico exponere non dubitavit: ita tamen ut pauca de ſignis, tam diagnoſticis, quam practicis, pauciora adhuc de cauſis, addiderit, adeoque in recenſendis obſervationibus ſeu hiſtoriis totus videatur. Finem hujus opuſculi duplicem, theoreticum æque, ac practicum, augurari licebit, quatenus ex *obſervatione* ſtatim *prima* lac, ex decocti amari hauſtu amarum, pro materia chylum potius, quam ſanguinem, habere colligit; per *obſervationem quinquageſimam nonam* animi pathematum in movendo corpore, in ſpecie menſibus; & per *ſeptuageſimam octavam* imaginationis gravidarum in fœtum miram

vim, dum filius, quod mater gravida herniotomum viderat, sine testibus nascitur, ostendit. Reliquis vero potissimis historiis varias circa morborum causas & curationes, similesque practico, ut tali, attendendas circumstantias suggerit. Dum v. g. *observatione quarta* febrem pallidam non semper ex obstructione mensium contingere, *Undecima* ex utero vermes, quales non nisi ab Humelbergio antea observatos ait, longitudine dimidiam ulnâ superantes, prodiisse, *Decima quarta* Hypercatharsin pueris & senibus lethalem contingere, & *Nonagesima secunda* Antimonium diaphoreticum rite præparatum in puella, febre maligna decumbente, loco sudoris vomitus & alvi fluxum cum mensibus, atque quidem cum euphoria, excitasse, refert.

Sicut autem singulis suis observationibus aut parallelam alterius cujusdam scriptoris celebris anteponit seu combinat, aut de harum scopis ex variis autoribus quædam præfaminis loco monet; ita demum huic opusculo triplicem indicem, quorum prior Autores & alios, quorum mentio facta fuit, exponit, alter Observationum ipsarum seriem constituit, ultimus vero res & nomina recenset, annectit.

JOANNIS CASSINI

Descriptio novi cujusdam rarique Phænomeni cœlestis, ineunte Vere Anni 1683, Parisiis ab ipso observati, Diario Gallico Eruditorum XI, d. 10 Maji 1683 inserta.

Ex Gallico idiomate translata.

LUx quædam, gemina illi, qua Via Lactea candicat, clarior tamen in medio splendidiorque, & extrema versus debilior, expandit se per signa, quæ Soli hoc verno tempore percurrenda sunt. Animadvertere id primum cœpi in Observatorio Regio vespere d. 18 Martii, biduo ante æquinoctium: cum, observatis quæ in Saturno contingunt vicissitudinibus, oculos in prima stella Arietis figerem, quæ Tubo specillis, tanquam ex binis, suarum diametrorum summa ab invicem distantibus, composita conspicitur. Arietis Taurique asterismi solito longe lucidiores erant, tertio ab hora septima quadrante, finito jam

ante

ante ſemihoram crepuſculo veſpertino. Lux iſta a latere occidentali non erat terminata, niſi a vaporibus, duobus tribusve gradibus ibidem ſuper Horizonte elevatis; ejusque pars clarior latitudinem habebat octo aut novem graduum. Extendebatur oblique propemodum ſecundum Zodiacum; latere ſeptentrionali duas lucidiores ſtellas in capite Arietis, cujus totum corpus ambibat, ſtringens. Secundum longitudinem porrigebatur ſuper Pleiades, ſenſimque circa caput Tauri evaneſcens in acumen deſinebat.

Cœlum in illo tractu erat clariſſimum, ita ut ſtellas ſextæ & ſeptimæ magnitudinis illic nudo oculo diſtinguere liceret: & Claritas illa, utut nubeculæ a Sole illuſtratæ ſimilis, non impediebat, quo minus parvæ iſtæ ſtellæ in ipſo ejus medio conſpicerentur, ubi illa magis denſa apparebat; quemadmodum uſu venit per transverſum caudas Cometicas intuentibus. Latitudo tamen ejus major erat, quam ut caudæ Cometæ cujusdam cenſeri poſſet; quippe quæ triplo quadruplove maximorum Cometarum, mihi hucusque viſorum, latitudinem excedebat. De reliquo ſimilis erat illis, non ſolum pelluciditate, ſed & colore, ſitusque ad Solem reſpectu, ad quem juxta longitudinem ferme dirigebatur.

Brevi poſt etiam animadverſum eſt, illam cœli motum verſus occidentem ſequi: intra eadem enim ſigna motu hoc translata ſubſiſtebat, & cum illis ſub vaporibus circa Horizontem condebatur.

Anceps hærebam, annon illa exiguo motu proprio ſeptentrionem verſus ferretur: lucidiores enim duas Arietis, quas Lux illa latere ſuo ſeptentrionali initio ſtringebat, ipſa poſtea complexa eſt; id quod deinceps inſequentium dierum obſervationes ratum fecerunt. In hoc tamen neque tunc, nec poſt plures dies plane certus eſſe potui; quod extremitas Lucis hujus, ab omni parte nimis dubia, paulatim langueſceret, ut longe difficillimum eſſet, eam præciſe definire; accedente diverſa aeris, juxta crepuſculi diſtantiam, per inſequentes dies claritate, ob quam jam plus jam minus extenſa cernebatur. Unde prima apparitione, quæ lapſa poſt occaſum Solis hora contigit, Lux ſenſibilior ſe non niſi ad lucidiores Arietis in latum, & in longum ad Plejades usque diffudit, quas utrasque paulo poſt complexas tenuit: quod autem medium attinet, quantum viſu licuit percipere, in eodem perpetuo tractu verſus medium Arietis comparebat.

Poſtquam Arietis Taurique ſigna occidere, non ceſſavi explorare, utrum adhuc veſtigium quoddam Luminis hujus, ea altitudine atque ſitu, quo ipſum conſpectum erat, ſupereſſet; nihil inſoliti tamen ibidem comperi. Ex quo manifeſtum erat, id revolutione diurna circa Terram memorata ſigna ſequi; quandoquidem ſequentibus diebus una cum illis occidens, in eodem cum ipſis loco erat, quo præcedentibus diebus cernebatur: quod juxta Copernicæos idem eſt, ac intra revolutionem Sphæræ elementaris diurnam, ab occidente in orientem circa axem Terræ, eodem cœli loco fixum permanere.

In hoc itaque ſtatu, a 18 ad 26 Martii, quoties cœlum ab occidentis latere ſerenum fuit, Lumen illud obſervavi, citra evidentem animadverſionem alicujus mutationis: niſi quod noviſſima obſervatione diei 26 non eousque, quo prioribus, verſus Tauri cornua extendi, pauloque magis ſeptentrionem verſus porrectum videretur. Arietis lucidior, quæ lateri ipſius initio hærebat, tunc plus uno gradu Luci huic immerſa erat.

Poſtrema hac obſervatione, primam hujus ſigni ſtellam detegere non potui, quod humilior eſſet, vaporibusque profundius conderetur: qui ſimul expanſionem Lucis a parte occidentali, plus ac in obſervationibus præcedentibus, imminuebant.

Apparebat ergo, citra hoc, illudque quod a crepuſculis eſt, impedimentum futurum fuiſſe, ut dictim Lux iſta magis occidentem verſus extenſa, Solique proxima conſpiceretur: qui ſub initium ejus in penultimo gradu Piſcium conſtitutus, a prima Arietis non niſi triginta; & poſtrema obſervatione d. 26 paulo plus viginti duobus gradibus diſtabat: ita ut ſi Lucem illam præſente Sole licuiſſet oculis uſurpare, huic ſpeciem comæ circumpoſitura fortaſſis fuiſſet.

Ab hoc tempore, Cœlo veſperi ab occidente nubilo, an Lux hæc diſſipata eſſet, exploratum habere non potui; niſi 14, 22, 24, & 28 Aprilis. Tunc, licet crepuſculo finito ſignum Arietis jam occidiſſet, eadem Lux in ſigno Tauri ſe offerebat, ad ejus boreale Cornu usque protenſa; appellebatque latere ſeptentrionali ad caput Meduſæ & genu meridionale Perſei, cujus pes auſtralis claritati ejus immerſus erat.

His ergo poſtremis obſervationibus longe evidentius atque præcedentibus comperi, Lucem hanc ſeptentrionem verſus progreſſam eſſe: id quod impedimento fuit, quo minus illa tam cito per crepuſculum

lum vespertinum extingueretur, dum Sol interea signo Tauri se admoveret.

Comparatio Phænomeni hujus cum aliis similibus, notabilisque circa hanc materiam animadversio.

Difficile fuerit in historia lapsorum temporum Phænomenon huic novo Lumini per omnia simile reperire, quod plusculis diebus in iisdem cœli signis, citra motum proprium satis evidentem, & cum tanta, præcipue in latum, extensione, citraque Cometæ alicujus, cui originem debuisset, apparitione perstitisset.

Quoad ultimam tamen hanc, & cæteras, durationis, status, directionisque ad Solem circumstantias, plurimum recenti huic convenit, quod Bononiæ anno 1668 tunc conspexi, cum regio jussu honor mihi deferretur, Regiæ Scientiarum Academiæ censeri. Erat id Semita seu Via luminosa, caudæ Cometicæ similis, quæ spatium in longum occupabat 30 graduum, unius & dimidii paulo plus in latum.

Observavi eam 10 Martii die e vaporibus, qui prope horizontem erant, & asterismum Ceti tegebant, exire, latere orientali versus pedem Orionis, occidentali Solis locum versus directam. Longitudo ejus, ut hujus, ad signa Arietis & Tauri se referebat; sed insignem latitudinem australem habebat, mutabatque situm inter Fixas, motu versus orientem & septentrionem proprio, per quem dietim ad sidus Orionis magis accedebat. Apparuit usque ad 19 Martii diem, & hoc novem dierum spatio diversas Eridani Fixas, ut tamen eas visui non subtraheret, transiit.

Refert Dominus Chardin, in Libro suo de coronatione Solimanni Regis Persici: *Idem phænomenon anni 1668, in metropoli cujusdam provinciæ Persicæ d. 7 Martii, qui secundus erat apparitionis dies, observatum; & Ispahani, quæ Regni metropolis est, 10 Martii hora 7 post-meridiana. Apparuisse in parte australi, & secutum esse primum mobile, cum longitudine 30 gr. 32 min.* quod nostræ observationi consentaneum est, *latum fuisse undique ferme æqualiter 6 gr.*, quadruplo plus ac mihi Bononiæ comparuit; ubi nihilominus fuere, qui latius æstimarent: difficile tamen erat latitudinem definire, quod extrema versus debile esset, sensimque deficeret. Addit, *elevatiorem ejus partem versus Orionis balteum & flumen Eridanum fuisse.*

Mihi erat versus Eridanum, balteo Orionis longe septentrionaliore & occidentaliore. Longitudo, quam is ipsi 72 gr. tribuit, & latitudo ab Ecliptica trium graduum, non magis conveniunt dicto situ.

Subjungit, *extremitatem ejus inferiorem fuisse Cetum, aut flexuram Eridani*, quod exacte consentit observationi meæ, quæ eandem ad ventrem Ceti, qua flexuram Eridani tangit, collocat; citra respectum longitudinis & latitudinis, extremitati huic ab ipso tributæ, ubi errorem commissum esse numerorum apparet. *Perses*, ait, *id appellasse* Niazach, *h.e. lanceolam, a figuræ similitudine. Dixisse eos, nunquam sibi visum, nec fando ab aliis, de ejusmodi phænomeno quicquam acceptum; quamvis Cometa censeretur, cujus caput sub occasu conditum esset, ut super horizonte non posset observari.*

Occasione tamen hac ostendi, Phænomenon hoc cum alio quodam simili, bis mille annis hoc antiquiore, miram habuisse convenientiam: cum eo scilicet, quod Charimander, referente Seneca l. 7. quæst. natur. Anaxagoræ observatum tradit, grandis insolitique luminis, quod magnitudine amplæ trabis per multos dies fulserit; illoque, quod idem Auctor Callistheni observatum ait, ignis effigie in longum extensi, antequam Burin & Helicen, amplas Achaiæ urbes terræ motu absorptas mare absconderet: quodque Aristoteli Cometes fuit, qui a principio ob nimium ardorem non apparuerit, sed procedente demum tempore, cum minus flagraret, visus sit.

Dictus Philosophus 6 cap. l. 1. meteororum, de Phænomeno isto, quod tempore terræ motus & inundationis Achaiæ in cœlo visum est, differens, id jam magnum Cometa, jam magnum sidus appellat; memoratque, circa occasum æquinoctiale (quemadmodū & nostrum) apparuisse: & recensitis notatisque pluribus aliis similiū phænomenorū exemplis, subjungit, ingens illud sidus, de quo ante dixerat, hyeme, aura frigidissima & vespere maxime sereno, anno quo Aristeus Archon Athenis regnasset, fulsisse: primo die, ante Solem scilicet occidens, non comparuisse; sequente die parum visum, quippe, Sole ante se parva distantia relicto, occumbens; lumen suum ad tertiam usque cœli partem saltus forma porrexisse, atque hanc ob causam Viam nuncupatum; ascendisse usque ad cingulum Orionis, ibique dissipatum: quod & accidit Viæ luminosæ Anni 1668.

Seneca, cui Phænomenon istud Cometes est, Ephorum mendacii & im-

& impoſturæ arguit, dicentem, eum in duas ſtellas diviſum eſſe: quod, quamvis per totum orbem idem obſervatus, & præſagium inundationis duarum illarum urbium habitus fuiſſet, ſolus ipſe ſuſtinuit. Quamvis igitur ejus apparens magnitudo luminis certa fuit, & teſtimoniis omnium obſervatorum ſuffulta, non tamen in determinanda ipſius ſpecie omnium conſenſus erit, ſicut etiam contigit circa Phænomena ſimilia noſtri temporis.

Sunt & aliæ Cometarum ambiguorum hiſtoriæ, de quibus non niſi magnum aliquod lumen viſum eſt, qualis obſervatus eſt poſt 10, usque ad 23 diem Nov. anno 1618, verſus Hydræ ſidus in hemiſphærio auſtrali, ante inſignem Cometam, qui in parte cœli borea ſub finem dicti menſis fulſit, duravitque ad finem Januarii anno 1619.

De Natura hujus Luminis.

Lumen hoc inſolitum non eſt ſine materia ad Terram radiante, ſive ipſa ex ſe ſit luminoſa, ſive radios ſuos reflectat aut refringat, a Sole aut alio quopiam corpore luminoſo, aut immediate, aut mediantibus aliis corporibus, venientes: & vero directio, quam longitudo ipſius ad Solem habet, anſam ſuppeditat ſtatuendi, illud ab ipſo Sole derivari.

In Synopſi obſervationum mearum Cometæ anni 1681 num. 12 ſuſtinui, diffuſam in Æthere materiem eſſe poſſe, reflectendo lumini idoneam, quemadmodum in athmoſphæra noſtra contingit; eamque in orbita Cometarum, ubi Æther jam plus jam minus purus eſt, offendi, & caudarum Cometicarum phænomenon, cæterasque, quas illi ſubeunt, viciſſitudines efficere poſſe.

Quando ergo Lumen hoc tam colore, quam claritate, tenuitate, & ſitu ad Solem, geminum eſt lumini Cometarum; credibile eſt, materiam id ad nos reflectentem ejusdem eſſe naturæ: ſive Cometa ibidem ſit, ſub radiis Solis abſconditus, a quo illud originem trahat (id quod tamen aſſeverare non auderem, quandoquidem latitudine ſua adeo differt ab omnium, qui hucusque obſervati ſunt, Cometarum caudis) ſive radios ſuos immediate a Sole recipiat.

Sicut enim phænomena in aere conſpicimus, ſolarium radiorum immediate advenientium; aliorumque ſimilium, interventu Lunæ appulſorum, refractione & reflexione producta, qualia ſunt Irides & ſideris

sideris unius aut alterius Halones: non erit absonum, similia etiam phænomena, in materia per Ætherem sparsa, a Sole, sive immediate, sive interpositu cujusdam corporis Cometici, formari. Ea ipsa materia sideris alicujus lumen ad nos reflectere posset; quale quid accidit, certis Fixis aliquando comam quandam adsciscentibus, quod non tantum juxta Ægyptiorum observationes, sed propria sui ipsius contigisse testis est Aristoteles, visa hoc modo stellarum aliqua in coxa Canis majoris, principio quidem obscuriori, intentis tamen oculis satis manifesta.

Notandum est nostrum Lumen in eodem tractu apparuisse, quem plures Cometæ hujus seculi, annorum nimirum 1652, 1665, 1672, 1680, aliique plures seculorum præcedentium, in ea sibi Fascia obviantes trajecere, cui in Tractatibus meis, ob frequentem Cometarum transitum, *Zodiaco Cometarum* nomen feci.

Conjectura de distantiâ materiæ hujus luminosæ.

Quantum ad distantiam substantiæ, quæ subjectum est hujus Luminis, aut medium, quo id, sive per reflexionem sive per refractionem, Terris allapsum est, determinari illa mensura satis justa per parallaxin non potest; præcipue ob ambiguum ipsius terminum, qui obstitit, quo minus accurate ad stellas fixas diversis noctis horis, diversisque Terræ locis compararetur: eam tamen ingentem esse, ex circumstantia motus diurni 24 horarum, quo sidera æmulabatur, cognoscere licuit. In communi enim Hypothesi, quæ venti rabies toto mense per aerem materiam hanc citra dissipationem propellere posset, tanto cum impetu, quali uno die totam Terram circumivit, talique ordine, ut eadem perpetuo sidera respiceret? Et in Copernicæa, qua vi illa motui Sphæræ elementaris diurno ab occidente in orientem continue reniteretur, ut neque abriperetur, neque dissiparetur? Necesse ergo est fateri, materiam hanc esse supra Sphæram elementarem, & consequenter in Æthere. Pensato etiam motu ejus proprio nimis exili, eam longissime versus regionem Fixarum elevatam esse, supponere cogemur.

Non abs re Veteres, illos Planetarum versus Fixas magis elevari judicarunt, qui harum motui communi propiores essent, propriique motus minus haberent. Nec alia ipsis ratio, Saturnum super omnes

TAB. VII. ad A. 1683. pag. 281.



omnes reliquos Planetas evehendi & infra hunc Jovem collocandi, de quo nemini Aſtronomorum deinceps plus 20 aut 30 ſeculis fuit dubium.

Iidem ipſi circa hoc confirmati ſunt novis hypotheſibus, quæ phænomenis motus illorum repræſentandis inſerviunt, utut inter ſe differant, ſibique invicem alicubi adverſentur, ut Copernicæa Tychonicæ & Ptolemaicæ. Harum quælibet ordinem Planetarum ſuperiorum Veteribus ſtatutum, per principia ſibi propria demonſtrat, cum impoſſibile ſit, independenter hoc a quaque hypotheſi facere: duobus iſtis Planetis parallaxin ſenſibilem, ob exiguam inter Terræ & circuli ipſorum Diametros proportionem, non habentibus.

Non incongrua igitur ratione novorum objectorum ſitus in mundo, ex comparatione eorundem motus ad motum corporum nobis cognitorum determinatur: qualia per obſervationes Aſtronomorum, diverſis diſtantiis, ſecundum differentes gradus velocitatis apparentis, ſunt diſpoſita.

Figuram luminis hujus, quod anno 1683 a d. 10 Martii ad finem Aprilis, obſervatum eſt, nec non illius, quod anno 1668 comparuit, exhibet Tabula præſens. TAB. VII.

OLAI BORRICHII DISSERTATIONES

Academicæ de Poetis, publicis diſputationibus in Regio Hafnienſi Lyceo aſſertæ.

Francofurti Anno 1683. in 4.

ILluſtre jamdudum inter ſeculi hujus Medicos Chymicosque nomen eſt *Olaus Borrichius*, Danus, ex quo diſſertationem illam longe eruditiſſimam *de ortu & progreſſu chemiæ, Hermetii item ſapientiam a Conringianis animadverſionibus vindicatam*, & *docimaſticen metallicam* in lucem evulgavit. Sed poſteaquam tractatum *de lingua pharmacopœorum, de cauſis diverſitatis linguarum, ætatibusque latinæ linguæ*, fætusque id genus plures in orbem emiſit literarium, infinitæ lectionis, judiciique acerrimi philologus, criticus ac polyhiſtor abs nemine non fuit agnitus atque deprædicatus; quemadmodum & in tractatibus illis chemicis, non oculatiſſimum tantum arcanorum chemicorum indagatorem, ſed & floridiſſimæ latinitatis ſcriptorem le-

gentibus omnibus sese prodidit. Sed luculentissime idipsum nunc patet ex dissertationibus ejus academicis, in academia Hafniensi ab anno 1676 ad annum 1681 assertis publice, & hoc anno iterum evulgatis. Nam in hisce poetas Græcos atque Latinos, atque ex his quidem illustriores percensct omnes, & quid in illis palmam censoriamve mereatur virgulam, accurate discernit, candideque edisserit. Dissertationibus præmittitur præfatio ad lectorem, in qua nonnulla excerpit ex iis, quæ ante plures annos de epopœia Aristotelica docuerat publice. Ostendit autem Aristotelem jus epicæ poeseos nimis arctis circumscripsisse limitibus, pennasque adeo liberioris alioquin spiritus poetici plus justo circumcidisse, dum dictitavit, poetæ epico canendam esse actionem unam, & quidem, non quæ vere gesta sit, sed quæ fieri & quomodo fieri possit. Hujus enim legibus si sit standum, innumeros poetas e censu poetarum morose excludendos fore, qui vel unius principis vel plurium facinora præclara, sed varia simul enarrarint; nullam etiam historiam Biblicam, nec quicquam eorum, quæ vere contigerunt, argumenti esse epici &c. Liberiorem itaque epico campum permittendum existimat Borrichius, *Aristotelem non esse normam rerum aut artium, sed illum ipsum ad normam quoque redigendum*, asserens.

Dissertationes ipsæ in universum sunt septem, quarum duæ priores in Græcis, posteriores quinque in Latinis poetis percensendis sunt occupatæ. Ac in prioribus quidem, postquam autor artis poeticæ incunabula, multiplicemque ejus usum diserte, ut solet, expositi, poetas Græcos in certos digerit ordines, epicos scilicet, elegiacos, lyricos, (quibus dithyrambicos etiam & jambicos annectit,) & dramaticos seu tragicos & comicos. Recensct autem Græcos tantum, non alibi etiam natos, qui Græco idiomate poemata condiderunt, quod in *Italica sua Poetarum Græcorum Historia* Neapoli Anno 1678 in fol. edita *Laurentius Crassus* Baro de Pianura præstitit; & recensct quidem secundum seriem ætatis temporumque, quibus floruerunt, cursum, editiones ubique illorum atque interpretes coindicans, & versus ex iisdem aliquot, ut ex ungue cognosci leo possit, subjungens. In Latinis autem poetis recensendis ordinem potius ætatis, quam classium peculiarium intuetur, eo quod plures Latinorum in genere versuum mixto versentur, atque adeo ad varias pertineant classes, vatumque

tumque insuper lyricorum, tragicorum, comicorum apud Latinos rarior, epicorum autem atque elegiacorum longe densissima sit nubes. Incipit autem a Livio Andronico, qui A. U. C. DXIV floruit, poetasque ab ejus tempore omnes, qui quidem clarioris præter cæteros sunt nominis, ad initia usque seculi post C. N. XIV enumerat, accuratum circa omnes Tarpam atque Aristarchum agens, nec editiones tantum optimas significans, sed & gemmas ex illis nonnullas assuens, ut velut ex fimbria de texto reliquo judicare cuivis liceat. Ad ea autem tempora dum evagatus est Borrichius, nec barbaros illos & lutulentos, ut sic dicam, poetas præterire sicco pede sustinuit. Erat enim tum poesis fœdis barbarismis squalida, leoninorum versuum crepitaculis horrida, imo & legis pediæ, colorisque poetici, certe majestatis prisæ plane immemor. Sed mitiora spirare cœpit, postquam circa medium seculi XIV Franciscus Petrarcha, Florentinus, inclaruit. Hic enim cum barbara adhuc tempestate illa epico carmini admovisset manum, poetas ævi sui omnes longissimo post se reliquit intervallo. Cujus vestigia cum infiniti propemodum ad nostra usque tempora sint secuti, Borrichius selectiores dissertationibus reliquis recenset, non temporum amplius, quibus floruere, seriem, sed ordinem alphabeticum, ut promtius quærenti inveniantur, sequens. Auspicatur autem ab Italis, ut apud quos luxhæc primum & nata & propagata est; deinde ad Gallos divertit stylum, paucisque deinde Hispanis & Lusitanis enarratis (nam illi & in hoc genere pauciores deprehenduntur & rarius illorum ad nos opera transferuntur) Germaniæ Latinos centum & viginti quatuor admodum longo ordine enarrat, eosque clariores tantum & melioris præ cæteris notæ. Nam poetarum in Germania, si usquam, largissima est seges; quemadmodum & ipse Borrichius hic loci scribit, in sola bibliotheca regis Daniæ centum & plures numerari Germaniæ poetas, a se hic non attactos. Germanos poetas excipiunt Belgæ, hos Angli & Scoti, qui quidem ad Borrichii notitiam pervenere. Nam & vatum in regno illo est affatim, ex una siquidem academia Oxoniensi reditum Carolo regi centum admodum sunt gratulati, nec pauciores morienti principi Henrico, germano regis, ut & nuptiis regiis cum Catharina Lusitana, referente Borrichio, assurrexere. Tandem ex vicinia, Borussia videlicet & Polonia, paucos cum attulisset justisque laudibus exornasset,

Paſtorium putz, Sarbievium, Dachium, Vincentium Fabricium, Titium &c. ad Danos ſuos cenſor delabitur, omiſiſque priſcis intra ſuam, patrum, & avorum ſubinde memoriam ſe continet. Attingit autem & hic celebriores tantum, & quod ſolenne ejus fuit per omnes diſſertationes, floſculos ex illis amœniſſimos, ut totus exinde æſtimari hortus poſſit, interſpergit; & quemadmodum vernaculos quoque poetas illuſtriores Italorum, Gallorum, Hiſpanorum, Luſitanorum, Germanorum, Belgarum, Anglorum & Scotorum, poſt Latinos recenſitos, nuſſibi tacuit, ita vernaculos quoque Daniæ ſuæ vates, imo & poetrias clariſſimas, quod & alibi factitavit, immortalitati in hoc libro conſecravit. Sed cum inter poetas Daniæ Latinos duo *Borrichii, Claudius & Petrus*, velut ſtellæ effulgeant, his meritiſſimo ſuo adjungendus venit hic *Olaus Borrichius*, quippe qui non in cenſura tantum poetarum, ſed & in carmine pangendo vix quenquam habet ſuperiorem. Poeſeos haut trivialis documento vel ſola eſſe poteſt elegia ad poetas, quorum nomina in hoc libro attinguntur, directa; brevis illa quidem, ſed terſa, vivida, & ab ipſo Phœbo dictitata, quæque reliqua ejus argumenti varii poemata, intra Veſtæ ſacrarium adhuc delitentia, impatienter ſitire nos facit. Sed commodum ſe nobis offert *Thomas Bartholinus*, Danus, isque uti medicus, ita & poeta optimus, qui præclarum illud de cive ſuo in tractatu *de Medicis poetis* perhibet teſtimonium: *Olaus Borrichius, medicus regius & academicus, ſecundas in poemate partes jure & eruditi orbis confeſſione occupavit, ne primas dicam. Penetraſſe eum in artis poeticæ arcana Parnaſſus in nuce editus fidem facit, in quo Smetii, Gloneri, Riccioli, Cavalli aliorumque induſtriam accurate ſuperavit. Auguſto deinde poemate auguſtiſſimo regi Friderico III publico Academiæ nomine gratulatus eſt, & in Laboratorio Borrichiano deſcribendo, oculorumque operatione decantanda, firmam facilitatem oſtendit.*

PETRI MULLERI JC. JURISPRUDENTIA Elementaris ad ordinem inſtitutionum Imperialium directa, & 53. diſputationibus ventilata.

Jenæ, 1683. in 4.

QVi jamdudum, editis pluribus diſſertationibus Juridicis omnigenam Jurisprudentiam ſpirantibus, inclaruit Autor Conſultiſſimus,

nus, ante annos aliquot munere Professorio in Academia Salana ornatus, operam dedit, ut officio huic suo non cum dedecore fungeretur, sed Juventutem sibi concreditam ad sacram Themidem via quasi regia duceret. Qua propter cum initio Professuram Juris extraordinariam accepisset, *titulum ultimum ff. de Regulis Juris antiqui*, non solum legendo, sed etiam 40 Disputationibus publicis expositum absolvit: Posteaquam vero ordinaria Institionum Professio ipsi obtigisset, suarum partium esse existimavit, disputatoriis exercitiis studiosam pubem exercere, ut alacrior & diligentior quisque in evolvenda una alterave controversia evaderet. Tali igitur forma opusculum edere ipsi placuit, ut esset totius legitimæ scientiæ compendium, propterea etiam titulo Jurisprudentiæ Elementaris insignitum. In quo, ut ipse in præfatione ad Lectorem profitetur, non in solius textus expositione acquievit, sed longe plura quoque comprehendit, ut in tabula quasi conspici possint Legum ænigmata, & quæ in vasti juris libris continentur. Subjunxit etiam disputationibus 53, quibus Jurisprudentiam hanc Elementarem inclusit, quinquagesimam quartam de processu Judiciario agentem, Corollaria itidem, disputationibus singulis antea annexa.

DES OFFICES DE JUDICATURE EN general & c. par Mr. Borjon. A Paris 1682. 12.

De officio Judicis in genere, Autore Dn. Borjonio, Parisiis 1682. 12.

PRofitetur Autor in Præfatione hujus opusculi se istud ex opere magno omnes decisiones Juris Romani, Gallici & Canonici ad usum modernum accommodatas continente collegisse: Et quidem, addit, præter hunc tractatum se adhuc alios duos ex prædicto opere compilasse, quorum unus agat de *Parochiis*, & de Decimis, Novalibus, Portionibus congruis, Residentia, Tributis, Juribus Parochialibus, Rationibus, Sepulturis, Domibus Parochialibus, Patronis, Juribus honorariis, Fundationibus, Proclamationibus, Baptismo, Accidentiis, Aqua benedicta, Exequiis, & omnibus iis,

quæ Parochis scitu sunt necessaria, tractet; alter vero *Officia Ecclesiastica* explicet, puta Legatorum, Delegatorum & Subdelegatorum, Officialis seu Judicis Ecclesiastici, Officialis Metropolitani & Primatis, Promotorum, Concionatorum, Inquisitorum Fidei, Fabricatorum, Custodum, Syndicorum & Procuratorum Cleri: Se confeciſſe insuper Indicem omnium materiarum in isto magno Opere contentarum. Ipsum vero hoc Opus elaboratum esse spatio sesquisæculari & compositum ex pluribus Codicibus in Folio; hos inter Jus Romanum & Edicta Regum Galliæ duorū saltem Voluminum numerum adimplere, ac adeo facile de labore a Compilatore impenso constare. Cæterum quod præsentem tractatum attinet, complectitur ille 454 theses succinctas pariter ac perspicuas, in quibus Autor generaliter ea, quæ ad ætatem, vocationes, inquisitiones, examen, receptiones, salaria, pensionem annuam, præcedentiam, sessionem, inhabilitatem, negligentiam, recusationes, abdicationes, depositiones officialium judicialium totius regni pertinent, exponit, & Lectorem tum ad varia edicta Regum, tum ad Jureconsultos Galliæ, potissimum autem ad Rocheflavineum de Parlamentis, & Loeseum de officiis hereditariis remittit.

FRANCISCI SADARINI JCti Mediolanensis Responsa cum Rebus judicatis.

Bononiæ, 1681. in fol.

Qui hodie ad Jus Civile appellunt animum, duobus iisque diversis plane itineribus incedunt. Plerique eorum, ubi Grammaticorum atque Rhetorum præceptis utcunque tincti sunt, mox leviter gustatis Dialecticæ principiis, cæteris autem Philosophiæ partibus ne a limine quidem salutatis, nulla antiquitatis cognitione, nulla Græcæ linguæ notitia instructi, Icario prorsus ausu Jurisprudentiæ cœlo sese credunt, ac tum demum in magnos Justitiæ Sacerdotes evasisse putant, quum multarum legum non intellectarum farraginem uno spiritu citare, ac crudis suis studiis in forum propulsis, Judicum cancellis obstrepere, miserorumque clientum marsupia evacuare didicerunt. Quemadmodum vero hæc inania fori tintinabula & clamosi

rabulæ

rabulæ non nisi in Sapientiæ Civilis opprobrium & ferendis ex lite litibus nati factique videntur: ita illi e contrario veram non simulatam Jurisprudentiam affectare censendi sunt, qui politiori literatura & Philosophiæ sacris probe imbuti, Jus Civile ad altiora & superiora principia revocant, neque vel Ulpiano, vel Paulo, vel Papiniano, vel ipsi denique Justiniano tam cœco assensu blandiuntur, ut non identidem ad naturalia recurrant præcepta, ipsosque adeo fontes limpidissimos, e quibus amplissima illa Juris Civilis flumina in omnem fere orbem Europæum dimanarunt, invisant. Cum enim Jus Romanum arbitrarium, perinde ac alia Jura quævis positiva, in his, quæ ἐπὶ τὸ πλεῖστον accidunt, constitutum sit, adeoque varia in eo deprehendantur ἐλλείμματα, nemo rectius utiq; ac felicius, cum perorandis tum dijudicandis causis præesse poterit, quam qui solidiori Philosophiæ, Practicæ cumprimis, apparatu succinctus, istos legũ arbitrariarũ defectus commoda interpretatione supplere, & quid justum, quid utile Reipublicæ, pariter ac privatæ, sit, ubivis dispicere, verasque juris & æqui causas ac fundamenta inquirere novit. Sane hac ipsa de re jam pridem æterna laudum præmia meruerunt viri summi, Guilielmus Budæus, Andreas Alciatus, Franciscus Hotomannus, Andreas Tiraquellus, Barnabas Brissonius, M. Antonius Muretus, Jacobus Cujacius, Franciscus de Victoria, Didacus Covarruvias, Ferdinandus Vazquez, aliique, qui superiori seculo primi omnium nobilissimum Juris Civilis studium connubio longe auspicatissimo partim cum elegantioribus Musis & Græcarum æque Romanarum antiquitatum peritia, partim vera Juris æterni Philosophia maritarunt. Hos eadem nominis non intermoritura fama inter nostrates secuti sunt Hubertus Giphanius, Conradus Rittershusius, Udalricus Zasius, Bachovius, Sutholdus aliique celeberrimi JCti, quorũ doctissima solertissimi ingenii monimenta passim adhuc veneratur orbis eruditus. Quibus veris ac gravibus, veterumque illorum simillimis Justitiæ mystagogis meritissimo jure accensendus etiam est SADARINUS noster, quippe qui in his ipsis quinquaginta Responsi usque ostendit, quantum adjumenti juxta ac ornamenti Juridicinæ ferat humaniorum literarum & sanioris Philosophiæ cultus. Neque enim in iis solum causas arduas ad stateram domestici ac Romani Juris accurate expendit, sed etiam rationes legum civilium morales solerter passim indagat, nonnunquam vero defectus

earum

carum & rigorem, ubi ab universali recedunt, petitis e Practica Philosophia subsidiis, supplet ac emollit, nec raro ad auctoritates & testimonia veteris Græciæ atque Latii Sapientum provocat: Plane ad eorum exemplum, quorum responsa Pandectis inserta sunt, qui in decidendis ac definiendis quæstionibus hinc & inde Aristotelis, Ciceronis, Chrysippi, Demosthenis, Draconis, Hippocratis, Homeri, Platonis, Solonis, Xenophontis aliorumque meminerunt. His gravioribus atque seriis dulcia ubique maxima cum jucunditate miscet, qualia sunt, quæ de bibliopolis, bibliothecis, libris, de typographia, typographis atque charta Resp. X, de hasta fiscali, ejus origine & significatione Resp. XIII, de delatoribus & quæstoribus Resp. XIV & XV, ac de ludo chartularum ac alea Resp. L, erudite non minus ac copiose disserit. Ad calcem adjecta sunt Responsa duo, unum *Picenardi*, senatus Mediolanensium Præsidis, alterum *Sertorii*, Senatoris & Advocati Fiscalis, quorum, perinde ac aliorum argumenta, præmissus in fronte libri catalogus sincere exhibet. Coronidis locum occupat alius rerum locupletissimus index.

CLAUDII COLUMBET SENATORIS Paratitla Digestorum,

Parisiis, 1682. in 12.

HOc, quod ordinem Digestorum examussim servat, opusculum, *a CL. Columbeto*, quem summa Juris peritia, patrocinante perpetuo literatorum Mæcenate, purpurato Richelio, ad senatorium munus in principe Galliarum curia quondam evexerat, in usum cupidæ legum juventutis fuit compositum. Quod cum per plurium manus atque calamos volitans, a typographo quodam lucri avido mendis ac erroribus inquinatissimum evulgaretur, ipse mox Auctor autographum ad Franciscum Cottinum, Anteccessorem Parisiensem misit, curis secundis subjiciendum. Jamque in eo erat Columbetus, ut opus viri doctissimi manibus perpolitum ac elimatum luci committeret, cum denuo nova editio ex alio corruptissimo exemplari prodiret in publicum. Hinc tertia vice hic libellus prelo subjectus & ex Cottini aliisque MSS. locupletior redditus est, qui tamen, præteritis jure patrio & consuetudinibus Gallorum propriis, non nisi placita juris Romani pandit.

THEO-

THEOPHILI ANTECESSORIS

Institutionum Libri quatuor ex Jacobi Curtii latina interpretatione cum notis ac animadversionibus JO. DOUJATII, Antecessorum Parisiensium & Regiorum Professorum primicerii.

Parisiis 1681. in 12.

QUo seculo floruerit Græcus ille, isque doctissimus Imperialium Institutionum paraphrastes, quem plerique Theophilum, alii cum Cujacio Theophilizem appellitant, non una omnium est sententia. Haud defuerunt enim, qui eum Justiniano fecere σύγχρονον, nec alium ab eo putarunt esse, quam qui in proœmio Institutionum, & præfatione de Confirmatione Digestorum secunda, nec non Constitutione de novo Codice faciendo ipsimet imperatori memoratur. Sed hanc opinionem errorem longe maximum jam suo tempore vocavit celebratissimum inter JCtos nomen, Carolus Annibal Fabrotus, qui hunc Theophilum Justiniano multo juniorem, antiquiorem vero auctore Basilicorum fuisse, & præter hanc elegantissimam paraphrasin, plures eruditissimi ingenii fœtus, qui tamen injuria temporum perierint, reliquisse, adductis in medium aliquot non levis momenti argumentis, censuit. Quod si hoc veri aliquid habet, delituit hic fidelissimus interpres, & cum blattis ac tineis per sexcentos annos colluctatus est, donec eum superiori seculo profligata barbarie, quæ spississimæ noctis instar bonis literis tenus hac incubuerat, e tenebris protractum, luci primus redderet non vulgaris doctrinæ JCtus, *Viglius Zuichemus*, qui textum Theophili Græcum Basileæ in folio minoris formæ A. 1534 excusum, cum prolixa præfatione ad augustissimum Cæsarem, Carolum V. publici juris fecit. Haud multo post hunc ipsum optimæ notæ auctorem ore latino loqui fecit *Jacobus Curtius*, JCtus Brugensis, quam versionem deinde A. 1587 *Dionysius Gothofredus* cum græco textu & Justiniani verbis conjunxit. Hujus industriam secutus *Carolus Annibal Fabrotus* novam plane editionem molitus est, in qua non modo ductu trium librorum veterum, e Regia Bibliotheca acceptorum, Græcum Viglii exemplar multis in locis emendavit, sed latinam quoque interpretationem textui authentico re-

ſpondentem, additis quibusdam ſcholiis, concinnavit. Cum vero hæ & aliæ Theophili editiones vix amplius proſtarent publice venales, hinc non immerito ſuarum partium judicavit eſſe primarius in regia Pariſienſium academia Antecеſſor, JO. DOUJATIUS, ut hic longe utiliſſimus liber, in ſingulare Studioſorum Juris emolumentum, denuo luci publicæ, dempto tamen textu græco, exponeretur. In quo quid præſtiterit vir clariſſimus, en! ipſis ejusdem verbis accipe: *Interpretationem* (Curtianam) *ubi opus videbatur, correxit; opus ipſum tum ſelectis VV. CLL. JACOBI CUJACII & CAR. ANN. FABROTI, tum ſuis notis illuſtravit, auctoris errores appictis ad marginem aſteriſcis indicavit, initium ac ſummam cujusque paragraphi, quo facilius hæc interpretatio cum inſtitutionum textu comparari poſſet, ad latus adjunxit, & paraphraſin a mera verſione diſtinxit.*

Succincta HISTORIOLA
De tribus Conjunctionibus magnis, Saturni ſcilicet, Jovis, nec non Martis,
GEDANI,

Exeunte Anno 1682, & initio Anni 1683, ad 28 Majiſt. n. uſque

a

JOHANNE HEVELIO,

obſervatis.

Ex epiſtola illuſtris hujus Viri Lipſiam transmiſſa.

MEnſe Septembri anni præcedentis 1682, cum cometa ſeſe oculis noſtris prorſus ſubduxiſſet, cœpi tres ſuperiores planetas Saturnum, Jovem, & Martem, qui haud multum ab invicem diſtabant, atque ad conjunctionem vergebant, aliquanto crebrius & diligentius, a die ſcilicet 17 Sept. novo noſtro ſextante orichalcico, per plurimas diſtantias a diverſiſſimis fixis, quandoque etiam micrometro, quando fieri potuit, dimetiri; ut ſuo tempore ipſæ obſervationes docebunt. Hac vice ſolummodo Tibi, Vir Præclariſſime, in gratiam Aſtrophilorum primum referam, quid die 27 Sept. ſt. n. a me peractum ſit; eo præſertim attento, quod nonnulli ſpem feciſſent ea ipſa die, Lunam corniculatam decreſcentem omnes tres modo dictos

planetas

planetas omnino tecturam; quæ occultationes ut rarissime, & quidem simul una eademque die accidunt, sic sane merentur observari a quibusvis rerum cœlestium scrutatoribus. Quare & ego officio meo nolui decesse; sed summo mane, ab hora secunda, ad solis occasum diligenter his congressibus invigilavi: & utut hæ occultationes de die inciderent, speraſſem tamen me optime omnia notaturum; sed cœlum omnino nubilum ab ipso Solis exortu, ad occasum usque id minime indulsit. Mane, hora 3 cœlo aliquanto sereniori, lunam, tum tres reliquos planetas nudo quidem conspexi oculo; sed luna eo tempore adhuc ad septem circiter gradus removebatur s. f. f. occasum versus; unde certo concludere poteram, ante meridiem lunam motu suo reliquos tres planetas haud assecuturam. Quantum autem ex inclinatione cornuum Lunæ quoad planetarum ductum colligere licuit, protinus perspiciebam, nullas fore occultationes, sed tantum transitus; sic ut luna infra illos superiores planetas incederet. In qua opinione magis magisque etiam sum confirmatus: cum die subsequente 28 sc. Sept. mane, nec Regulus fuerit a Luna tectus, quæ stella, tatione utriusque latitudinis, potius occultari debuisset. Regulus namque in ipsa conjunctione, hora sc. 4. 6′ distabat a superiori Lunæ cornu Boream versus adhuc 31′. 55″; id quod optimo micrometro, tuboque egregio accurate observatum est: adeo ut nulla prorsus fuerit occultatio Reguli, sed tantummodo lunæ transitus. Ita pariter accidit die 25 Octob. circa illas occultationes, quas nonnulli prædixerant. Nam Jupiter & Saturnus; nec non Mars die 26 Octob. st.n. minime fuerunt a Luna obtecti; sed Luna satis longe infra planetas incessit: quot vero minutis præcise tempore conjunctionis a planetis abfuerit, cœlum subnubilum adeo accurate micrometro dimetiri minime tum concessit. Situm tamen Jovis & Saturni hac die, 26 hora sc. 1. 40′, mane tubo & micrometro dicto ex voto deprehendere mihi obtigit: quo tempore simul fixa quædam satis conspicua (quod notatu dignum) dictis planetis satis prope adhærebat. Jupiter sese cum tribus comitibus tum offerebat, forte & quartus adfuit, sed ob nubeculas haud fuit conspectus. Saturnus distabat a Jove 16′. 44″, Jupiter a stella (nisi fallor in armo dextro Leonis) 27′. 55″; rursus Saturnus a dicta stella 38′. 1″. Stella dicta versatur modo juxta nostrum Catalogum in 19°. 2′. 9″ Leonis cum latit. 0°. 20′. 45″ B.

Die Veneris 30 Octob. mane hora 5 rursus Jovis & Saturni distantiam dimensus sum; ea nimirum spe (cum secundum Ephemerides conjunctio adhuc instaret, atque 3 Novembr. celebrari primum deberet) me jam Jovem aliquanto propiorem Saturno inventurum; sed eadem plane sum frustratus. Siquidem distantia dicta, quæ die 26 Octobr. 16′.44″, hac die 25′.5″ extitit, atque sic notabiliter major reperta est. Unde certo colligere licuit, conjunctionem jam ante complures dies celebratam esse, quam Ephemerides, calculusque demum die 3 Novembr. exhibent. Id quod subsequentes observationes adhuc clarius demonstrant. Nam distantia Jovis & Saturni, quæ de die in diem (conjunctione instante) paulatim minor fieri debebat, continuo aucta est. Die Solis 1 Nov. hor. 2. mane, ope micrometri nostri dicta distantia extitit 31′.36″; & die Lunæ 2 Nov. eandem distantiam rursus reperi 35′.21″; Die Martis 3 Nov. mane hora 1, jam 39′.9″; die Mercurii 4 Nov. cœlo perquam sereno adhuc paullo major dicta distantia inter Jovem & Saturnum deprehensa est, sic ut amplius meo micrometro eandem dimetiri haud potuerim, sed sextante per distantias eam impetrarim. Ex quibus iterum iterumque satis superque nunc patet, superiores planetas, Ephemeridum computatores, omnemque calculum egregie elusisse, conjunctionemque magnam non die 3 Nov. sed longe citius incidisse; sic ut tabulæ omnes seria correctione, etiam in superioribus planetis (uti jam olim in Mercurio meo sufficienter demonstravi) indigeant: quemadmodum adhuc clarius ex subsequentibus horum planetarum congressibus patebit.

Alteram igitur conjunctionem magnam quod attinet, quæ incidere debebat secundum Ephemeridum scriptores die 26 Januarii hujus anni currentis 1683, eam pariter proposueram diligentissime observare, imprimis cum vidissem adeo enormiter conjunctionem hanc priorem a calculo recessisse; Sed cœlum frequenter nubilum impedivit, ut a 21 Januarii ad 1 Febr. usque, ne semel quidem planetas intueri potuerim. Hincque ab hac die avidissime incepi conjunctioni huic rursus invigilare, quæ altera nunc vice ex retrogressionibus horum planetarum superiorum incidere debebat. Omnes autem & singulas observationes tam sextante, quam micrometro egregie habitas, cum nimis longum foret, Amice honorande, hic apponere, hac vice non consultum esse duco, sed eas reservabo in annum mearum observationum

vationum climactericum propediem edendum. Quare nonnullas tantum & præcipuas micrometro habitas hic apponam, quæ sufficere huic Historiolæ de trina hac notabili conjunctione magna videbuntur.

Mens. Dies ſt. n.	Tempus ex altit. corr. Hor. / . //	Anno 1683. Obſervationes Saturni & Jovis	Diſtantiæ. o / //	Inſtrumentum.
Febr. 1 die Lunæ veſp.	6 40 0	Diſt. Satur. & Jovis inventa eſt 3300 partium; hoc eſt	0 25 5	Microm.
Febr. 2 die Mart. veſp.	9 30 0	Diſt. Satur. & Jovis inventa eſt 2900 partium; hoc eſt	0 22 3	Microm.
Febr. 3 die Ven. veſp.	9 0 0	Diſt. Satur. & Jovis inventa eſt 2500 partium; hoc eſt	0 19 0	Microm.
Febr. 4 die Jovis veſp.	10 0 0	Diſt. Satur. & Jov. inventa eſt 2300 partium; hoc eſt	0 17 29	Microm.
Febr. 5 die Ven. veſp.	8 30 0	Diſt. Satur. & Jovis inventa eſt 2100 partium; hoc eſt	0 15 58	Microm.
Febr. 6 die Satur. veſ.	7 51 0	Diſt. Satur. & Jovis inventa eſt 1850 partium; hoc eſt	0 14 6	Microm.
Febr. 7 die Solis veſp.	8 17 19	Diſt. Satur. & Jovis inventa eſt 1700 partium; hoc eſt	0 12 55	Microm.
Febr. 8 die Lunæ veſp.	6 10 0	Diſt. Satur. & Jovis inventa eſt 1600 partium; hoc eſt	0 12 10	Microm.

Die 9 Febr. veſp. hor. 9. 6. 0″ cœlum omnino nubium extitit; nihilominus tamen ſemel planetas tubo conſpexi per dehiſcentes denſiſſimas nubes; ſed tantum temporis non concedebatur, ut debite micrometro diſtantiam Saturni & Jovis dimetiri potuerim; oculo tamen fugitivo deprehendebam Conjunctionem ipſam jam celebratam eſſe nocte præcedente inter 8 & 9 Febr. Nam dicta diſtantia jam paullo amplior modo apparebat. Prout etiam die Jovis 11 Febr. veſp. hor. 9. 6. 0″ factum eſt: nam diſtantia inter Saturnum & Jovem erat partium 2000, hoc eſt 0°. 15′. 12″, micrometro, quæ die 8 Febr. tantum inventa eſt 0′. 12′. 10″.

Adhæc conjunctionem jam eſſe celebratam, exinde certo conſta-

bat, quod uterque planeta cum ventre ursæ majoris non amplius, ut quidem die 8 Febr. contingebat, in linea subsisteret recta; tum etiam quod Saturnus non amplius ad orbitam Jovialium sub angulo recto commoraretur. Manifestum igitur est, etiam hanc conjunctionem magnam intermediam omnes supputatores, calculosque egregie elusisse: tum illos qui conjunctionem hanc ad diem 27 Januarii; tum etiam eos, qui ad 2 Febr. retulerunt: priores ad 12 fere dies, & posteriores minimum ad 4 vel 5 dies aberrarunt. Sic ut certum sit, quod hæc intermedia conjunctio longe tardius; illa vero prior longe citius contigerit, quam Tabulæ revera promiserunt. Quamobrem omnimode allaborandum omnibus rerum cœlestium cultoribus, ut ab istis maximis deviationibus tabulæ astronomicæ tandem depurgentur.

Quo autem hoc ipsum eo evidentius redderetur, observationes singulis diebus subsequentibus, quoties cœlum tantummodo annuit, diligentissime continuavi, non solum micrometro, sed etiam sextante, diversissimis distantiis a plurimis fixis captis; verum ex iis tantummodo nonnullas micrometro acquisitas hic apponam.

Mens. dies st. novi.	Tempus ex altit. corr. hor. / //	Anno 1683 Observationes Saturni & Jovis	Distantiæ o / //	Instrumentum
Febr. 12 die Ven. vesp.	9 0 0	Distant. Satur. & Jovis capta est 2200 partium; h. e.	0 17 6	Microm.
Febr. 13 die Satur. vesp.	7 15 0	Distant. Satur. & Jovis capta est 2550 partium; hoc est	0 19 24	Microm.
Febr. 14 die Solis vesp.	6 0 0	Distant. Satur. & Jovis capta est 2900 partium; hoc est	0 22 3	Microm.
Febr. 17 die Merc. vesp.	6 0 0	Distant. Satur. & Jov. capta est 3750 partium; hoc est	0 28 30	Microm.
Feb. 20 die Satur. vesp.	9 0 0	Distant. Satur. & Jovis capta est 5250 partium; hoc est	0 30 12	Microm.

Ex hisce igitur continuatis observationibus satis superque liquet, cum de die in diem planetæ ab invicem magis magisque discesserint, quod conjunctio ipsa inter 8 & 9 Febr. revera jam fuerit celebrata.

Ab hoc vero tempore die 20 Febr. distantiam horum planetarum micrometro non amplius, ob nimiam eorum remotionem potui observare; nihilominus tamen singulis diebus sextante iis invigilavi: quo eorum locus postmodum cuique pateret, & ubinam, & qua die stationem celebraverint. Quas omnes suo tempore cuique sub oculos ponam, cum aliis notatu dignis observationibus, aliorumque omnium Planetarum, post II partem Machinæ meæ cœlestis obtentis.

Denique adjiciendum pariter censeo Astrophilorum gratiæ, quidnam circa tertiam eorum conjunctionem, mense Majo observaverim: ut eo promptius eliciam, quid in Italia, Gallia & Anglia ab Amicis, hocce in negotio detectum sit; & ut videas, mi Amice, Saturnum & Jovem a legibus Astronomorum, etiam tertia vice, quam longissime discessisse: inprimis cum cœlum ipsum mihi hic Gedani ex voto satis annuerit. Sed solummodo ab octavo Maij incipiam, ubi primum micrometro distantias superiorum planetarum dimetiri concessum fuit.

Mens. dies st. n.	Temp. sec. hor. amb. Hor. / //	Anno 1683. Observationes Saturni & Jovis	Distantiæ ○ / //	Instrumentum.
Maji 8 die Sat. vesp.	9 6 0	Dist. Satur. & Jovis inventa est 4300 partium; hoc est	0 32 41	Microm.
Maji 10 die Lun. vesp.	9 14 0	Dist. Satur. & Jovis inventa est 3750 partium; hoc est	0 28 30	Microm.
Maji 11 die Mart. vesp.	9 10 0	Dist. Satur. & Jovis inventa est 3450 partium; hoc est	0 26 13	Microm.
Maji 12 die Merc. vesp.	8 45 0	Dist. Satur. & Jovis inventa est 3050 partium; hoc est	0 23 10	Microm.
Maji 13 die Jovis vesp.	9 15 0	Dist. Satur. & Jovis inventa est 2800 partium; hoc est	0 21 17	Microm.
Maji 14 die Ven. vesp.	9 45 0	Dist. Satur. & Jovis inventa est 2550 partium; hoc est	0 19 23	Microm.
Maji 15 die Sat. vesp.	9 30 0	Dist. Satur. & Jovis inventa est 2400 partium; hoc est	0 18 15	Microm.
Maji 16 die Solis vesp.	9 30 0	Dist. Satur. & Jovis inventa est 2250 partium; hoc est	0 17 6	Microm.

Mens.

Menſ. dies ſt.n.	Temp.ſec. hor. amb. Hor. / //	Anno 1683 Obſervationes Saturni & Jovis	Diſtantiæ o / //	Inſtrumentum.
Maji 17 die Lun. veſp.	9 40 0	Diſt. Satur. & Jovis inventa eſt 2150 partium; hoc eſt	0 16 10	Microm.
Maji 18 die Mart. veſp.	10 0 0	Diſt. Satur. & Jovis inventa eſt 2100 partium; hoc eſt Hac die extitit vera conjunctio	0 15 5 8	Microm.
Maji 20 die Jovis veſp.	11 45 0	Diſt. Satur. & Jovis inventa eſt 2450 partium; hoc eſt	0 18 37	Microm.
Maji 21 die Ven. veſp.	9 15 0	Diſt. Satur. & Jovis inventa eſt 2650 partium; hoc eſt	0 20 9	Microm.
Maji 22 die Sat. veſp.	9 20 0	Diſt. Satur. & Jovis inventa eſt 2900 partium; hoc eſt	0 22 3	Microm.
Maji 23 die Solis veſp.	9 5 0	Diſt. Satur. & Jovis inventa eſt 3250 partium; hoc eſt	0 24 43	Microm.
Maji 24 die Lun. veſp.	10 6 0	Diſt. Satur. & Jovis inventa eſt 3600 partium; hoc eſt	0 27 22	Microm
Maji 25 die Mart. veſp.	9 30 0	Diſt. Satur. & Jovis inventa eſt 4000 partium; hoc eſt	0 30 25	Microm.
Maji 26 die Merc. veſp.	11 0 0	Diſt. Satur. & Jovis inventa eſt 4450 partium; hoc eſt	0 33 50	Microm.
Maji 27 die Jovis veſp.	9 25 0	Diſt. Satur. & Jovis inventa eſt 4900 partium; hoc eſt	0 37 15	Microm.
Maji 28 die Ven. veſp.	9 56 0	Diſt. Satur. & Jovis inventa eſt 5325 partium; hoc eſt	0 40 29	Microm.

Ex quibus obſervationibus cuilibet nunc liquidum eſt, cum diſtantia Saturni & Jovis de die in diem continuo decreverit ad 18 Maji, & ab hac die rurſus creverit, conjunctionem horum planetarum eadem ipſa die etiam accidiſſe, & quidem (uti ex obſervationibus diei 15 & 20 Maij patet) hora antemeridiana 10. quæ ſecundum Ephemeridum ſcriptores die 26 primum ingruere debuit. Sic ut hæc tertia & ultima hujus anni conjunctio magna pariter haud mediocriter tabulas eluſerit; ita quidem ut citius ultra 8 integros dies revera contigerit.

De

De cætero, hanc ultimam conjunctionem jam celebratam, die ſc. 18 Maji veſp. hor. 10 fuiſſe, ex eo liquet, quod Saturnus jam non amplius eo tempore ad orbitam Jovialium ſub angulo verſabatur recto; deinde etiam (uti ex ſubſequentium dierum obſervationibus videre eſt,) quod a die 18 Maji ad diem 28, quousque Micrometro diſtantiam Saturni & Jovis dirimere potui, continuo aucta fuit.

Ultimo notandum quoque occurrit, cum die 21 Maji veſp. inter reliquas obſervationes, etiam diſtantiam utriusque Planetæ a ſtella ſuperiori in pede anteriore dextro Urſæ majoris, ſextante obtinuerim, atque eadem dicta ſtella cum utroque Planeta in eadem ſimul fere recta tum conſtiterit linea, quod promptum ſit cuilibet rerum cœleſtium cultori dijudicare, an obſervationes meæ ſextante noſtro novo ſimul obtentæ, cum obſervationibus Micrometro captis omnino etiam conveniant. Sextante diſtantia Jovis a dicta ſtella erat 32 gr. 38 min. 40 ſec. & Saturni 32 gr. 19 min. 45 ſec.; ſic ut genuina utriusque Planetæ diſtantia extiterit 18 min. 55 ſec.; Micrometro vero ea ipſa diſtantia inventa eſt ea ipſa die 21 ſc. Maji, 20 min. 9 ſec.; Sic ut ſextante obtenta 1 min. 14 ſec. minor extiterit. Non eſt autem, mi Amice, ut exiſtimes, hoc vel illo inſtrumento me aberraſſe. Minime profecto: quippe Saturnus & Jupiter cum dicta ſtella non omnino in linea recta ſubſtiterunt; prout cuilibet ex globo & calculo patet, hincque neceſſario illam diſtantiam ſextante derivatam etiam paullo minorem oportuit eſſe. Proinde manifeſtum, ſextantem meum novum, etiamſi priori meo minime ſit comparandus, haud eſſe tamen omnino contemnendum: cum ſatis præciſe etiam Micrometro, ejusmodi ſubtiliſſimo inſtrumento, reſpondeat.

Hæc ſunt, Vir honorande, quæ hac vice de tribus iſtis diverſis conjunctionibus breviter Tibi communicare volui; fuſiora ſuo tempore, ut dixi, exſpectabis. Si quid hujus generis ab aliis rerum cœleſtium ſcrutatoribus etiam impetraveris, rogo ut ea mecum pariter communicare haud graveris. Prima occaſione tibi etiam nonnullas occultationes, ab initio hujus anni currentis hucusque a me ex cœlo impetratas, cum aliis quibusdam rebus, ut puto notatu haud adeo indignis transmittam.

Dabam Gedani, a. 1683, die ipſo Solſtitii æſtivi 21 Junii ſt. n. alto Sole in meridie 59°.7', quadrante quidem parvulo orich. ſed tamen ſatis accurato.

Amice Lector, cum cupido cognoſcendi, quæ circa unam alteramve harum conjunctionum viſa aliis & notata fuerint, Illuſtri Heveſio communis fortaſſe ſit cum cæteris cœleſtium rerum ſcrutatoribus: utrique rem perinde gratam facturos nos arbitrati ſumus, publicatione obſervationis, Nobiliſſimo Dno. D. Godofredo Schulzio Wratislaviæ ſuperiori anno habitæ, nobiſque ſequentibus benevole deſcriptæ, transmiſſæque.

CONJUNCTIO MAGNA SATURNI ET JOVIS,

Quæ accidit menſe Octobr. 1682.

ANno 1682 die 23 Octobr. ſt. n. poſt plures noctes intempeſtas, mane hora 5½ cœlo ſereno, vidi Saturnum & Jovem ſibi invicem adeo appropinquaſſe, ut nudo oculo ægre diſcerni poſſent. Per tubum ſpectatis, ſimul ſe fixa quædam oculo ingerebat, quam ♆ Leonis apud Bayerum eſſe pro comperto habebam. Conſtituebat vero fixa cum Planetis triangulum ſcalenum, obtuſangulum ad Jovem, infra lineam ♆ ♄ (tubus enim invertit) exiſtentem. Perpendiculum ex Jove in lineam ♆ ♄ demiſſum, eam ita dividebat, ut portio inter perpendiculum & Saturnum eſſet partium ejuſmodi trium, qualium portio inter perpendiculum & ♆ erat quatuor. Aliud vero perpendiculum, & ♆ ad lineam ♄ ♐ mente prolongatam, erat fere ſemiſſis diſtantiæ Jovis a Saturno.

Die 24 Octobr. ſt. n. mane hora 2½ inter nubes dehiſcentes aliquandiu rurſus Planetas hoſce contemplari licebat. Erant cum fixa ♆ fere in eadem linea recta, Jovis centro tantillum infra lineam ♆ ♄ exiſtente, ut margine ſuperiori Jupiter hanc quaſi tangeret. Diſtantia Jovis a Saturno ad diſtantiam ♆ ♐ rurſus erat ut 3 ad 4.

Die 25 Octobr. mane hora 2½ rurſus Saturnus, Jupiter, & ♆ efficiebant triangulum ſcalenum obtuſangulum ad Jovem, jam ſupra lineam ♆ ♄ exiſtentem. Diſtabat Jupiter a Saturno tribus taliſmodi partibus, qualium quatuor emetiebantur lineam ♆ ♐: & perpendiculum ex Jove in lineam ♆ ♄ demiſſum æquabat unam iſtiusmodi partem. Porro diſtantia ♆ ♄ tanto ſuperabat diametrum, ſive diſtantiam extremorum cornuum Lunæ, nuper admodum

modum prætergreſſæ, quanta eſt diſtantia *montis Audi, a monte Porphyrite.* Linea ♃ ♄ erat fere horizonti parallela.

Ex his colligo conjunctionem viſam acciditſſe die antecedente, hora matutina tertia præterpropter. Nam cum Jupiter hora 24 diſtiterit una ſui ſemidiametro a linea ♃ ♄, quæ juxta *Hevelium* eſt 9 ſec. circiter; Motus autem horarius Jovis tunc temporis fuerit fere 18 ſecundorum; liquet, ipſam centrorum conjunctionem trium iſtarum corporum cœleſtium acciditſſe ipſa h. 3, quam libens ſpectaſſem, ſi nubes denſæ cœlum paullo poſt obſervationem inſtitutam non penitus texiſſent.

MAUROCENA MEGALOPREPEIA ſeu Mauroceniadum Faſtorum libri decem, in quibus Gentile Sereniſſimæ Domus Maurocenæ hypomnema collectum ab Antonio de Graſſis, J. U. D. Archipresbytero Canonico Cathedralis Clodienſis, Academico Dodoneo.

Venetiis anno 1682, in 8.

Quemadmodum Sereniſſima Venetorum reſpublica millenarii ævi firmitate ſupra tria propemodum jam gaudet ſecula, ita tam veteſtis hodieque ſuffulta eſt familiis, ut ortum ſplendoremque ſuum a ſummotis longe ætatibus, imo ab ipſis urbis incunabulis non difficulter poſſint arceſſere. Has inter cum *Maurocena domus* in hunc uſque diem tanquam pulcherrimum Orionis ſidus effulgeat, Autor ob Mæcenates in ea repertos Poetæ epici ſuſcepit partes, & decem libris *Maurocenorum* res præclariſſimas, easque non ſacras tantum, ſed & in toga & ſago geſtas percenſuit. Originem horum ab antiquiſſimis deducit temporibus, a *Maroniana* videlicet *Virgiliorum* familia, quæ Mantuæ ad annum uſque C. N. 414 floruiſſe, & poſtea, cum Attila, Hunnorum Rex, per Italiam ferro & flammis late graſſaretur, Patavinorum exemplo, in inſulas & æſtuaria maris Adriatici recepiſſe ſe dicitur. Hæc cum Romana non minus, quam Mantuana nobilitate fuerit conſpicua, Tribunatum indepta eſt inter Electores XII, ſeu inter electrices familias primi ducis Anapheſti, honoribusque poſtdeinceps ac dignitatibus in Veneta Republica ſummis, iiſque qua Ec-

cleſiaſticis, quæ Politicis, eminuit. Protulit enim hæc Maurocena domus anno 764 Mauritium, ducem Venetorum VII, a quo *Mauricina*, & tandem *Maurocena*, cum *Maronina* alias veterſto agnomine audiret, appellari cœpit, & anno 768 *Johannem*, ducem VIII, *Mauritii* filium, *Dominicum* item *Maurocenum*, ducem XXXVIII anno 1148, & *Marinum Maurocenum*, ducem XLV anno 1298. Protulit etiam *Thomam Maurocenum*, patriarcham Venetum I, & *Johannem Maurocenum*, patriarcham XV, præter tres Cardinales, tres Epiſcopos Venetos, archiepiſcopatum videlicet antegreſſos, totque Epiſcopos alios diverſis in locis conſtitutos. Dedit etiam reipublicæ Venetæ imperatores bellicos, ſenatores, divi Marci procuratores, legatosque ad reges longe ſplendidiſſimos, quorum omnium res domi foriſque geſtas cum heroico verſu expoſuiſſet autor, tandem ſuæ quoque ætatis *Maurocenos* illuſtriſſimos refert, juſtisque exornat laudibus, triumviros inprimis adhuc ſuperſtites, & divi Marci procuratores, *Franciſcum Maurocenum*, equitem, *Angelum Maurocenum*, comitem S. Annæ, & *Johannem Maurocenum*, equitem, qui & libris VIII, IX & X, imo toto hoc poemate mirifice celebratur. Faſtos hoſce *Mauroceniadas*, ut vocantur, excipit inſcriptio, ſeu, ut Autor appellat, *elogium paradigmaticum* in triumviros jam laudatos ſeu *Maurocenos* hodiernos, & *epigrammata* in præſtantiſſimos aliquot *Maurocenos*, una cum indice, in quo & obſcuriora carminis exponuntur verba, & Mauroceni vetuſtiores primum, dein & recentiores ſecundum alphabeticum ordinem, adjunctis dignitatibus eorum atque officiis, recenſentur. Inſtitutum autoris hujusce optimum eſt, & utroque, quod ajunt, pollice dilaudandum. Neq; enim committendum temere eſt, ut tot illuſtrium ex *domo Maurocena* heroum res cedro dignæ ſilentii veluti cineribus inſepeliantur. Optandum autem omnino eſſet, ut illuſtriſſima hæc gens *Maurocena*, ſeu, ut olim dicta eſt, *Maronina* in Maronem aliquem virtutibus meritisque ſuis dignum incidiſſet; cujus verſibus latiniſſimo ævo ſcriptis nec fecis aliquid barbaræ adſperſum, nec verba ingeſta eſſe conſtat in dimenſionem ſyllabarum, legesque alias metricas impingentia. Sed de eo alii viderint. Neque enim inſtituti noſtri morisve eſt cenſoriam in Acta Eruditorum ſtringere virgulam, quippe qui recenſitores, haud cenſores nos profitemur.

TRAITE

TRAITE DE L' ORGANE DE L' OUIE, contenant la structure, les Usages & les Maladies de toutes les parties de l' Oreille, Par M. DU VERNET, de l' Academie Royale des Sciences, Conseiller, Medecin Ordinaire du Roy & Professeur &c.

A Paris, chez Estienne Michallet, 1683. in 12.

id est,

Tractatus de Auditus organo, structuram, usus & affectus cunctarum auris partium complectens,

Auctore Dn. du Verney &c.

INter illa hominis membra, quorum accuratior cognitio Anatomicos hactenus fugit, merito referendum auditus organum, utpote intra ossium solidiorum cavernas maxime reconditum. Hujus descriptionem in se suscepit *Dominus Verney*, præstititque tali solertia ac dexteritate, qualem forsan nullus ante eum hac in parte adhibuit, qualemque ipsius inventum circa *musculos binos interna brutorum palpebra*, atque observationes circa *partes nutritioni dicatas* (de quibus *Ephemerid. Gallor. ann. 1678* n. 27 & 30 videndæ) testantur, & a qua non tantum tractatum *de Organo tactus*, ad quem in præsenti scripto Lectorem remittit, sed *Anatomen* quoque *oculi* accuratiorem, item *de motu ventriculi* ad digestionem, in aliis æque animalibus, ac in pennatis faciente, meditationes (quibus eum nunc vacare amicorum literæ perhibent) nobis pollicemur.

Scriptum hoc in tres partes dividit, quarum prior auris tam externæ quam internæ conformationem singulari studio explicat; Altera physiologiam seu usum cunctarum ejus partium integrantium rimatur; Tertia demum harum pathologiam atque therapeiam complectitur; cunctæ tamen varietate & nobilitate argumentorum abundant. Ita v.g. ceruminum, quæ veteres immediate a cerebro, recentiores nonnulli ab auris arteriis deponi asserunt, productioni inservientes primus monstrat glandulas, tunicæ meatus auditorii substratas, & vasis excretoriis instructas: In Aquæductu Fallopii, qui ex cavitate tympani ad extremum palati, circa narium basin abit, ut & in osseulis quatuor auditus describendis, aliis pariter scriptoribus

accuratior est. Musculorum auriculæ externæ, quos communiter quatuor numerant, duos tantum; internæ, cui duos tantum alias concedunt, tres enumerat: horum posteriorum binos malleo, stapedi tertium assignat, cunctos vero pone tympani membranum collocat; secus ac ab aliis prosectoribus hactenus factum. Ratione nervi auditorii varia exponit, a Willisio, accuratiori alias Neurologiæ interprete haud annotata, & quidem hujus æque portionis mollioris ac durioris; item nervuli, qui tympani membranæ, instar chordæ, subtenditur, quem non auditorii, ut communis fert sententia, sed quinti paris propaginem ait. Præterea auriculæ & meatui auditorio surculum nerveum a secundo (non a primo, prout Willisius putat) vertebrali pari implantari ostendit: ulteriorem item nervi auditorii, postquam auriculam deseruit, ad partes vicinas diramationem, majori, quam hactenus factum, cura delineat. Qua occasione iterum Willisium notat, qui interveniente communi surculo hunc cum conjugationis octavæ seu vagæ nervo inosculari, affirmat; autopsiam in homine contrariam adducens, utut in brutis phænomenon hoc admittat. Quibus absolutis differentias quasdam aurium, fœtus nimirum ac adultioris, recenset, sc. portionem meatus auditorii in hoc ossea, in illo membranea duntaxat substantia gaudere; annulumque quendam osseum huic ipsi subjici, annorum tractu cum eodem coalescentem: Aquæductum Fallopii plane membraneum esse; ac tympani pelliculæ aliam adhuc membranam, (a Kerekringio jamdum visam) prætendi sustinet.

In parte hujus scripti altera, multum Mariotto se debere, ingenue professus Autor, Musculos auriculæ asserit concham ejus contrahere ac dilatare; auris internæ duos, malleo implantatos, membranam tympani tendere ac laxare; tertium, mediante stapede, pelliculam, foramini ovali dicatam, contrahere, motus tamen sui instinctus non a voluntate, sed objectorum diversitate, recipientes: Canalem ad palatum terminatum tympani cavitati aerem, per nares attractum advehere suspicatur; organum vero auditus immediatum & proximum labyrinthum pronunciat. Ex anastomosi nervi auditorii durioris, cum nervis quinti & vertebralis secundi paris, variorum phænomenorum animaliun ætiologias declarat: v. g. cur auditam vocem imitari conemur; cur homines pariter ac alites se mutuo ad cantandum excitent; & cur a nativitate surdi necessario simul muti existant?

Pars

TAB. VIII



Pars tertia affectus sensorii hujus eorumque remedia prolixe ostendit, secundum ordinem, parte prima observatum: primo nempe differendo de pathematis auris externæ; hinc de morbis membranæ tympani, tympani ipsius, nervi &c, diversis observationibus hæc illustrans, materiam vero de tinnitu aurium per diversum a communi hypothesin explicans.

Quoniam vero iconismis sedecim, ad declaranda phænomena anatomica facientibus, Dn. Verney quandam baseos cerebri humani, a vasis sanguiferis liberatæ, figuram adjecit, in qua nonnulla, a figuris & textu *Willisiana Cerebri & Nervorum anatomia* aliena fistit, eam inserere hic operæ pretium duximus: quis horum typorum archetypo magis conformis existat, Lector benevolus dijudicet. Sunt autem AA prora cerebri; BB cerebellum; CC locus, ubi cerebri illa portio, quam Willisius posteriorem hujus limbum vocat, in uno latere est resissa, quod in altero latere simili modo concipi debet; DD corpora striata, seu, ut alii vocant, tubulata, quæ principia medullæ oblongatæ existunt; EE thalami nervorum opticorum; F medulla oblongata, cujus crura duo hic coeunt, quamvis Willisius ea distincta & ab invicem dehiscentia docuerit; G protuberantia annularis; HH primum par nervorum, s. olfactorium, ortum trahens, ex basi corporum striatorum, per fibram quandam medullarem hh, & ubi prope nervos opticos incurvatur, crassescens; II nervi optici, aut secundum nervorum par, prout ab origine sua ad egressum usque e cranio conspicitur; KK tertium nervorum par, dictum oculorum motorium; LL quartum s. patheticum; MM quintum; NN sextum; OO auditorium, quod septimum constituit, divisumque in exortu cernitur in duos ramos, quorum major & superior mollior est; PP nervi octavi paris, emanantes ex medulla, sub eminentiis, yy notatis; QQ nonum par, in uno saltem latere expressum, &, ne obscurior redderetur figura, reclinatum; notato in altero tantum ejus exortu; RR decimum medullæ oblongatæ par, quod Willisius cum primo vertebrali confudit; S medulla ad ingressum in vertebras dississa; TT nervi duo, qui ex spinali medulla intra vertebras cervicis prodeunt & ad calvarium ascendunt, ut nervis octavi paris combinentur; U infundibulum; xx duæ eminentiæ medullares, quas Willisius glandulas credidit; yy itidem duæ eminentiæ medullares, olivæ figuram habentes,

T A B. V III.

tes, quas idem ſcriptor corpora pyramidalia vocavit; zz duæ exiguæ fibrillæ, ex medulla oblongata emanantes, & nervis ſpinæ, ad octavum par inclinantibus, inſertæ: quæ in ſingulis lateribus interdum duplices aut triplices cernuntur.

NOVUM LAMPADIS GENUS COMMUNICATUM a Dn. Johanne Chriſtophoro Sturmio, Matth. Profeſſore Altorfino.

In literis Lipſiam menſe Junio 1683 miſſis.

PAraveram antehac duplex clepſydræ *ἀυτομάτε* genus, quorum alterum ſua quaſi ſponte per intervalla fundit aquas, jucundo, nec inviſo tamen ante ſpectaculo: alterum antehac nunquam, quod ſciam, viſum ad nutum & adſtantium juſſa fluxum aquarum continuat & intercipit, utrumque in *parte ſecunda Collegii experimentalis* deſcribendum, & ad cauſſas ſuas reducendum. Prius autem illud non ante mihi (quod facile tamen poterat ac debebat) occaſionem ſuggeſſit novæ lampadis parandæ (quam *κλεψύδλαιον* haut incongrue appello) quam iſta de Boyliana lampade in Actis veſtris perlegiſſem. Tum vero in mentem ſtatim venit ea forma, quam hic deſcribo, effectu ſperato quoque interim comprobata.

TAB. IX. Partes ejus duæ ſunt: una lampas ipſa A, ſuo roſtro B, pro capiendo ellychnio vulgariter conſtructa: altera vaſculum, pro oleo ſenſim in lampadem effundendo, quod inſimul operculi vicem ſubit. Vaſculum C ſuperne clauſum, & ſubtus ad fundum plurimis foraminulis inſtar clepſydræ pertuſum, in fundi medio adferruminatum habet tubulum paulo laxiorem EDF, ita ut circa E ſuperiora vaſculi non attingat, & circa F intra connexum lampadis operculum (quod 4 foraminibus grandiuſculis hiat) ad quartam circiter digiti partem promineat, orificio ad libellam & parallelum cum operculo ſitum juſte complanato. Per hoc ipſum orificium F, inverſo vaſculo oleum citra ſolicitam cautelam infunditur, & cum repletum iſtud fuerit, ac orificium F admoto digito clauſum, in debitum iterum ſitum convertitur, & remoto inferne digito, lampadi ſubito imponitur, uncinulisque ſuis operculo affixis firmatur, ut integra *κλεψύδλαία* forma prodeat ea, quam

Fig.

TAB. IX. ad A. 1683. pag. 304.

fig. 1.



fig. 2.





fig. 4.

fig. 3.







EAndre Sohn sc:

Fig.III exhibet. In hoc autem, minus operoso, credo, quam est ullus alius, lampadis apparatu, sequentia eveniunt.

I per fundi D, pertusi licet, foraminula nihil olei effluit, quamdiu digito inferum orificium clausum manet, & aeri externo ingressus denegatur.

II remoto vero digito (quod ante fieri non debet, quam operculum lampadi proxime immineat) oleum ab ingresso per tubulum FE aere fundi foraminulis filatim expressum, per operculi grandiores aperturas in lampadis internam cavitatem colligitur, usque dum orificium tubuli F suprema sua superficie attingat. Tum vero

III quod aer porro subingredi & in vasculum per tubulum ab oleo jam clausum eniti non possit, sistitur fluxus olei, deinceps ab accenso ad B ellychnio paulatim absumendi.

IV. Absumtum vero hoc in tantum si fuerit, ut ejus suprema superficies orificium tubuli inferum F non amplius attingat, aer, per operculi foramina libero gaudens accessu, in tubulum recluſum subito se insinuat, & ad superiora enixus tantum olei rursum exprimit, quantum ad occludendum infra tubulum iterum sufficiat: idemque per vices postea fit tamdiu, donec vasculum C exhaustum fuerit. Hoc vero uncinulis operculi reductis a lampade removeri, denuo repleri, & reponi tandem commode potest, lampadis flamma interim nec extincta, nec nullo modo turbata.

V Quandoquidem autem experimento edoctus notavi, propter insensibilia fere olei ab igne absumendi decrementa, non nisi pauciſſimum aerem singulis vicibus admitti, pauculasque olei guttulas ab eodem exprimi, cum clepsydra ἀντλία ex defluxu aquæ inferioris admodum sensibili per grandius aliquod foramen multum aeris simul admittat, & consequenter majorem aquæ copiam per fundi foramina effundat; in clepselæi fundo non adeo necessariam deprehendi foraminulorum multitudinem, quin 3 aut 4 anguſti canaliculi, foraminibus operculi exacte respondentes sufficiant: quo casu lampadis infernæ minor & tractabilior capacitas abunde sufficeret, sordiumque minus metuendum foret, & vas supernum (quod vitreum haut incommode esse posset, & capsulæ metallicæ DE decenter adferruminatum, ut olei in ipso defectus in oculos eo facilius incurreret) arbitrariæ amplitudinis ac tantæ fieri posset, quæ lampadi sustentandæ per menses aliquot continuos sufficeret. (Vide Fig.IV.)

TRAITE DE LA RAISON HUMAINE, traduit de L' Anglois,

id eſt,

Tractatus de ratione humana, ex Anglico verſus, addita præfatione, in qua Autoris ſententia plurimis autoritatibus defenditur.

Amſtelodami 1682. in 12.

TRactatus hic, ejusque prolixa, & ab alio, ut videtur, autore, præmiſſa præfatio, ſi ſcopus ſpectetur, mitius judicium admittit. Agit enim quod Theologi & Politici, diverſarum licet partium, ſæpe egerunt, improbando rigorem, quo principes, ſacerdotum plerumque impulſu, adverſus diſſentientes in religione utuntur, & elidit axioma Hobbeſii, qui religionem arbitrio magiſtratus ſubjicit. Sed periculoſa eſt argumentatio, & principio fidei, ſive id unice (quod noſtrates faciunt Eccleſiæ) a ſacris literis, ſive, ut aliis placet, ſimul a traditione petatur, adverſa. Præſupponunt enim tractatus & præfationis autores, rationem humanam nec corruptam nec obſcuratam eſſe, ſed ſatis validam & illuminatam ad ſalutis æternæ viam obtinendam. Quamvis vero inter media inſtruendæ rationis non videantur rejicere revelationem divinam in ſacris literis, neque negent, Chriſtum eſſe mediatorem, per quem ſalvemur: nolunt tamen quemquam pro damnando haberi, qui myſterium Chriſtianiſmi non perceperit, neque adhibita ſumma diligentia animum ad credenda, quæ Scriptura proponit, inducere queat, dummodo veritatem ſerio quærat, & ſancte vivat, evitando vitia, quæ natura & recta ratio improbat. Religionem inde exſtruunt univerſalem, ex univerſali rationis principio, ex quo vere divinum lumen, etiam ſine auxiliis gratiæ, ſatisque aptum ad cognoſcendum & colendum Deum deducunt, tantamque de clementia Dei ſpem faciunt, ut Origenis errorem de ſalute dæmonum non rejiciant, imo Deo diverſitatem religionum placere putent, adeove nec Turcis, nec idololatris, nec ipſis atheis cœlum claudatur: Eſſe enim unicam ad ſalutem viam per virtutem, licet in plures ſemitas diſſectam, quarum una altera ſit expeditior. Et Chriſtianam quidem doctrinam aliis præferunt, ſed meritum Chriſti absque prædica-

tione

tione verbi & ſacramentorum uſu a Deo omnibus applicari poſſe ſtatuunt; neque aliam damnationis cauſam agnoſcunt, quam vitam carnalem. Opinionem ſuam inde potiſſimum firmare annituntur, quod non aliter niſi per rationem, ſive ſyllogiſmum, religio percipi, neque quisquam a ſententia ſua, niſi per oppoſitas rationes dimoveri poſſit. Sic medium apprehendendi principii, cum ipſo principio confundunt, ut difficile non ſit futurum Viris Theologis, aſſertum hoc, fundamenta religionis aperte convellens, ſolidis rationibus confutare.

DIVINUM AC IMMOBILE S. PETRI Apoſtolorum Principis, circa omnium ſub cœlo fidelium ad Romanam ejus cathedram appellationes, adverſum profanas hodie vocum novitates aſſertum Privilegium, per Fr. Chriſtianum Lupum Iprenſem, in Alma Lovanienſi Univerſitate Sacræ Theologiæ Doctorem, ac Profeſſorem Primarium & Regium, Eremitarum S. Auguſtini nuper Priorem Provincialem.

Moguntiæ, 1681. in 4.

CHriſtianus Lupus, cujus vitam Joſephus Sabatinus Ravennas Vaticanæ bibliothecæ præfectus literis conſignavit, anno 1612 Iprænatus & decimo quinto ætatis anno Auguſtini familiæ adſcriptus, cum in Colonienſi primum cœnobio philoſophiæ aliis tradendæ præpoſitus fuiſſet, hinc a Superioribus ad altiora ſtudia Lovanium, & Duacum, iterumque Lovanium evocatus ingenio ſuo & induſtriamagnum ſibi nomen comparavit. Sed ut Magiſtralem lauream & Doctoratus inſignia, quibus anno 1653 decoratus eſt, ſerius quam ambierat, obtineret, eorum invidia, qui ipſum apud Innocentii X Apocriſiarium Janſeniſmi arguerant, effecit. Quæ certamina cum poſtea recruduiſſent, Lupus noſter ab Innocentii Succeſſore Alexandro VII Romam accerſitus, ibique cum doctrinæ ſuæ rationem reddidiſſet, ac ſuum Romanæ ſedi obſequium probaſſet, per quinquennium verſatus, ac ab Aulæ Pontificiæ proceribus ipſoque Pontifice honeſte habitus, Lucæ Holſtenio aliisque viris doctrina illuſtribus familiariter convi-

xit, & celeberrimas urbis bibliothecas diligenter perluſtravit. Neque minus honorifica ipſi fuit altera, quam una cum aliis Theologicæ Facultatis legatis ob turbas a maleferiatis quibusdam Caſuiſtis in Theologia morali motas provecta jam ætate in ſe ſuſcepit, Romana peregrinatio. Nam & magnus Hetruriæ dux Coſmus III, qui ipſum, cum Florentiam tranſiret, ampliſſimis ſtipendiis per viros celeberrimos Magliabecum & Noriſium oblatis, ſibi auctorari concupivit, & ſereniſſima Sueciæ Regina, & eminentiſſimi R.E. Cardinales cum Pontifice ſuo Innocentio XI, eruditionem ejus admirantes nihil omiſerunt, quo affectum ſuum & benevolam erga ipſum voluntatem declarare poſſent. Tandem confectis, ob quæ Romam venerat negotiis ægre dimiſſus, anno 1679 in Belgium ſuum rediit, & paulo poſt Profeſſoris primarii dignitatem impetravit. Sed ea diu haud gaviſus eſt, ſiquidem anno 1681 ſeptuageſimum ætatis annum jam ingreſſis vivis exceſſit, cum *variorum opuſculorum* tomos duos, *notarum, ſcholiorum & diſſertationum in canones & decreta conciliorum generalium & provincialium, a decretis concilii Niceni uſque ad concilia a Gregorio VII habita* tomos quinque, *notas & ſcholia ad Tertulliani librum de præſcriptionibus*, aliaque ingenii monumenta reliquiſſet. Nam & in extremis vitæ metis, ut adproperantia, quæ animo præſagiebat, fata anteverteret, aliquot diverſi argumenti voluminibus ſimul edendis acriter incubuit, e quibus *variorum Patrum epiſtolæ ad Epheſinum concilium ſpectantes*, e Caſſinenſi codice deſcriptæ, & *notæ* in iſtas epiſtolas, item *Thomæ Cantuarienſis vita & epiſtolæ*, autore ſuo, quibus vitam debent, non amplius vivente, lucem aſpexerunt. Sed poſthumos illos Lupi fœtus ad proximum, Deo volente, menſem reſervamus.

Præſens opus de S. Petri privilegio Moguntiæ, ſi titulo fides adhibenda, quidem impreſſum, ſed Romæ, ipſo Petro (ſcilicet) quaſi præſente elucubratum quantum attinet, occaſionem illi dedit *Paſchaſius Queſnellus*, congregationis oratorii Domini Jeſu apud Pariſienſes Presbyter, qui paucis abhinc annis Leonis Magni opera notis ſuis atque diſſertationibus illuſtravit. Cum enim is in cauſa Hilarii Arelatenſis diſcutienda Leonem Magnum nimio ſedis ſuæ amplificandæ ſtudio contra canones & ſynodorum provincialium jura prævaricatum, poteſtatem inſuper Romani Epiſcopi ſuburbicariis limitibus circumſcriptam,

ſcripram, & non modo a Gallicanis ſynodis ante Hilarii tempora nullas omnino appellationes ad Romanæ eccleſiæ tribunal delatas, verum etiam Afrorum & orientalium patrum eccleſiaſtica judicia appellationis jure nunquam a Romanis Epiſcopis retractata fuiſſe aſſerat, illuſtriſſimus Auguſtinus Favoriti ac alii Pontificiæ monarchiæ patroni Romanorum cenſorum virgula haud contenti, Lupum irritarunt, ut adverſus Quesnellium calamum diſtringeret, & appellationes Romanæ ſedis non Oſii Cordubenſis & Sardicenſis concilii haud recte intellecti commentum, ut Queſnellio viſum fuerat, ſed divinitus Romanæ cathedræ conceſſum & perpetuo eccleſiæ uſu roboratum privilegium eſſe, collectis omnibus ingenii ſui viribus demonſtrare conaretur.

Exorſus igitur *Diſſert. 1.* a Gallicis Eccleſiis, & Chelidonii ab Hilarii Arelat. & provincialis, quæ ipſum exauctoravit, ſynodi ſententia Romani appellantis negotio, non Leonem ſed Hilarium dignitatis ſuæ & debitæ modeſtiæ limites exceſſiſſe probare nititur, & id ubique agit, ut appellationes hujusmodi jam inde a primis naſcentis Eccleſiæ incunabulis apud Gallos viguiſſe, conquiſitis undique teſtimoniis lectoribus ſuis perſuadere poſſit. Quod dum facit, omniaque ſententiæ ſuæ obſtacula removere contendit, non ſolum cum *Queſnellio* congreditur, verum etiam ea, quæ *Johannes Gerbius* Doctor Pariſienſis, Socius Sorbonicus & Regius eloquentiæ Profeſſor, in diſſertatione ſua *de majoribus cauſis* circa appellationes iſtas annotavit, ad examen revocat, inprimis vero fonti, ex quo Queſnellium rivulos ſuos deduxiſſe animadverterat, obſtruendo, hoc eſt, evertendis *Petri de Marca* Pariſienſis quondam Archiepiſcopi, cui conſenſum cum Leone Aceridenſi, acerrimo Latinæ Eccleſiæ adverſario, invidioſe exprobrat, fundamentis, libro ſexto & ſeptimo celeberrimi operis de concordia ſacerdotii cum imperio contentis, aliquot capita inſumit.

A Gallicanis Romanæ ſedis appellationibus *Diſſert. 2* ad Africanas tranſit, ac primum de Africanæ Eccleſiæ diœceſi & hierarchia, & poteſtate ſacrarum apud Afros ordinationum, & in ſpecie de Carthaginenſis eccleſiæ primatu ejusque variis prærogativis & Donatiſtarum in hanc Africæ metropolin injuriis multa diſſerit. Deinde, ſiquidem Leo IX inter alias Carthaginenſis primatis dignitates hanc etiam recenſet, quod ſolus ab Apoſtolica ſede pallium acceperit, per

hanc occasionem prolixa digressione iterum contra *Petrum de Marca*, & deinde contra novellum aliquem scriptorem, qui *Diurno Romana ecclesiæ* libro notas & appendicis loco dissertationem de pallio cum duabus aliis dissertationibus adjecit, de pallii episcopalis antiquitate, origine, forma atque usu disputat, eosdemque variorum in hac controversia errorum arguit. Hinc ad Africanarum synodorum sextuplicem differentiam earumque formam & autoritatem, & episcopalia Africanæ Ecclesiæ judicia descendit, & tandem his fundamentis jactis Afrorum appellationes ad Romanum Episcopum probandas suscipit, quid post Phorium aliosque Græci schismatis fautores, item Calvinum, M. Antonium de Dominis, Petrum de Marca, Stephanum Baluzium & alios, Quesnellus de his appellationibus statuat, exponit, & adducta pro sua sententia Cypriani, Optati, Augustini & Leonis magni, testimonia ab adversariorum exceptionibus vindicare allaborat.

Cum vero maxime sibi adversari deprehenderet, quod Apiarii Siccensis Presbyteri, ab Episcopo suo Urbano & provinciali synodo excommunicati, transmarinam appellationem, a Zosimo quidem, Bonifacio, & Cælestino Romanis Episcopis susceptam, & per legatos suos sub prætextu Nicenorum canonum non sine falsi crimine propugnatam, sed ab Africanis patribus rejectam & constanter repudiatam fuisse constet, in totum illud negotium prolixius inquirit, nec gesta circa Apiarium spuria aut commentitia pronunciat, quod *Marcus Antonius Capellus* in suo de Romanis Afrorum appellationibus opusculo fecerat; interim tamen quæsitis variis effugiis Bellarmini, Baronii, Perronii & aliorum Ecclesiæ Romanæ promachorum vestigiis insistens, modo inter ipsam appellationum substantiam, de qua Afros inter & Romanos nullam unquam litem fuisse contendit, & inter modum easdem prosequendi, modo inter inferiores clericos, quibus ante Gregorii magni ætatem appellationes Romanas non semper licuisse concedit, & inter Episcopos distinguit.

Tres reliquæ dissertationes de Hæresiarchæ *Eutychetis*, *Flaviani* Episcopi Constantinopolitani, *Theodoreti* Cyrensis aliorumque Orientalium Patrum appellationibus eadem methodo agunt. Magnum vero & chartæ & laboris compendium feciſſet Lupus, si ejus, quod jactat, privilegii instrumentum producere potuisset.

LES

LES CESARS INVITES A LA TABLES des Dieux: Satyre ingenieuſe ſur la conduite des Empereurs Romains ecrite en grec en forme de dialogue, par l' Empereur Julien ſurnommé l' Apoſtate; & traduit en langue françoiſe par M. P. Moret, avec des Remarques hiſtoriques.

a Paris, 1682 in 12.

id eſt,

Cæſares ad convivium Deorum invitati: Satyra in Romanos Imperatores græce ſcripta in modum dialogi a Juliano Imp. cognomento Apoſtata; in Gallicam linguam traducta a M. P. Moreto, adjectis annotationibus hiſtoricis.

Pariſiis, 1682. in 12.

ETſi fidei religionisque Chriſtianæ deſertor turpiſſimus infenſiſſimusque hoſtis Julianus eſſet, omni tamen doctrinæ genere excelluit; vitæque ſuæ & morum acerrimus cenſor, bellorum etiam in Germanos & Perſas magna cum celeritate nec minori felicitate confectorum gloria inclytus eam laudem apud poſteros meruit, ut, quod paucis contigit, & armis ſtrenuus, & vita integer, & literarum ſtudiis excellens noſcatur: cum quæ ſinguli Imperatores partitim præclara habuerant, ea unus hic animo & factis ſit complexus univerſa. Igitur cum virtutibus maximis animum parem gereret, & laudes cæterorum Imperatorum, ipſius etiam Conſtantini magni, ſuperaret (quod adverſus Patres ipſi iniquiores aſſeruit Petrus Cunæus, ringente Petavio) inique tulit eorum vitia, nec cohibuit calamum, quin iſtum in perverſos mores & temeraria facta priorum Imperatorum ſtringeret. Hinc natus liber, quem *Cæſarum* nomine inſignivit, quod eorum, qui ante ſe Romanis imperitaverant vitia inſectaretur. Hic cum elegantia dictionis, & arguta dicacitate, rerumque varietate inſignis, reliqua vel Græcorum vel ipſius etiam Juliani ſcripta ſuperaret, e græco ſermone in latinum a Carolo Cantoclaro Gallo, & Petro Cunæo Belga olim translatus eſt. Superioribus quoque annis dignum eundem

cenſuit

censuit doctissimus vir Ezechiel Spanhemius, quem in Gallicum habitum induceret, & cum prolixis eruditissimisque Observationibus criticis Heidelbergæ anno 1666 in publicum emitteret. Sed nativum linguæ Gallicæ decus a Germano, docto licet, homine vix satis expressum rectius se assecuturum existimans Moretus Gallus, Spanhemiana editione, de qua non constiterat, cum gallice loqui Cæsares Julianeos doceret, a proposito versionem suam edendi non passus est se dimoveri; eamque præmissa Juliani vita, cum brevibus annotatiunculis historicis, quibus quæ de Imperatoribus Julianus memorat illustrantur, publicæ luci exposuit.

DU BONHEUR ET DU MALHEUR DU MARIAGE, par le Sr. de Mainville, Escyer.

a Paris 1683, in 12.

id est,

Fortuna & infortunium matrimonii, exposita a Manuvillio, Equite.

Parisiis, 1683. in 12.

ARduum & ancipitis deliberationis negotium suscipere eum, qui matrimonium inire constituit, a quo universæ vitæ fortuna pendet, & vel bona vel adversa inde nascitur, in aperto est. Quid expendendum igitur prius & reputandum sit iis, qui se pelago huic committere cupiunt, *tribus & triginta epistolis* auctor exposuit: quas ad nobilem viduam, num ad secunda vota transeundum, animo secum deliberantem scripsit. In his commoda & incommoda, quæ ex matrimonio nasci, vel in eo accidere possunt, eleganter ostendit, prudenter expendit, ejusque vel ineundi vel omittendi rationes exponit, & gerendi consilia fideliter præbet. Ambitionem, avaritiam, & voluptatem pravas incendere cupiditates docet, cum ista perversa, illa turpis, hæc cœca sit, ac proinde nulla harum idonea matrimonio contrahendo consilia suppeditet: solum igitur eum amorem animo esse concipiendum monet, qui Deo nos attrahat; eum aversandum, qui nos alienos a Deo reddat. Alia præterea tradit, quæ cumprimis utile fuerit observare matrimonium inituros: fabulosis etiam quibusdam recitationibus salutaria præcepta exornat, nempe ut dum doceat, simul oblectet animos, quos instituendos sibi proposuit.

(o)

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipſiæ
Calendis Auguſti, Anno M DC LXXXIII.

GEORGICA CURIOSA

das iſt/
Umbſtändlicher Bericht und klarer Unterricht von dem Adelichen Land- und Feld-Leben / auff alle in Teutſchland übliche Land- und Haus-Wirthſchafften gerichtet etc. Wolff Helmhard Herren von Hohbergs/ Freyherrn.

ſeu

Georgica Curioſa, hoc eſt, exacta Relatio & Inſtructio perſpicua de Vita Nobilium Suburbana, ad omnem in Germania & ruralis, & domeſticæ Oeconomiæ ſtatum accommodata &c. Wolff Helmhard Domini ab Hohberg, Liberi Baronis.

Nürnberg / 1682. in fol.

QUandoquidem rerum omniū ex quibus aliquid acquiritur, nihil eſt, dicente Cicerone, agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius, nemo dubitabit, quin de re œconomica & univerſa mortalium vita præclare mereantur, qui ut in optimis maximisque fundis excolendis ſingulari ſtudio & magna intelligentia ſunt ipſi, ſic & optimam adminiſtrandi illos rationem luculentis ſcriptis tradunt & relinquunt aliis; eoque ad bene beateq; vivendum momenti plurimum ubivis adferunt. Locum hos inter facile principem Illuſtriſſimus Autor tenet ſuo merito. Enimvero quæ is e probatiſſimis Rei Georgicæ Scriptoribus: Græcis, Italis, Latinis, Hiſpanis, Afris, Belgis, Anglis, & Germanis, cum veteribus, tum

noviſſimis, (ſingulorum catalogus in præfatione legitur) præprimis ex uſu rerum multiplici cum cura obſervaverat, in ſplendidum hoc volumen œconomicum pulcherrimo ſane ſtudio congeſſit.

In quo concinnando non parum etiam ſibi ſerviſſe teſtatur ſelecta quædam manuſcripta: Ranzavium unum; partem tamen maximam res Mediças complexum: quod ipſum Danici belli tempore, anno ſeculi 27, e bibliotheca expugnatæ in Holſatia arcis Ranzaviæ Bredenberg, in manus primum Viti Kitzingii, Tribuni Cæſarei; ab hujus autem genero poſtmodum ad ſe pervenerit: Alterum ſuis reliquiſſe Philippum Jacobum a Grüntall in Krembſegg & Zeiler: Tertium, idque præcipuum, inſtructionem Procuratoris fuiſſe, ſeu memoriale annuum, e Celſiſſima domo Lichtenſtein, inde jam a multis annis, per Auſtriam, Moraviam, Bohemiam, & Sileſiam, eximiis œconomiæ bene conſtitutæ & adminiſtratæ laudibus florente. Honoris præterea & gratitudinis cauſa Excellentium Virorum nomina illuſtria profitetur, qui communicatis partim ſcriptis, partim curioſis libris, partim etiam arcanis ſuis, & obſervationibus, liberaliſſime inſtitutum promoverint. quo nomine cumprimis benevolentiam & promtum gratificandi ſtudium Dn. Franciſci Chriſtophori Comitis Khevenhulleri, Dn. Johannis Ehrenreich Geymanni L. B., Dn. Comitis Franciſci Benedicti Perchtoldi, Dn. Wilhelmi Balthaſaris in Löwenfeld/ Cæſaræ Majeſtatis Conſiliarii, & Domus Archiducalis nomine ad Comitia Ratisbonenſia Legati, Dn. Georgii Ferdinandi Pernaueri L. B. a Perney, Dn. Chriſtiani Knorrii a Roſenroth/ Conſiliarii Sulzbacenſis, Dn. Martini Chriſtophori Metzgeri Medicinæ & Philoſophiæ Doctoris, maximopere & in præfatione & in concluſione operis collaudat. Ne vero dulce uſpiam ab utili ſejunctum in hoc videretur, cujusque libri frontem epico exornavit carmine, quod rerum contentarum ſummam rotunde exprimit.

In duas autem partes opus univerſum diſtinguitur, quarum quælibet libros ſenos, opusque adeo integrum duodenos, ambitu ſuo complectitur: eo argumentorum ordine ſervato, ut in utraque parte priora ſint, quæ potiora neceſſitate atque fructu. *Primo* itaque pro argumento eſt totius rei œconomicæ baſis quaſi, & fundamentum, ipſum puta Prædium; De cujus, ut nonnulla dumtaxat rerum capita attingamus, quod & inſtituti ratio, & inſignis rerum copia ad

ſingula

singula quæque respicere prohibeat, acquisitione, securitate, juribus, situ, structura, ædificiis variis, regalibus, judiciis, molis, metallifodinis, opificiis, incremento, & similibus prolixius in eo differitur.

Secundus in describendis Domini officiis occupatur, cum erga Deum, & semetipsum, tum erga conjugem & liberos (de quorum liberali & accurata educatione monita utilissima hic inseruntur) nec nō erga famulos, procuratorem, subditos, & vicinos observandis. Inde percurrens partes anni singulas, designat quid cato incumbat patrifamilias, & domi suæ, & in agris, & in hortis quovis peragendum mense. Porro de justis semper exigendis rationibus, de sua suorumque tuenda sanitate, de incendiis cavendis, aliisque præcipit.

Tertius scite admodum, in quibus officia & labores Dominæ versantur, quæque scitu necessaria eidem sunt, exponit. Cujus quidem generis potissima sunt: Devotum cultum, spreta procul & proscripta omni superstitione, Divino præstare Numini; benevolum obsequium, & auxilium viro: cum cura educare generosam sobolem: sua servis ancillisque imponere pensa, & exigere: cellam penuariam (de condiendis plantarum, fruticum, & arborum fructibus, de cibariis a corruptione defendendis plurima hoc loco habes documenta) sufficienter instruere: indefessam præcipue in re familiari claudenda & reseranda, custodienda & dispensanda adhibere operam. Et quoniam valetudinis curam matrifamilias quoque committendam censet, hoc eodem libro non *ἰατρεῖον* modo œconomicum, seu officinam Medicam domi adornare docet, pharmacisque probatissimis, conservis, succis, theriacis, unguentis, emplastris, ecligmatis, & id genus aliis probe instruere, sed de affectuum etiam generibus, quæ humanum affligere corpus cum suis membris ac visceribus solent, ordine sic disserit, ut recenseat & morbi cujusvis, pestiferæ etiam luis, conditionem, & præsentissima adhibenda singulis remedia.

Quarti libri pars una quidem culturam vineæ, vinoque impendendam curam ponit ob oculos; & inter cætera de loco vitibus conserendo, de corrigendis fundi vitiis, de vitium satu & delectu, de amputatione, religatione, & propagatione earundem; de sarmentorum immissione, de agri fossionibus & repastinationibus: de stercorandi vineam & fœcundandi modo: de Vinitoris partibus: de apparatu, vindemia imminente: de variis ex musto coquendis & præparandis,

de virtute vini dignoscenda, de ratione vina conservandi, eorumque defectus emendandi, &c. agit uberius. Parte autem reliqua Hortorum, Pomariorum maxime, & arborum cultura exponitur. *Quintus* porro de Horto Olitorio initio agit, variasque divisiones & species olerum considerat: tum de Medico; ubi herbarum signaturæ, & plagæ cœli, quibus potissimum quæque gaudeant, explicantur, curiosa etiam de Melonum cultura inseruntur fol. 503 ex Societ. Reg. Anglic. Actis Philosophicis. *Sextus* culturam ostendit adhibendam floribus, & num perfecto libro consignari possint omnes disquirit, variis hujus argumenti scripris in medium allatis. Accedunt & varii generis diagrammata, pro hortorum areis artificiose dividendis. Quo absoluto, partem operis primam siniunt indices: unus arborum, plantarum, florum, fructuum &c., alius præcipuarum rerum in eadem occurrentium.

Liber *Septimus*, cum quo Autor secundam operis partem inchoat, œconomiæ Studiosum de Agricultura instruit: quo relata simul fuere, quæ ad braxandi, molendi, pinsendique negotia spectant. Documentum etiam de succo præstantissimo ex polenta cujusvis generis frumenti extrahendo, extractoque in mellis spissitudinem coquendo, ex Glaubero adfertur, pro cerevisiæ & panis in navibus munitisque castris felicius retinenda copia. *Octavus* Equile inscribitur, & potissimum de equorum agit varietate, & præstantia pro regionum, & colorum numero: de bonis & pravis eorundem signis; de equorum oculis, toris, cruribus, & ungulis; de generosorum propagatione, equitandi ratione, nec non de curandis variis, queis obnoxium id esse genus solet, vitiis. Hujus prodromo annectitur carmen simili argumenti, ab Autore olim in Baronis Stubenbergii Hippologiam elaboratum. *Nonus* contemplatur villam & rem pecuariam cujusvis generis reliquam: Villicum & villicam, eorum famulitium, & officii partes. *Decimi* pars prior de Apum examinibus tractat, & de mellificio: posterior de bombycibus in Europæis regionibus alendis. *Undecimus* de fontibus & aquarum deliciis, de piscinis, piscumve generibus & alimentis, de amphibiis, & horum omnium captura. *Duodecimus* idemque ultimus perlustrat nemora, & venandi studium cum feras, tum volatilia persequitur. Post discursum denique de avium nidis, qui apud Chinenses de esculentorum sunt numero,

& a noſtris etiam haberi in deliciis cœperunt; ſequitur totius operis concluſio, quam excipiunt indices: prior rurſus arborum, plantarum, fructuum: poſterior potiorum in hac ſecunda expreſſarum rerum.

SADUCISMUS TRIUMPHATUS, Or ful and plain evidence concerning VVitches and Apparitions: By Joſeph Glanvil late Chaplain in ordinary to his Majeſty, and Fellow of the Royal Society.

i. e.

Evidens ac plana aſſertio Sagarum & Spectrorum: auctore Joſepho Glanvilio, Regis nuper Capellano ordinario, & Regiæ Societatis Socio.

Londini, 1681. in 8.

ANſam libro huic ſpectrum quoddam dedit, quod a medio Aprilis anni 1661 Tedworthi in Anglia ædes Mompeſſonianas importuna tympanorum inviſibilium pulſatione, variisque ludibriis aliis infeſtas longo tempore habuit. Cum enim poſt alios fide dignos viros, per quos fama de ſpectro illo late percrebuerat, Glanvilius quoque vir Theologus tumultuans illud coram audiviſſet, omnibusque circumſtantiis probe exploratis fraudem illi rei nullam ſubeſſe comperiſſet; telum ſibi oblatum exiſtimavit, quo Saduciſmum configeret, & Dæmones, Spectra, ac ſagas omnino dari, quod ſecta illa negat, demonſtraret. Nam cum Saduciſmus multorum in Anglia animos occupaſſet, viamque pandere ad Atheiſmum videretur; ad dubitandum de Spiritus infiniti exiſtentia inducendis facile, qui finitos ſpiritus a corpore ſeparatos exiſtere negant: ſuarum eſſe partium Glanvilius exiſtimavit, hac ipſa occaſione peſtilentiſſimam illam Saducæorum doctrinam male curioſorum ingeniis reſuſcitatam pro virili refellere. Itaque jam anno 1663 Hiſtoriam ſpectri illius Tedworthienſis, ſub titulo *The Dæmon of Tedworth*, junctis de magia meditationibus *(conſiderations about Witchcraft)* edidit. Quod ſcriptum cum ſemel iterumque prelo ſubjectum fuiſſet, oppugnandum

postea sibi sumpsit quidam Saducismum professus, J. Websterus, edita magiæ explicatione *(Display of Witchcraft)* qua & Dæmonem Tedworthiensem Mompessonii & Glanvilii fraudibus confictum fuisse, & Dæmonum sagarumque commercia mutua falso jactari, nec nisi in melancholicorum aut impostorum cerebris nata, conatus est evincere. Quæ hominis audacia Glanvilio non minus, ac Mompessonio unam alteramve extorsit Epistolam, qua sibi suæque narrationi veritatis intemeratæ honorem assertum ivere: tandemque Glanvilius, ab Henrico Moro imprimis per epistolam stimulatus, justo Opere Websterum refutare aggressus est; quod, postquam Auctor ipse immortuus illi esset, amicus quidam ejus revidit, ac sub titulo Saducismi triumphati anno 1681 publici juris fecit.

Præmittitur vero Operi huic Henrici Mori, Theologicis æque ac Philosophicis scriptis, quæ edidit, aliis minime incelebris, illa ipsa, cujus jamjam meminimus, Epistola, qua dum Glanvilio calcar ad Websterum refellendum addit, suam de hoc argumento sententiam uberius explicat, ac demonstare nititur, magorum Ægyptiorum & Sagæ Endoreæ effectus non præstigias, sed idipsum quod visi sunt, fuisse, animamque Samuelis revera Sauli apparuisse. Ubi dum apparitionem animarum post mortem exemplis probare contendit, Raphaelem Tobiæ comitem statuit animam fuisse Asariæ Anania magno nati, in Raphaelium ordinem post mortem cooptatam, idque ex eo putat patere, quia asserendum alias foret, Angelum mendacio alienum sibi nomen tribuisse; Saulem vero a Websterο *miseri reprobi* nomine male traduci putat, cui potius benevolam cum filiis in alterum mundum receptionem 1 Sam. XXVIII, v. 19, verbis hisce, *cras eritis mecum*, Samuel promiserit, quique in typo tantum, ut Ismael & Esavus, fuerit reprobatus, &c.

Opus ipsum duabus partibus absolvitur, quarum prima spectrorum ac sagarum possibilitatem, altera existentiam Glanvilius demonstrat. Et in priori quidem ita se gerit, ut comprobata sententia sua, non Websteri tantum, sed Reginaldi etiam Scoti objectiones refellat, ac Simoni quoque Episcopio sagarum non existentiam quidem, sed cum dæmone commercia neganti respondeat. Ubi tametsi ingenium Auctor ac eruditionem passim prodit, non dissimulandum tamen, inspergi paradoxa quædam, & Platonicam potius quam Christianam

scholam

ſcholam ſapientia. Ex Platonicorum enim hypotheſi, quam Henricus Morus tam in Enchiridio Metaphyſico, cujus ultima capita de natura Spiritus primæ parti præſentis Operis Anglicæ appendicis in modum annexa ſunt, tum peculiari libro de anima, Operibus ejus Philoſophicis inſerto, ac ſeparatim Roterodami anno 1677 excuſo, interpolare aggreſſus eſt, animam humanam non omnis plane materiæ expertem eſſe, & quando a corpore ſeparata eſt, certo quodam vehiculo aerio ſeu ætherio gaudere exiſtimat. Unde ubi de ſagarum per aera ad nocturnas epulas tranſvectione agit, & explicare rationem nititur, qua fiat, ut vulnera ſagis, quando ſelis aut alius animalis formam induerunt, inflicta in earundem proprio corpore poſtea deprehendantur; ſtatuit animas quidem ſagarum tantum per aera vehi, a corpore nempe revera ad tempus ſeparatas, ſed animabus ſuum eſſe vehiculum ſeu corpuſculum aereum, in quo ope phantaſiæ figuras quas velint formare, ac vulnerari etiam poſſint; ſic ut ejusdem phantaſiæ vi vulnerum veſtigia, quando anima corpori redditur, vero etiam corpori imprimantur. Quod minime abſurdum videri putat poſſe, ſi in gravidis mirandam vim phantaſiæ in fœtum, cujus tot exempla exſtant, animo reputemus. Porro cum de lactatione Dæmonum ſeu ſpirituum familiarium agit, etſi ſubeſſe huic negotio ſacramentum aliquod Diabolicum agnoſcat, non abſurde tamen ſtatui cenſet, & Dæmonem nutrimentum quodcunque ex lacte ſagarum capere, & viciſſim ſagis virus quoddam inſtillare, phantaſiæ penitus corrumpendæ idoneum. Quid quod alibi, cum Chriſti animam Patriarchis in Veteri Teſtamento dicit apparuiſſe, dogma quoque illud de animarum præexiſtentia Orthodoxis dudum damnatum, non potuit non præſupponere.

Parte ſecunda Auctor exiſtentiam ſpectrorum, ſagarum, & Spirituum tum argumentis probat ex Scriptura S. deſumptis, tum exemplis. Argumenta deprompta ſunt 1 ab apparitione Angelorum bonorum, Geneſ. 16. 18. &c. 2 ab apparitione Spirituum malorum, Pſalm. 78. v. 49. Job. 1. v. 7. &c. 3 ab Energumenis, Matth. 10. v. 1. 8. v. 16. &c. 4 ab exemplo Magorum Ægyptiorum. 5 ab exemplo ſagæ Endoreæ. Quorum extremum dum a Webſteri exceptionibus vindicat, animamque Samuelis revera, non cum terreſtri tamen corpore, ſed ſolo æthereo vehiculo ſuo ad formam corporis expreſſo

expresso comparuisse comprobat, sagam nec opera impostoris cujusdam callide subornati, ac Samuelem mentiti, Saulem lusisse; nec ipsam ecstasin patientis speciem præ se ferendo procubuisse humi, vocemque ad sonum, quem Samueli congruum putarit, detorsisse demonstrat. Etsi fatetur, aliorum sententiam, qui Dæmonem ipsum loco Samuelis comparuisse ajunt, nec absurdam esse, nec Websteri argumentis concussam. Exempla vero, quod alterum probationis genus est, producuntur magno numero, quæ in Britannia maximam partem intra unius alteriusve annorum decadis spatium contigerunt, & fide dignorum testimoniis confirmantur; subjecta calci Operis Suecicarum quarundam sagarum Historia ex Germanico in Anglicam translata.

D. JOH. ANDREÆ KUNADI

Paralipomena ad beati sui Parentis D. Andreæ Kunadi Hypomnemata Methodo concionandi subservientia.

Dresdæ, anno 1683. in 8.

EXcidere animis nostris non potest Vir æterna memoria dignissimus, *Heinricus Hopfnerus*, Theologus quondam in hac Philurea primarius. Id enim non sinunt tum scripta ejus consummatam undique eruditionem, acre judicium, candoremque singularem spirantia, eaque edita partim, partim adhuc edenda (quæ utinam blattis eriperentur tandem & publici juris ex destinato Autoris fierent!) tum assectæ ejus scriptis Theologicis in luce publica extantibus clarissimi, archetypum Præceptoris sui exemplar exacte repræsentantes, *Stegmanni* puta, *Hulsemanni*, *Cundisii*, *Kromayeri*, *Geieri*, *Olearii*, *Rappolti*, aliique complures; quos inter non postremo loco collocandus venit *Andreas Kunadus*, patria Dobelensis, Rector primum illustris Portæ, dein Ephorus Leisnicensis, mox Grimmensis, & tandem Theologus Wittebergensis, &, matrimonium ejus si spectes, *Johannis Hopneri*, Theologi ac Superintendentis Lipsiensis gener. Nam & hic γνησιως erat Hopfnerianus, sive in arenam descendendum esset cum adversariis, sive textus aliquis Biblicus per Logicam anatomen esset resolvendus. Documento huic rei sunt cum scripta ejus alia solide ac

cum

cum ἀκριβείᾳ elaborata, tum insignis ejus in epistolam ad Galatas Commentarius, seu *Collegium privato-publicum*, idque XV disputationibus absolutum, & Wittebergæ anno 1662 evulgatum. Doni autem analytici, quod eximium plane in illo erat, locuples testis est, vel solus ejus in Oratoriam Ecclesiasticam commentarius, seu *Hypomnemata*, ut vocat, *methodo concionandi subservientia*, in quibus Studiosos cathedræ Ecclesiasticæ se præparaturos ad brevem succinctamque dictorum Biblicorum ἐξήγησιν manuduxit. Cum enim animadvertisset Vir optimus, Studiosos plurimos in summi Theologi *Hulsemanni Oratoria Ecclesiastica*, velut profundo quodam in pelago nec progredi, nec natare posse, *Hypomnemata* illi hæc sua adjecit, methodumque adeo difficilem nonnullis visam pro ea, qua pollebat, perspicua ac methodica docendi ratione planiorem facilioremque reddidit. Præmisit enim præcepta de methodo necessaria, iisque strictim atque nervose expositis *Dispositiones* methodo suæ conformes in textus Evangeliorum & Epistolarum anniversarios subjecit, fideleque adeo ac nunquam pœnitendum futuris Concionatoribus hodegetam se approbavit. Deerant autem huic opusculo Anno 1677 Dresdæ edito *Dispositiones in ordinarias Festorum anniversariorum Periochas*. Quas cum anxie desiderari intellexisset Filius ejus paternarum virtutum ex asse hæres, Dn. *Johannes Andreas Kunadus*, SS. Theol. D. & Superintendens hodie Ileburgensis, *Paralipomena* beatissimi parentis *Hypomnematis* jam laudatis addidit, hacque laudabili omnino opera, quicquid deesse laboribus paternis videbatur, paterno more h.e. pari facilitate supplevit. Præmisit etiam brevem quidem, sed eruditum, de methodo concionandi discursum, atque usui *Hypomnematis* antehac B. Parentis, ita suis quoque *Paralipomenis necessarios Indices* attexuit.

PARALYSIS FIDEI PAPÆÆ, JUXTA Analysin fidei Catholicæ Gregorii de Valentia, ostensa a Philippo Ludovico Hannekenio, SS. Theol. D. ejusdemque in Academia Giſſensi P. P.

Giſſæ, Anno 1683. in 4.

INter fulcimina Papatus nullum aliud eminit magis quam Papa ipse, quippe quod in hunc ultima fidei analysis in omnibus apud

Papiſtas fiat. Melius itaque de Papatu ſe mereri non poſſe, haud inepte putavit Gregorius de Valentia, Jeſuita non incelebris, quam ſi Papam extolleret magis magisque, & ab ipſo fidem Chriſtianorum atque ſalutem, tanquam ab ipſo fonte, derivaret. Præſtare hoc conatus fuit integris octo libris, quos de Analyſi fidei catholicæ inſcripſit. Sed hanc Analyſin degenerare in paralyſin, ita ut in Eccleſia Romana haud aliter ac in homine paralytico, male ſe habeant & contorte cohæreant omnia, oſtendit celeberrimus Hannekenius in præſenti Tractatu, in quo primum, bona fide, Aſſertiones & Argumenta Adverſarii ſui ubique proponit, deinde his declarationes, & tandem Conſiderationes, uti loquitur, ſuas aut Examen & Refutationem ſubjicit, ut nimirum de mente non minus quam de errore adverſæ partis clare conſtare poſſit. Hæc methodus, hic ſcopus, hic uſus Libelli doctiſſimi utiliſſimique.

WOUNDS OF THE BRAIN, PROVED

Curable. Publiſhed for the Encouragement of Young Chirurgeons, and Vindication of the Author James Yonge,

id eſt,

Vulnerum Cerebri Curatio aſſerta &c. Publicata ad excitandos Chirurgos juniores & vindicandum Autorem, Jacobum Jungium.

Londini, 1682. in 8.

Occaſio, qua obſtetricante libellus hic in publicum prodiit, Medici cujusdam Durſtoni criſis, de Vulnere capitis graviſſimo cum ſubſtantiæ cerebri læſione & perditione, in puero quatuor annorum feliciter a Jongio ſanato, extitit, qua ille, hujus operam ut deprimeret, haud adeo periculoſum, multo minus cerebri, vulnus illud fuiſſe aſſeruerat, ideo quod hujus membri plagæ ſemper & abſolute lethales obſerventur. Vindices itaque has pagellas emiſit Chirurgus, in quibus Læſionis ejusque Curationis hiſtoriam exponit, & in hac prolixis circumſtantiis duas ſatis ingentes utriusque cranii lateris depreſſiones, cum notabilis fragmenti ac portiunculæ cerebri per meninges laceratas ſeparatione atque receſſu, ſine ullis fere ſymptomatis,

ptomatis, brevi a ſe curatas & conſolidatas teſtatur. Quo facto, nullum vulneratum prognoſtico facile relinquendum, hinc nec de Cerebri atrocioribus plagis, utut eas Hippocrates lethales pronunciet, deſperandum eſſe monet, modo illæ ſufficienter, pro materiæ purulentæ ac ſanioſæ egreſſu, pateſcant. *Roonhuyſii* proin atque *de Foy* ſententiam, qua ideo, quod dura mater calvariæ extra ſuturarum etiam tractus, i. e. ubique adhæreſcat, Trepanationem abſurdam atque inutilem volunt, reprobat & per argumenta non minus ac experientiam deſtruit. Quibus demum ultra ſexaginta Scriptorum, Cerebri vulnera non abſolute lethalia, ſed frequentius ſanata, profitentium obſervationes atque teſtimonia ſubnectit, per Epilogum ſatis invectivum Antagoniſtam ſuum dimittens.

RELATION DE LA RIVIERE DES AMAZONES, traduite par Mr. de Gomberville ſur l' original Eſpagnol di Chriſtophle d' Acũna Jeſuite.

id eſt,

Relatio de flumine Amazonum Hiſpanice conſcripta a Chriſtophoro Acugna, ac in Gallicam linguam translata a Dn. Gombervillio.

Pariſiis, 1682. in 12.

TRactatus hujus autor primi voluminis loco prolixam præfationem, quam *Diſſertationem* vocat, præmiſit: cujus ſcopus eſt, ut oſtendat, jus quoddam eſſe Gallis in Americam navigandi & colonias eo mittendi: Id enim ſtatim tentaſſe, poſtquam Hiſpani regiones illas detexerint. Probare hoc nititur ex ipſis Hiſpanorum ſcriptoribus, & inprimis Hieron. Benzonio Italo. Extollit gentis Gallicæ, & præcipue Oleronenſium, maris Aquitanici inſulam incolentium, maritimam peritiam, qua Britannos & Batavos anteiverint, & leges nauticas optimas, quæ ab illis ad Suecos & alias Septentrionalium regionum gentes delatæ fuerint. Cum itaque Galli ad latus Americæ Orientale, inſulam Cayenam, fluvio cognomine a continenti ſeparatam, jam a longo tempore poſſideant, animum eis, aliisque Gallis, facere videtur, ut majora tentent. Id metuiſſe dudum Hiſpanos putat,

nec aliam ob causam Christophori Acugnæ librum, quem nunc a Gombervillio ex Hispanico Gallice versum exhibet, suppressum esse. Hunc enim in finem Acugnam ad explorandas illas regiones, & imprimis celeberrimum Amazonum flumen A. C. 1639 ab Hispaniarum Rege destinatum fuisse, ut stationes navium a Gallorum, Anglorum & Batavorum incursu tutiores, & novam commerciorum viam inter Peruviam & Brasiliam indagaret. At postquam defectione Lusitanica A. C. 1640 Brasilia Hispanorum potestate excidit, & Para, Golonia & munimentum Lusitanorum, ad ostium Amazonii, scopo illi jam servire non posset, satius visum Hispanis, relationem Acugnæ adnotitiam æmularum nationum non pervenire; ita factum, ut nullum libri exemplum, nisi forte in Bibliotheca Vaticana, supersit, præterquam illud, ex quo Gombervillii versio facta est. Constare vero ex scriptore hoc dicit, fabulosa esse, quæ de Maragnono fluvio, de regione aurata (*Dorado*) de ingenti Parimæ lacu, aureum fabulum habenti, sive in libris narrent, sive in tabulis describant Hispani. Hæc & alia dissertationis capita primum tractatus volumen faciunt.

Succedit *Acugnæ historia*, in duas partes divisa. Fatetur tamen qui edidit Anonymus, ab interprete Gallo ex vetustioribus Scriptoribus interpolata esse priora capita, in quibus Pizari & Orelliani navigatio A. C. 1539 cœpta describitur. Ex his Orellianus miserrima morte ulteriorem indagationem prævenit: periit etiam Petrus Orsua in eodem conatu A. C. 1560. Nec mitius fatum experti sunt duo Jesuitæ A.C. 1606 ab accolis, dum Christianam religionem prædicarent, necati. Frustra etiam fuisse scribitur Franciscus Coellus, Paræ supradictæ Præfectus, qui A. C. 1634 fluminis investigationem tentavit. At eodem tempore monachi duo Franciscani ex regione Peruviæ Quitensi secundo amne ad Param usque vecti, barbaros humanæ carnis devoratores reperisse se affirmarunt, sed cum monachi isti indocti & rudes essent, nihil relatione dignum observare aut referre potuerunt. Horum tamen qualicunque narratione motus Brasiliæ Gubernator Lusitanus, Petrus Noronia, A. C. 1639 Petrum Texeiram centurionem, cum lintrium classe, quæ 70 milites Lusitanos, & 2000 fere Americani generis homines utriusque sexus vehebat, adverso flumine submisit, qui post annum integrum ad Quitum, Hispanorum (sive Castellanorum) urbem in Peruvia Septentrionali, pervenit, a la-

a lætantibus quidem in speciem Hispanis Quitensibus exceptus, sed utriusque gentis, uni licet tunc Regi Hispanorum subjectæ, æmulatione, parum comiter, eo tamen prætextu remissus, ut secundo flumine Param, unde venerat, delatus, accuratius cursum ejus, & situm regionum exploraret. Additi vero sunt Hispani comites, ipse hic scriptor *Acugna*, cum socio Andrea Dartieda, qui diligenter omnia observarent, & ad Regem referrent. Discesserunt ex colonia Quitensi Januario mense A. C. 1639, & enavigato fluvio post menses decem Patam attigerunt.

Oritur vero flumen, quod Maragnoni & Orelliani, plerumque autem Amazonum nomine nosci cœpit, haud procul Quito in montibus; plurimisque & magnis amnibus ex utraque ripa acceptis, cum per leucas Hispanicas 1356 cursum ab occidente in orientem continuavit, ostio 84 leucas lato & innumeris insulis repleto in Oceanum præcipitatur, servato aquarum suarum alveo & dulcedine ad 30 leucarum spatium: Æquatoris lineæ fere parallelus 3, 4, aut ad summum 5 gradibus meridiem versus ab ea divertens. Præferendus itaque maximis orbis terrarum fluviis. Ad 600 fere leucarum spatium orgyias 30 aut 40 profundus est, habetque abyssos, quæ mensuram non admittunt. Accolis & navigationis commodum, & piscium mirabilem copiam suppeditat, inter quos optimi & sapidissimi habentur, quos indigenæ *Pege Buey*, Galli *Lamantins* vocant. Eorum pinguedo butyri vicem præstat. Aqua fluvii salubris & incorrupta in navibus longissimo durat tempore. Testudinibus magnis plenus est, magna scuta in dorso gerentibus. Has capiunt, percussa cum ingenti sono aqua stupefactas. Regionum adjacentium & modicis clivis assurgentium summa perhibetur fertilitas, aer temperatissimus & salubrior, quam in tractu Peruviano. Refrigeratur enim ab altissimorum montium perpetua nive & flantibus inde ventis; sic falsi convicta antiquitate, quæ regionem Zonæ torridæ inhabitabilem credidit. Perpetuo viret terra, sed hyemis loco inundationes habet. Materiam ædificiorum flumen suggerit, cedros ripis abrasas devehens, quas *cordelieres* sive cingula vocant. Fluitantes ita arbores accolæ, ut lubet, sistunt & usibus suis aptant. Gossypii, Tabaci & Sacchari magnus proventus est. Radices in cibum & potum sufficiunt. Auri feracissimas esse provincias illas & celebratissimis Potosi fodinis opulentio-

res, ſperant potius, quam demonſtrant, qui hæc referunt, ab incolis, ut plurimum mendaciſſimis, forte deluſi. Circuitus regionum harum, quas 150 diverſis nationibus inhabitari perhibent, ad 4000 leucas computatur. Incolæ feri & fortes ſunt, ſed Europæis minime comparandi; arma habent miſſilia ex ligno, (carent enim ferro & ære) eaque tanta jactant vi & ſolertia, ut hominem ſtatim transfodiant. Scuta ex juncis vel ex piſcium corio contexunt. Commercium omne in lintribus exercent, ex cedris cavatis igne aut lapide, niſi ferramenta a peregrinis accipiant. Nudi incedunt, nullo pudore: idola parva, ſibi ipſis ex ligno fabricant, ciſtis incluſa ſervant, variisque rebus præficiunt, ita ut aliud belli, aliud fertilitatis vel alia cauſa venerentur; nec id faciunt, niſi cum opus auxilio eorum habere ſe putant. Videntur tamen Deum aliquem idolis illis ſuperiorem, & mundi dominum, agnoſcere, nec advenis de eo loquentibus fidem denegant, ut non difficile habeatur, eos ad religionem Chriſtianam permovere, niſi Hiſpanis & Luſitanis (ut queritur ipſe ſcriptor Acugna) id potius cordi eſſet, ut ſub variis prætextibus gentem opprimant, & captis pro mancipiis utantur. Incantatores aut impoſtores ſacerdotum, magiſtratuum & medicorum loco habent, inter quos ſunt, qui ſe Deos eſſe jactant. Mortuorum corpora quidam ſemper aſſervant, alii comburunt. Exequias plurimis diebus magno ploratu, dein potu immodico celebrant, qui ex radicibus fermentatis non minus, quam vinum aut aliæ, quibus nos utimur, potus ſpecies inebriat. Affabiles etiam & hoſpitales eſſe ſcribuntur, quique bello captos clementer tractent, nec niſi in quibusdam regionibus, & raro oſtentandæ vindictæ cauſa devorent. Induſtrii ſunt ad lignea & figlina vaſa affabre facienda. Auri nullum uſum ſciunt, quam ad narium & aurium ornatum. Corpora habent bene compoſita, colore olivæ, ſed Braſilianis minus fuſci ſunt. Conſtanter affirmant, & nanos, & gigantes in regionibus his reperiri, & qui pedibus retrorſum verſis naſcantur, neque dubitandum de mulieribus, quæ in altiſſimis montibus habitant, advenas ſagittis repellunt, & Amazonum exemplo ſingulis annis ad vicinos deſcendunt, virisque ſe permittunt: incertum tamen eſſe, an mares, quos pariunt, interficiant, an patribus remittant. Hæc & plurima alia, cum locorum & gentium horridis nominibus refert Acugna, ejusque interpres, multaque notat, ex quibus

bus Geographicæ tabulæ corrigi poſſent. Subjungit invectivas in Europæos, qui media negligant, homines illos ad Dei cognitionem & mores meliores quibus facile videantur imbui poſſe, placido modo & bono exemplo adducendi: imo eos perſequantur aut vitiorum ſuorum contagione pejores efficiant. Tantas vero opes provinciis illis ineſſe ſtatuit, ut toti orbi ditando ſuffecturæ ſint, omnesque adeo nationes ad colendas illas terras invitat. Oſtendit etiam commoditatem coloniæ novæ & quæ Paræ præferri poſſit, in æſtuario fluminis, inſula nempe quam Solis vocant, conſtituendæ. Cæterum magna hujus tractus pars Goyana vocatur, inter Orenoquium & Amazonum fluvium, cujus promontorium, ſub nomine *Capitis del Nort*, nautis celebratur.

Partem denique hujus tractatus conſtituit *Relatio Joh. Grilleti Jeſuitæ ad Præpoſitum ſuum* ſcripta, cum diario itineris A. C. 1674 ex Cayena inſula in mediterranea ſuſcepti, ad explorandas gentes quasdam intra tres gradus latitudinis æquinoctialis habitantes. Miſerrima fuit hæc profectio, tum ob navigationis periculum, cum lintribus amne Cayena, & poſtmodum Uuia ſubvecti, cataractis & ſaxis impedirentur, ita ut lintres aliquoties extrahere aquis, & per montium & ſylvarum invia bajulare cogerentur; tum ob ſummam omnium rerum penuriam. Comites quosdam & viæ duces habuere ex Galibum gente, quæ oram maritimam incolit, quorumque linguam aliæ nationes intelligunt. Adierunt per 170 leucarum ſpatia aut anfractus, Noraguios & Acoquas, ad fines usque Merciuſorum. Repererunt autem exiguum, pro locorum vaſtitate, incolarum numerum, caſis viliſſimis & diſperſis habitantium, tenuique victu ex radicibus, ſicut alii earum regionum homines, vitam tolerantium. De moribus quæ referuntur, hæc fere ſunt: Dei quandam notitiam habent, ſed rudem admodum, ita ut corporeum potius, quam ſpiritum eſſe concipiant. Dæmones eſſe fatentur, ſed ejus naturæ, ut a medicis ſeu ſacerdotibus ſuis, nugatoribus inſulſiſſimis, pelli, imo & occidi poſſint. Idololatria fere carent. Animam ſuperſtitem corpori eſſe opinantur. Polygamiam licitam habent, neque tamen omnes affectant. Concordes ſatis cum ſuis & inter ſe vivunt. Ineptiſſimum morem, qui Septentrionalibus quibusdam populis tribuitur, aliqui ſervant, ut mariti, quando uxores pepererunt, decumbant, & gratulationes

tiones aliaque, quæ puerperis exhibentur, accipiant. Industrii sunt & laboriosi; viri piscatione & venatu occupantur, fœminæ domus & victus cura, & concinnandis lectis pensilibus, quos *Hamac* vocant, quique in Europa jam satis noti sunt. De auro sive metallo (generis enim nomen omnibus speciebus tribuunt) & de aurifodinis interrogati, nihil quod responderent, habuerunt. Ferramenta maximi faciunt, iisque oblatis faciles ad omnia se præbent. Barbaries tanta illis non est, quanta vulgo creditur. Agnoscere videntur justitiam, & naturæ legem de mutuis officiis; & de religione Christiana loquentes Jesuitas non illubenter audierunt. Memorat autor imitatos esse quosdam ex barbaris, juniores præsertim, cantum Ecclesiasticum, & formulas orandi B. virginem, crucis etiam signum formasse: permisisse dein, ut ex adultis unus & alter, atque infantes quidam, sed lethaliter decumbentes, baptizarentur. Conferentibus hæc cum Acugnæ historia apparebit, satis convenire mores & instituta gentium; sed jactata ab illo terræ felicitas & incolarum frequentia, in hac Gallorum peregrinatione non reperitur. Subjicitur tandem brevis Goyanæ descriptio, de qua supra jam aliquid dictum est.

BREVISSIMÆ JURIS CANONICI INSTITUTIONES præcipuis illius Definitionibus ac Divisionibus contextæ.

Paris. 1682, in 12.

NOn bene studiis suis consulunt, qui in addiscenda Jurisprudentia initium ab enodatione controversiarum ac conciliatione textuum faciunt, antequam terminos ipsos, ex quibus propositiones Juridicæ constant, eorumque significationes technicas intelligant; cum hoc pacto fieri aliter haud possit, quam ut, si in diversos autores incidant, vocabula juris diversimode accipientes, confusam juris notitiam firmiter hærentem, nec facile emendabilem sibi comparent. Unde optandum foret, ut cuilibet disciplinæ, more eorum, qui Matheſin profitentur, præmitteretur brevis ac succincta, methodica tamen vocum technicarum explicatio. Id enim uti brevi temporis spatio fieri poterit, ita apparebit, hac leviore via ingressos studiosos maturius ad id perduci, ad quod ea neglecta serius istis fuisset progrediendum.

Et

Et hæc etiam ratio fuisse videtur, quæ Autorem præsentium Institutionum Juris Canonici, ut easdem conscriberet, commoverit. Quæ uti nihil nisi terminorum in Jure Canonico occurrentium Definitiones ac Divisiones proponunt, atque perspicuitate pariter ac brevitate sese commendant; ita etiam ob hanc causam laude dignus est autor, quod methodo in iis usus fuerit proxime ad ordinem Imperialium Institutionum accedente, neque adeo vel Pontificum, quam in compilatione Decretalium adhibuerunt, vel Lancellotti dispositionem fuerit secutus. Postquam enim de Jure Canonico in genere quædam præfatus esset, *Libro I* de Jure Personarum tractat, ibique personarum Ecclesiasticarum, ut & Judicis ac arbitrorum Ecclesiasticorum differentias, officia, constitutionem, & contraria exponit. *Libro II* Rerum Divisionem aggressus, summariter eas in spirituales & temporales distinguit; ad spirituales Sacramenta 7 (ex hypothesi videlicet Pontificiorum) tum & alias res sacras ac religiosas; ad temporales vero decimas, primitias, & oblationes referens, iisque tractationem de beneficiis & Jure Patronatus subjungens. *Liber III* obligationes ex contractibus & delictis exhibet. Unde hic de pactis & contractibus in genere, tum de contractuum speciebus singulis secundum ordinem Justiniani agit. His deinde ultimarum voluntatum tanquam (ut ipse loquitur) contractibus accedentium, & ultimis voluntatibus sepulturarum (quod eæ plerumque in testamentis eligantur) considerationem annectit. In delictis ab iis, quæ Divinam majestatem lædunt, ad ea, quæ proximo damnum inferunt pedem promovet, tractationem pœnarum Canonicarum iisdem adjiciens. Denique in *quarto ac ultimo Libro* capita singula processus qua civilis qua criminalis summariter delineat, & ita finem opusculo imponit. Eos igitur qui Autoris hujus tradita sedulo imbiberint, cum fructu non pœnitendo lectionem Decretalium, vel eorum, qui super Decretalibus commentati fuerunt, accedere posse, nulli dubitamus.

RECUEIL de VOYAGES de Mr. THEVENOT.

seu

Syllabus itinerum Thevenotii, dedicatus Regi.

Paris. Ann. 1681. in 8.

APpendix hic libellus est majoris Operis in quatuor partes distributi, quo complurium itinerum Relationes, Scriptaque alia res Orientis illustrantia, quorum index tribus paginis constans præfationi Opusculi hujus subjicitur, typis Thevenotus particulatim edidit. Continentur vero & hoc libello tractatus & dissertationes non unius generis, plura quam titulus promittit exhibente. I *Tabula navigationis Abelis Tasmanni*, ad oram terræ Australis, ex qua autor deducit, partem Javæ meridionalem non adhærere, ut creditum est, terræ alii, sed a Tasmanno circumvectam, atque ita insulam esse. II *Iter Marquettæ & San-jollieti* Jesuitarum ex nova Francia sive coloniis Gallorum in America Septentrionali, in partes occidentales Ann. 1673, per varia flumina, inter quæ maximum *Missisipy* vocatur, suscepturn, in quo plurimas gentes, antea fere incognitas, aut parum exploratas adierunt. Sed cum iter hoc ultra quatuor menses non duraverit, & annis postea secutis, *Ludovicus Hennepinus* ineasdem regiones, & ulterius delatus, inque iis ad triennium usque versatus, ampliorem historiam ediderit, cujus excerpta *Acta nostra* exhibebunt, superfluum visum est, ex brevi hac commentatione multa referre. Urbanitatem saltem barbaricam notare libuit, quam quidam, qui se *Ilinos* id est homines vocant, aliis scil. ob ingenium & mores præferendos, Marquettæ & socio in convivio exhibuerunt. Erat nempe, qui hospitibus frusta cibi, vilissimi licet, ita ingereret, ut pullis avium fieri solet. Inter fercula, quatuor in universum, canis assatus erat, summis in deliciis populis illis habitus: quem tamen, hospitum gratia, eum aversantium, amoverunt. De usu quoque fistulæ, qua tabaci fumus attrahitur, quam *Calumetum* vocant, mira narrantur, utque ea non tantum in conviviis & choreis, sed & caducei loco in negotiis publicis bello & pace, adhibeatur. III *Historia itineris, quod Legatus Moscoviticus, Ann. 1653, in regiam Tartarorum Cambalu, sive Peguinum Chinense*, suscepit. Ex hac Tabularum Geographicarum errores autor eruit. Memoratur v.g. *Irtis* fluvius, quo ex *Tobolo* metropoli Syberiæ egressus legatus ultra quatuor septimanas navigavit, antequam in *Obin* deferretur. At Irtim, ait, in chartis vel frustra quæri, vel male notatum inveniri. Dein oppida plurima inter *Jeniesium* fluvium usque ad promontorium *Tabinum* collocata, aut non reperiri, aut manifestæ falsitatis argumento, bis poni, primo sub gradu 55, dein sub 42; nec recte murum Chinensem notatum esse. IV

Disser-

Dissertatio ad rem nauticam pertinens, in qua quinque problemata ab autore proponuntur. (1) de constructione libellæ perpendicularis ad Horizontis rectitudinem observandam, quam ex fistula pellucida vitrea fieri posse existimat, humore puro, nec frigori cedenti, (e.g. spiritu vini) repleta, eamque appositæ figura describit. (2) hujus ope elevationem poli exactius indagari posse statuit, etsi Horizon videri non possit. (3) modum suggerit ad mensuram graduum cœli cum milliaribus terræ exæquandam & computandam, quod difficulter fit ob basium trianguli brevitatem. Basin itaque convenientis magnitudinis in maris littoribus glacie concretis, a *Suecia ad Curlandia* oram designari posse sperat, si cura & sumtus regum accedat. (4) modulum inveniendum esse monet, quem omnes nationes capiant ad metiendas leucas, aut alia spatia, certius quam per palmas, grana, crines, aut per pedem Anglicanum, quem *Gravius* pyramidibus Ægyptiacis inscripsit, aut pendulæ ope, quam alii commendant. Putat autem cellulas in favis apum, id mensuræ suppeditaturas esse, cum eadem dimensione in plurimis & dissitis provinciis reperiantur; prius tamen explorari debere, an ubique v. g. in *Ægypto, Moscovia, Mexicana regione*, eodem modo se habeant. Digreditur hac occasione ad observationem figuræ sexangularis, quæ in favis accurate servatur, & aptissima est ad implendum aliquod spatium, sive pavimentum sine interstitiis vacuis, & Philosophorum speculationem de figuris solidis, spatia solida replentibus, solertia apum confundi notat, de qua merito dici possit: *in tenui labor; at tenuis non gloria.* (5) Declinationem magnetis ulteriori observatione egere docet, neque superioris seculi inventioni tribuendam esse monet, allegata epistola manuscripta cujusdam Petri Adsigerii, qui jam anno 1269 quinque graduum declinationem observaverit. Addit ex sua observatione per annos fere quindecim, haud procul Lutetia habita: variare acum singulis pene annis, & aliquando longius, aliquando propius a linea discedere, aliquando locum immotum tenere. V Accedit ex alio scientiæ genere, *Sectio & descriptio*, additis figuris, *insecti*, quod Aristoteles *Ephemeron* vocat, & uno die nasci & mori credidit. Sed hic ostenditur, non nasci, sed prodire ex verme, in cœnosis Rheni & Vahalis ripis per annos tres latitante, paucisque inde horis vivere. Additur tunica *Eruca* mirabilis structuræ, accurate depicta; tum *Cancelli* marini anatomia, & tandem index plurimo-

rum inſectorum, multarumque partium ex animalibus, quæ raritate memorabili aſſervabantur in celebri armario *Swammerdami*, Doctoris Medici, ejusque patris; quod tunc Amſtelodami venum proſtabat. Præfatio opuſculi præter quædam jam notata, aliaque lectu digna, tractat etiam quæſtionem vexatam de via terreſtri, qua homines in Americam provenerint. Accedit vero autor eorum ſententiæ, qui Iſthmos, per quos via patebat, inundationibus ſubmerſos fuiſſe ſtatuunt. Id vero fieri poſſe & debere oſtendit, maris ſuperficie, ob centri terreſtris mutationem, quæ varias cauſas habere poſſit, librata, & in terras adjacentes expulſa, alicubi etiam retracta: quod acciditſſe exiſtimat in Gallia, ubi irrefragabiles notæ evincant, Oceanum ad Lutetiam usque pertigiſſe, qui nunc 40 leucis ab ea diſſitus ſit.

LETTERE DI GIAN PAOLO OLIVA, Soc. Jeſ. Tomo II.

Sive

Johannis Pauli Olivæ, Soc. Jeſ. Epiſtolarum Tom. II. Venetiis. 1683, in 4.

ENcomii, quod primo harum Epiſtolarum Tomo in Actis menſis Aprilis proximi tribuimus, pœnitere nos non poteſt; Admirabilis enim in hoc quoque tomo apparet eloquentia & elegantia, cum inventionis & judicii acumine. Continet autem epiſtolas 432, incipiendo a 568, & finiendo in milleſima. Rogamus hac occaſione Lectores Benevolos, ut mendum in recenſione Tomi Primi admiſſum corrigant: Irrepſit enim numerus 5651 pro 568. totidem enim nec plures epiſtolæ in primo illo tomo habentur.

HISTORIA DELLE GUERRE D' EUROPA arrivate dall' Anno 1643, in ſino all' anno 1680, deſcritta da D. Pietro Gazzotti.

Sive

D. Petri Gazzotti Hiſtoria bellorum in Europâ ab A. 1643, ad an. 1680, geſtorum, deſcripta a D. Petro Gazzotto, & dedicata Sereniſſimo Mutinæ Duci Franciſco Eſtenſi. Venet. 1681. in 4.

Opus

OPus hoc hiſtoricum pro immenſa materiæ amplitudine, compendioſum dici poteſt, & autoris eloquentia & judicium in eo cum laude deprehenditur, quod & concinne ordinavit diffuſa, & terſe atque perſpicue elocutus eſt. Nec ingenuitas ejus diſſimulanda, qua Lectorem monet, Titulum latiorem contentis eſſe, non ſuo propoſito, ſed ob preces Typographi, quibus moveri ſe paſſus ſit ad illam epigraphen, cum ipſe non aliam libro præfixiſſet, quam *de bellis inter Gallium & domum Auſtriacam.* Sed excuſationem hanc tanto facilius tueri poteſt, quia occaſione illorum bellorum nihil non commemorat, in aliis Europæ partibus geſtum, non bello tantum ſed & pace, atque ita plurima relatu digniſſima exhibet. Diſtributum eſt volumen in partes duas. Prima incipit a morte Ludovici XIII Galliarum Regis, & progreditur ad narrationem uſque Pacis Pyreneæ, & congreſſum Regum in finibus utriuſque regni An. 1660. Altera abſolvuntur reliqua, uſque ad Pacem Neomagenſem & finem anni 1679. De ſtylo jam diximus, neque de veritate quæ anima hiſtoriæ eſt, dubitandi cauſa apparet. Errata non pauca in orthographia nominum præcipue extra Italiam, quivis facile deprehendet, ſed &, ſi peritus locorum & hominum eſt, non difficulter corriget: At imperitos hæc non morantur. Faciles ſunt hi lapſus, linguas præter Latinam & ex ea deductas non callentium, adeoque a pauciſſimis ſcriptoribus exteris alieni.

IL SOLENNE INGRESSO ALLA PROcuratura di San Marco dell' Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo Sig. Girolambo Baſadonna &c.

h. e.

Solennis ingreſſus ad Procuraturam S. Marci Viri Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini Hieronymi Baſadonnæ, duabus epiſtolis deſcriptus in perpetuam hujus fauſti diei memoriam, una cum aliis hac occaſione ſcriptis, colligente & curante Co. Franciſco Damiani.

Venetiis Anno 1683. in 4.

Postea quam vivis superiore anno excessisset *Johannes Maurocenus*, Divi Marci Procurator, quem superstitem adhuc ab *Antonio de Grassis* in *Megaloprepeia Maurocena* mirifice celebratum nuper diximus, id dignitatis atque functionis apud Venetos longe splendidissimæ unanimi Patritiorum ac populi suffragio collatum est excellentissimo viro *Hieronymo Basadonnæ*, absenti licet, & minime tale quid ambienti. Quam D. Marci Procuraturam cum divinitus velati evocatus d. 27 Septembr. ejusdem anni suscepisset, seque sueta magnificentissimi ingressus pompa inaugurari fuisset passus, suarum partium esse existimarunt felicia Italiæ in tractu illo ingenia, illustrem hunc novi Procuratoris introitum longe illustriorem ac magis auspicatum gratulationibus atque ominationibus suis, iisque qua prosis qua versis, reddere. Sed periissent tandem, ut fieri amat, tot egregia tam præclarorum ingeniorum meletemata, nisi quæ dispersa hinc inde jam erant, conquisita undique, inque justum redacta volumen essent a *Co. Francisco Damiani*. Hic enim elogiorum horum & collector fuit & editor, hoc ipso devotissimam animi sui mentem Procuratori approbaturus novo, Charitesque ejus beneficas sibi propitiaturus. Præcedunt in hisce Prosaria, *duæ* videlicet *Epistolæ* perquam elegantes, altera *Christophori Ivanowich*, ad D. Marci Canonici, altera *Vincentii Scipionis*, Prætorii Patavini Cancellarii; *duæ* itidem *Orationes panegyricæ* coram ipso Procuratore novo habitæ, altera quidem a *Johanne Baptista Magnavini*, Cive Veneto, altera a *Francisco Sylvani*, Academico pacifico & Paragonista. Quod *Epistolas* attinet, prima pompaticum Basadonnæ ingressum non indiserte describit, cui altera respondet hieroglyphice pompam omnem exponens, laudesque exinde novi Procuratoris ingeniose exsculpens. Quod *Orationes*, prima Basadonnam dignissimum hoc munere tum ob natales splendidissimos, tum ob vitam virtutibus meritisque maximis conspicuam ostendit. Ex majoribus autem duos saltem *Johannes Basadonnæ* repræsentat, quorum unus, proavus *Hieronymi* hujus, Venetæ Reipublicæ ad Carolum V Hispaniarum, ad Franciscum I Franciæ regem, ad Maximilianum Sfortiam, & Paulum III Pontificem Orator extitit, postque obitas summa cum laude legationes, volumen Dialogorum, abstrusam undique Philosophiam de se spirantium, conscripsit; alter, patruus ejus, Oceanum omnem fuit emensus, Utinam etiam defensavit, Bresciam

ſciam reſtauravit, ſenatusque concilium per biennium ſolus & unus ſuſtinuit. Sed nec propria *Hieronymi Baſadonna* tacentur facta atque merita; referuntur quippe in eadem oratione ejus ſtudia, virtutes, atque honores hactenus geſti, Senatoris videlicet, Decem-viri, Prætoris atque Conſiliarii; ex quibus & non vane conjicit Orator fore, ut ad Principalem aliquando dignitatem evehatur. Oratio altera ejusdem propemodum eſt argumenti, niſi quod in laudes quoque fratrum trium, *Petri* imprimis, Cardinalis Romanæ Eccleſiæ, nec non *Johannis* & *Antonii*, qui & ipſi duo Reipublicæ Venetæ ſunt lumina, ut & filii *Ludovici* evagatur. Orationibus proxime & longa quidem ſerie ſubjiciuntur carmina Italico partim, partim Latino idiomate conſcripta, inſcriptiones item valde argutæ, anagrammata, aliique luſus poetici complures. Quorum autores uti tum ingenioſæ inventionis, tum ſcitæ dictionis certamen inſtituiſſe quoddam videntur, ita plurimi tam Hieronymo Baſadonnæ, novo D. Marci Procuratori, quam fratri ejus Petro, Cardinali, ſummum faſtigium, huic quidem in ſede, ut vocant, Apoſtolica, & illi in Republica Veneta, & augurantur & apprecantur.

MENS IMMORTALIS,
contra Atheos Scepticosque demonſtrata a Johanne Eberhardo Schwelingio.
Bremæ. 1683, in 12.

MEntis immortalitatem firmioribus ſua opinione rationibus, quam ſectarum aliarum philoſophi hactenus fecerunt aut præſtare poſſunt, aſſerturus Dn. Schwelingius J. U. D. ejusdemque ut & Philoſ. in Gymnaſio Bremenſi Profeſſor, methodo Philoſophiæ Carteſianæ procedit. Varia itaque demonſtrationi ſuæ præſtruit. *Primo* abjicere jubens omnia rationis ac ſenſus præjudicia fallacia, ponit primam veritatem: *Cogito*; *ergo exiſto*. Hanc, ait, indubitatam unice reddi a viſione intellectuali ſive evidentia vel clara diſtinctaque perceptione; hinc que infert, infallibile omnis veritatis criterium eſſe: *quicquid clare diſtincteque percipitur, verum eſt*. Hoc cum cognito Deo manifeſtum fiat a priori, *Secundo* Numinis demonſtrat exiſtentiam, eſſentiam, atque attributa nonnulla ſcopo Tractationis ancillantia.

DEI

DEI existentiam probat (1) ab idea vel clarissimo distinctissimoque conceptu DEI h.e, entis perfectissimi in nobis. (2) a dependentia illius ideæ entis perfectissimi, ab ente perfectissimo. (3) a productione & conservatione sensibilium creaturarum. Attributa, esse spiritum (vel rectius mentem) æternum, omniscium, optimum, sanctissimum, justissimum, omnipotentem, veracissimum, & reliqua, ex conceptu perfectissimi colligit. Ex quo porro deducit, omnia a DEO ceu Creatore, ceu Conservatore, ceu Directore, h.e. (ut ex hypothesi Reformatis accepta explicat) Præmotore ac Cooperatore pendere, ipsumque scientia & operatione (qui tamen modus adessendi divinus neq; Theologis Reformatis sufficit) in omnibus esse. Præ cæteris probe vult observari, cum substantiæ omnium rerum a solo Deo creatæ sint, perque continuationem virtutis creandi unice conserventur, nullas earum posse desinere in existendo durante illa creandi vi: proinde solum DEUM aliquid etiam nihil facere; philosophis autem uti de nova creatione, ita etiam de annihilatione temere h.e. citra experientiam, rationem, aut DEI ipsius testimonium non loquendum esse. Ex summa DEI veracitate, qua fallere ipse non potest, mentibus hominum potentiam convenire rebus accurate conformem, qua infallibiliter judicare possimus, res id esse, quod in mente nostra per intellectum revera, h.e. clare & distincte cognoscimus. Quare conscientiæ vel rationis dictamini ceu voci divinæ parere singulos teneri.

Tertio Animæ, (rectius Mentis, quia minus ambigua vox) cum existentiam, tum essentiam adstruit. (1) quia existere mentem nostrã, a corpore revera distinctam, nullo modo reddi dubium potest. (2) quia sine extensione vel corpore anima rationalis se potest cognoscere: Ergo extensio vel corpus non pertinet ad essentiam ejus. (3) sine cogitatione anima rationalis se nequit cognoscere, estque cogitatio omnium animæ rationalis attributorum realium primum, quo ea necessario est id quod est: Ergo cogitatio est essentia animæ. (4) ex actibus mentis cogitationes indicantibus, qui sunt colloqui, scribere, æstimare gestibus & lingua res mere incorporeas, quas inter DEUS: numeros addere &c. Exinde suapte sponte fluere docet, mentem in genere (cum ea sit res a corpore realiter & essentialiter distincta) esse substantiam essentialiter adeoque intrinsece mere cogitantem. Hic voce cogitationis monet non intelligendum esse actum aliquid cogitandi

tandi vel cogitandi certum objectum (qualis cogitatio accidens mere contingens eſt) ſed actum duntaxat cogitandi, ad quem mens ſe habeat mere ſubjective, non cauſaliter, qualis ſpectat ad eſſe mentis ſubſtantiale, diciturque cogitatio ſubſtantialis, uti v.g. igni focali eſſentiale eſt non calefacere hoc vel illud circumſtans, ſed calefacere; Corporis autem eſſentiam ponit in extenſione per ſe ſubſiſtente. Ex Eſſentia mentis cogitatione deducit (1.) ſimplicitatem, i.e. negationem compoſitionis ex partibus realiter ab invicem diſtinctis; (2.) duas Facultates, quibus mens independenter a corpore aliquid poteſt. videl. Intellectum per quem res ſibi in imagine repræſentare; & voluntatē, per quam intrinſece ad agendum ſe determinare valet; (3.) exiſtentiam peculiarem a corporibus; (4.) mentes eſſe nullibi locorum, eſſe tamen præſentes ſibi, i.e. in ſe & apud ſe; præſente objectis variis cogitatis, rebus in quas operantur, & a quibus juxta DEI voluntatem patiuntur; (5) mentem non poſſe agere extra ſe in corpus vel in alias mentes phyſice, i.e. actione a ſe proficiſcente & paſſum contingente, ſed agere duntaxat ad extra moraliter, dum quod ipſa ſerio vult, Deus phyſice divinæ ſuæ voluntatis efficacitate peragit: neque viciſſim ullum corpus poſſe in mentem agere phyſice (quod iterum repetit veluti præcipuum hujus diſputationis cardinem). Similiter hinc patere putat, reciprocam animi ac corporis noſtri actionem & paſſionem unice fundari in voluntate divina, nec a mente phyſice moveri membra corporis, ſed moraliter, dum ille, quem mens ſerio vult motus, propter conjunctionem animæ & corporis, DEO ita volente, adeſt. Quod animæ & corporis in unione commercium prolixius declarat, ſupponens corpus noſtrum eſſe automatum hydraulico-pneumaticum, cujus craſſiuſculæ partes inter ſe venis, arteriis, nervis horumque propaginibus, aliisque ſubtilioribus ſive roriferis ſive lymphaticis vaſis connexæ, invicem ſe plurimis modis afficiant, moveanturque originarie, partim a corde agente fluvio ſanguinis ad functiones mere naturales, partim a cerebro operante flatibus animalium ſpirituum ad functiones animales: atque illorum ſpirituum animalium e glandula pineali cerebri ſcaturitionem eſſe inſtrumentum occaſionale vel morale, quo mens agit pariturque. Ex quibus dignitatem hominis extollit, qui creaturas reliquas intellectu comprehendit, regit ac determinat; libere omnia agit, loquitur, imaginem re-

fert æterni numinis, & exinde æternitatem appetit vivendi apud DEUM, qua nihil novit melius sibi esse. Officium suum ergaDeum capit esse amorem, vel laudem continuam ejus, vel perpetuam erga eum obedientiam.

Quarto ostendere satagit, animas rationales a solo Deo produci ex nihilo, productasque uniri corporibus in utero matris plene organisatis.

Quinto declarat, vitam proprie significare actuositatem, quæ mentibus essentialis & maxime intrinseca sit, ut actuositate negata mentium existentia negetur: Usu communi vero vitam corporum notare conjunctionem automaticam, ex qua, quamdiu incorrupte se habet, functiones oriantur. Ei oppositam mortem esse automaticæ conjunctionis dissolutionem totalem, qualis in sola corpora cadat. Corruptio, pergit, pinguiuscule accepta continet annihilationem & modum desinendi compositione vel divisione. Hæc desitio in mortem, & corruptionem speciatim dictam, quæ est naturalis aut violenta, distribuitur. Compositione ac divisione desinunt corpora duntaxat, vel (quo homo reducitur) res partibus præditæ invicem distinctis. Mors hic opponitur automaticæ conjunctioni. Corruptio speciatim dicta est corporum inanimatorum, quæ mutari possunt variis modis in res alteras, vel propter intrinsecus alterabilia principia, quibus constant (uti ova putrescunt & acescit vinum) quæ corruptio dicitur naturalis, vel ob causam extrinsecus res conjungentem, (uti pharmacopæi sua miscent ægris catapotia) ictuve eas unico valide findentem (uti fulgetris ac turbine arbores & domus prosternuntur) diciturque corruptio violenta.

Sexto, nihil seipso unquam prorsus ad interitum, in creato universo. *Septimo*, teneri quemlibet ratione duce in veritatem ac divinitatem scripturæ consentire.

His omnibus, quæ ad scopum tractationis adipiscendum putavit facere, præjactis, nunc vitam mentium humani generis æternam ac immortalem sequentibus argumentis evincere suscipit.

Primum: Nullo corruptionis genere mens humana perit aut perire potest. Non divisione, quia expers partium, simplex, realiter indivisibilis est: Non compositione, tum quia natura mentis tantum est cogitare, quæ essentialiter manebit eadem substantia, licet ipsi vel

centies

centies centena millia corporum aut mentium aliarum annectantur; tum quia corpora variis constantia partibus realiter distinctis ita sola mutari possunt: Ergo mens hoc ipso quod nulla vel divisione vel compositione mutabilis est, neque mori nec corrumpi potest.

Non desinit anima hominis corruptione speciatim dicta, cum (1) simplex vel incompositа sit; (2) nulla in toto mundo existat causarum naturalium & creatarum animam destruere potens. Non intus latent in mentibus principia, quæ alterari a naturalibus causis eatenus possint, ut mentes per intrinsecam contrariorum actionem desinant, quod sunt, & incipiant quod non erant; Unum enim atque simplex duntaxat mentis est principium, nempe cogitatio substantialis. Non ab extrinseco; quia neque corpora, neque aliæ mentes creatæ physice animam attingere valent. Non corpora; 1. ob naturarum disproportionalitatem vel dissimilitudinem, per quam corpora mentes non attingere, mentesque idcirco nullam corporis alicujus actionem recipere in se vel pati possunt. 2. quia propter dissimilitudinem naturarum ne quidem mentes in corpora possunt physice operari; ergo multo minus corpora in mentes naturali præstantia robur corporis cujusvis superantes aliquid poterunt. Non mentes aliæ possunt nostris corruptionem speciatim dictam inferre; (1.) quia mentes nil ita corrumpere possunt aliter quam componendo & dividendo; Atqui compositione ac divisione mens nulla mutari potest. (2.) quia nulla mens creata agere quidquam potest extra se physice. (3.) nulli corpori auferri potest id, quo corpus est; Ergo multo minus mentibus naturaliter auferri potest, quo mentes sunt. Non possunt mentes a rebus creatis annihilari, cum opus hoc sit Deo proprium. Magis repugnat, eas posse per aliquid ipsis intrinsecum annihilari, quia nihil sibi contrariatur, sed cunctæ res, quæ existunt, habent semper rationem in se, qua sunt id, quod sunt, oppositam rationi, qua possunt non esse quod actu sunt. Quare non possunt nisi per rationem extrinsecam desinere vel non existere. Non denique DEUS annihilat animas; nam non solum frustra id assereretur, sed & repugnaret divinæ justitiæ, sanctitati, sapientiæ, bonitati, gloriæ.

Secundum ex consideratione nostri in utero desumitur. Sicut embryo in loculis maternis non coaluit ad jugiter ibidem hærendum, ubi

neque audire, neque videre, neque cæteras potentias, quibus pollet, explicare poteſt, ſed ad abeundum in ſpatioſiorem locum, quem tuplicis facultatis ſuæ uſurpatio expoſcit: ita mens noſtra, quæ per tenebroſum corporis carcerem, quo concluſa eſt, ſuas in exercendis naturæ viribus quaſi compedes ſentit, e corpore egredi debet &c. præſertim cum libera in corpus effluxerit a DEO.

Tertium eſt Alphonſi Regis, ex decremento Corporis progreſſione temporis, & mentis in perfectionibus incremento.

Quartum, quod ſummatim reliqua omnia complectitur, ſuppeditat notitia ſui ipſius, ex qua homo novit conditionis ſuæ & cauſam DEUM; & officium, vivere DEO; & finem, vivere penes DEUM æternum.

Quintum eſt Platonicorum, a cibo mentis mere ſpirituali ac incorruptibili, ipſa nimirum veritate ac bonitate quam ſitit eſuritque; quo ſuo cibo mentes fruuntur plenius ac vivacius, quo a radice mortis materia abſtrahunt longius. Ita pueri difficilem, faciliorem juvenes, promtiſſimam viri experiuntur intelligentiam & in bene agendo libertatem.

Sextum petitur ex mentis ſtupenda agilitate cogitandiq; celeritate, ratiocinandi ſolertia, diſcernendi, nullaque ad cerebrum & cætera corporis inſtrumenta reflexione facta percipiendi facultate, memoria præteritorum, ac providentia futurorum, artium & linguarum peritia, ex ſtudio virtutis ad famam perennem &c.

Septimum a provocationibus ad vallem Joſaphat; *Octavum* a duplici incommodo; inanes fore gentium religiones, quæ virtuti præmium, vitio ſupplicium ſtatuerunt æternum; malos fore feliciſſimos, bonos infeliciſſimos.

Nonum ex conſcientiæ teſtimonio, quod Epicureos & atheos in articulo mortis vexat. *Decimum* ex conſenſu præſtantiſſimorum Sapientum tum apud gentiles, Platonis, Ariſtotelis, Ciceronis, Senecæ, aliorum, tum inter Chriſtianos qui libris animæ immortalitatem evicerunt, imo gentium etiam barbariſſimarum, Braſilienſium, Guinenſium, Getarum, Ægyptiorum, Virginenſium, Chinenſium, Mexicanarum, Peruanarum, & illarum omnium, quibus ſancta ſepulchrorum cura & religio. *Undecimum* ex hiſtoria Veteris & N. Teſtamenti. *Duodecimum* ex Diaboli confeſſione apud Plutarch. lib. de ſera Numinis vindicta.

Tandem

Tandem rationes adversus mentis immortalitatem pugnantes examinat & refellit.

BENJAMINI a BROCKHOYSEN, MED. & Phil.D. & in Athenæo quod Sylvæ Ducis, Professoris &c. Oeconomia Corporis Animalis,

sive

Cogitationes succinctæ de Mente, Corpore & utriusque conjunctione juxta methodum Philos. Cartesianæ.

Amstelodami an. 1683. in 4.

Liber in aphorismos CXXI distributus prodiit Noviomagi an. 1672 in Octavo; qui omnes in hac recente nostra editione repetiti sunt; posteriores plurimique nudæ; priores XXV cum commentariis subjectis, a Cartesii doctrina passim recedentibus, ob opiniones vero locutionesque Platonicas & Cabbalisticas, obscuris, difficilibus, & aliis tum Philosophis tum Theologis minime placituris.

PETRI MEGERLINI, J. U. & PHIL. D. Math. in Acad. Basil. P.P. Theatrum divini regiminis a mundo condito usque ad nostrum seculum delineatum in Tabella Mathematico-historica, cum Indice Chronologico-historico & Commentario Chronologico.

Basileæ. A. 1683, in 4.

Quod fieri optavit Lipsius in Cent. miscell. ep. 65, ut esset videlicet, qui breviter & compendio ab orbe condito velut fastos concinnaret, nec aliud quam annos ac præcipua rerum notaret ac libaret, id faciundum sibi existimavit Mathematum in Academia Basilienſi Professor clarissimus *Petrus Megerlinus*, J. U. & Ph. D. Itaque ad imitationem Geographorum universum terrarum orbem tabella unica repræsentantium, res ab orbe condito ad nostrum usque seculum in vasto hoc theatro gestas, tabella unica spectandas exhibuit, easque methodo nova, atque industria non vulgari collectas atque disposi-

tas. Neque enim vel annos Hainlini Sabbaticos, vel millenarios Helvici fuit secutus, sed revolutiones conjunctionum & oppositionum magnarum Saturni & Jovis ad trigonum igneum, quarum singulæ octingentos annos complectuntur: Quæ revolutiones cum septem sint, & tanquam septem mundi ætates, ævum omne a primordio mundi in initium usque hujus seculi exhauriant, septem etiam columnas in tabella sua repræsentavit, quarum I incipit a creatione & Adamo, II ab Enocho, III a Noacho & diluvio, IV a Mose & exitu ex Ægypto, V ab Esaia & captivitate Assyriaca, VI a Christo nato & Augusto, VII a Carolo M. & Imperio Germanico. In columnis omnibus non nuda tantum referuntur nomina, sed cum nominibus etiam res gestæ, quantum quidem instituti ratio concessit, Cum vero omnia breviter atque concise, imo decurtatis hinc inde literis vocabulisque in Tabula exhibeantur, (neque enim ob angustiam spatii exprimi omnia potuerant) adjecit ei Autor *Indicem Historico-Chronologicum*, eumque ordine Alphabetico dispositum, qui & Locorum Communium historicorum præstare vices potest; in eo siquidem res & personæ fusius, addita Chronologia & Autoribus, imo & eorum libris, capitibus & sectionibus, unde petitæ illæ sunt, continentur. Adjecit præterea & *Commentarium brevem Chronologicum*, in quo rationem reddidit, cur non secundum millenarios & septenarios annorum, sed secundum Revolutiones Conjunctionum, & Oppositionum magnarum Saturni & Jovis ad Trigonum igneum, Tabulam suam concinnaverit. Item, cur Epocham mundi non perduxerit usque ad Epocham Nativitatis Christi, sed periodum Julianam adhibuerit, demonstrans quippe, illam incertam plane esse, atque characteres Chronologicos tam Scaligeri Astronomicos, quam Hainlini mysticos ex numeri septenarii progressione geometrica, quam etiam Biblicos *Christiani Ravii* ex commentis Rabbinicis desumtos, non esse indubitatos. Attextæ etiam huic commentario sunt animadversiones quædam Chronologicæ de antiquissimis regibus Assyriæ & Ægypti, nec non Gothorum: item de regibus Persarum, aliaque haut vulgaria, de principiis imprimis Chronologiæ & computo Ecclesiastico, ut & de Cyclis Planetarum & Eclipsium, quibus mediantibus vera ipsorū loca per XXIV secula ex Ephemeridibus seculi nostri facillime deprompi possint. Agmen claudit Disquisitio Chronologica de Johannā

hanna Papissa, qua Blondelli examinatur Anacrisis, ususque Chronologiæ in historicis ostenditur.

TRAITE DES FESTINS, PAR M. MURET.

id est,

Tractatus de conviviis, a Mureto editus.

Parisiis, 1682. in 12.

CONviviis communem hominum societatem foveri, iisque corpus non magis quam animum mortalium sustentari, auctor in epistola nuncupatoria affirmat. Modum tamen haud raro in iis parum servari observat, ita ut sæpe ciborum apparatus ubi nimius adest, festivitas & lepores desint; hæc condimenta ubi adsint, ciborum tenuitas gratiam intervertat convivii, quod ciborum lautitia corpus, & colloquiorum amœnitate ac conversationis festivitate animos reficere oporteat. Hinc fieri vix potest, quin is, qui de conviviis scribit, de plurimis simul vitæ humanæ officiis tractet, & inde ethnicorum quondam philosophi gravissimi sapientissimique, Plutarchus, Xenophon, Aristoteles, Plato, aliique complures, Athenæo (qui egregios Δειπνοσοφιστῶν λόγους reliquit, ubi Larensis Romani convivium describens, doctissimos jucundosque sermones de omni doctrinæ genere habitos refert, occasione eorum sumta ut quidque fuit mensæ appositum) memorati: ac inter Christianos post Clementem Alexandrinum & antiquiores alios, doctissimi quique, Marsilius Ficinus, Pontanus, Platina, Cœlius Rhodiginus, Stephanus Figulus, Justus Lipsius, Gul. Stuckius, & alii, ubi de symposiacis agunt, aut qui de sympositis peculiares libros composuerunt, plurima humanæ vitæ utilia istis asperserunt.

Priorum tamen omnium de hoc argumento tractationem & ordinis accurata ratione in hoc libello servata supergressum esse gloriatur auctor, præstantiam conviviorum primum commendans, simulque excessus & defectus, qui circa eadem contingunt observans: varia eorum genera, natalitia, ablactationis, nuptialia, militaria, rustica, servilia, advenarum, fœderalia, confraternitatum, publica, sacra, coronationum (quo loco solennis illius convivii, quod Francofurti,

furti ſub electionem Romani Imperatoris inſtitui ſolet, ritus enarrat) exequialia enumerans; qualitatem & numerum convivarum, tempusque & modum invitationis, magiſtrum & mod-imperatorem, leges, locum & adparatum deſignans; de exercitiis ante & balneis poſt cibi uſum, veſtibus, modo accubandi, corollis, variis miniſteriis, uſu calidæ, libatione, precibus, cantu muſico & oblectationibus aliis diſſerens: ſermonum autem convivialium prolixiorem recenſionem inſtituens, & diſcurſus de aſtrologia ſuper convivio habitos, philoſophorum item quorundam veterum & recentiorum vafre & argute ſapienterque dicta memorans. Ultimum caput ſalutaribus monitis circa convivia vel inſtituenda vel adeunda implet, & quomodo ſe hoſpes & conviva gerere debeat, docet.

DEVISES DES PRINCES, CAVALIERS, dames, ſçavans & autres perſonnages illuſtres de l' Europe: ou, la Philoſophie des images, Tome ſecond, par le P. C. F. Meneſtrier de la Compagnie de Jeſus.

id eſt,

Symbola & emblemata principum, nobilium, fœminarum, eruditorum, & aliorum illuſtrium in Europa hominum: ſeu, Philoſophiæ imaginum tomus ſecundus, auctore C. F. Meneſtrerio S. I.

Pariſiis. 1683. in 8.

QUamvis rem ſymbolis & emblematibus præbere materiam, nec quidquam in hoc univerſo exiſtere, quod non idoneum iis argumentum ſuppeditet, ſupra in Actis Jan. hujus anni p. 17 fuit monitum; cum *primum* Philoſophiæ imaginum tomum ſuperiori anno editum enarraremus. Cujus aſſertionis alter hic tomus, qui hoc anno prodiit, egregia præbet documenta; a naturalibus & artificialibus rebus, elementis, igne, montibus ignivomis, tormentis pulvereis & aliis machinis bellicis, chymicis item inſtrumentis, ſubterraneis cuniculis, fumo, luminaribus, igne ſacro, aere & variis avium generibus depromta ſymbola & appoſita lemmata exhibens: interdum etiam hiſtoriam narrans, quæ docet quem auctorem unum vel alterum

rum emblema agnoſcat, & quo tempore quave occaſione iſtud primum adhibitum fuerit, & ad quod negotium porro applicari poſſit. Ingens autem ſupereſſe videtur, qui adhuc auctori ſuppetit, apparatus; quem ubi in publicum prodiderit non reticebimus.

AD EPHESINUM CONCILIUM VARIORUM Patrum epiſtolæ ex manuſcripto Caſſinenſis Bibliothecæ codice deſumtæ, item ex Vaticana Bibliotheca manuſcripto commonitorium Cœleſtini, tituli decretorum Hilarii Papæ, Neapolitanum concilium, epiſtolæ Anacleti Anti-papæ, nunc primum in lucem data per F. Chriſtianum Lupum, cum ejusdem ſcholiis & notis ad epiſtolas, acta concilii Epheſini & Chalcedonenſis concernentes.

Lovanii, Anno 1682, in 4.

QUamvis acta concilii Epheſini, quæ & ſeorſim & in conciliorum tomis extant, admodum prolixa ſint, multa tamen etiam poſtremis editionibus deeſſe cum aliis eruditis animadvertit *Johannes Garnerius*, qui Tom. II editorum a ſe *Marii Mercatoris* operum ad ſupplendam ejus concilii & contiguorum temporum hiſtoriam haud pauca contulit. Cujus exemplum imitatus Lupus, cum Romæ *Hieronymi Caſanatæ* Cardinalis beneficio in codicem quendam Caſſinenſis Bibliothecæ manuſcriptum incidiſſet, qui variorum Patrum epiſtolas, nec non Imperatorum & Comitum edicta, aliaq; Epheſini Concilii & proximorum temporum acta, partim hactenus inedita, partim ab editis diſcrepantia continebat, eundem diligenter exſcribi, & Lovanium reverſus una cum appendicibus quibusdam ex Vaticano quodam codice depromptis publicam in lucem protrahi curavit, tanto magis operæ ſe pretium facturum ratus, quod opus ſuum de privilegio S. Petri circa Romanas appellationes ſuperiori menſe a nobis recenſitum ex Caſſinenſi hoc codice haud parum confirmari poſſe confideret. Continet enim (cap. 117) authenticum, ut Lupus vocat, appellationis inſtrumentum, quod Eutherius Thyanenſis & Helladius Tarſenſis Epiſcopus apud Pontificem Romanum Xyſtum tertium adverſus Epheſinum concilium interpoſuerunt, & (c. 222) Eu-

tychetis Hæresiarchæ Leonem M. appellants epistolam, quo nomine acerrimus hic Romanarum appellationum Patronus non quod pueri in faba se reperisse ratus, & in dissert. 4 de privil. S. Petri p. 848 & 883, & in scholiis ad Cod. Cassin. p. 450, impense gloriatur. Reliqua epistolici hujus voluminis capita recensere nimia eorum copia prohibet, quæ major est, quam ut angustiis unius alteriusve pagellæ spatiis circumscribi possit. Viderint autem eruditi, quantum huic codici Latine tantum prodeunti & ab aliis antiquitatis Ecclesiasticæ monumentis nonnunquam dissentienti tribui debeat, quem Lupus, cum ex Insomni apud Constantinopolin cœnobio translatus fuerit, irrefragabili autoritate pollere, & multa hactenus ignota prodere asserit, licet ejus compilatorem nec in digerendis epistolis accurati semper ordinis tenacem, nec ab omnibus plane mendis liberum agnoscat. Cæterum cum in eo illustrando ad ducentesimum usque epistolarum caput perveniisset, morte præventus integrum opus absolvere non potuit, cui e typis educendo *Fratres Augustiniani* obstetrices manus suppositurunt, qui ipsas quidem Patrum epistolas magno Hetruriæ Duci Cosmo III, scholia vero & notas a Lupo additas Principi de Parma Alexandro Farnesio dedicarunt. Præmissa est scholiis vita Lupi a Josepho Sabatino descripta. Ad finem autem subjectus est index rerum & verborum in utroque tomo contentorum, quem proxime præcedit epitaphium ab ipso Autore adhuc vivo sibi positum:

Hæres peccati, natura filius iræ
Hic jaceo, dignus nomine reque Lupus.
Indignus, non re, sed solo nomine, Doctor,
Verbis, non factis me docuisse fleo.
Perdocuisse alios, & non docuisse seipsum,
Quid juvat? O! Mundi fumus, inane, nihil!
Agne Deus, Patris doctrina, Redemtio mundi,
Nunc tibi prostratum commiserare reum.
Et Latro, & Meretrix gratis tua regna subintrant:
Gratia peccatis fiat & ista meis.

HISTOIRE DU CALENDRIER ROMAIN &c.

hoc eſt,

F. Blondelli, regii Mathematicæ & Architecturæ Profeſſoris, regiorum exercituum Campimareſchalli &c, Hiſtoria Calendarii Romani, ejus originem variasque viciſſitudines complexa,

Pariſ. 1682, in 4.

OPere hoc tribus diſtincto partibus Clariſſimus Autor (a quo propediem novam munitionum extruendarum rationem expectamus) præcipua Calendarii Romani fata, quæ a primordiis ſuis hucusque habuit, ita recenſet, ut ſimul mathematici Doctoris partes tueatur, Lectoremque ſuum circa computi exacte ineundi rationes ſtudioſe erudiat.

Cum autem Calendarium politica temporis ſit diſpoſitio; ejus velut incunabula non incongrue præmittit: ut videlicet ſimpliciſſimam primo temporis partem, diem mortales, inde horas, menſes, ſeptimanas advertere aut diſtinguere ſint adducti; ex quo fonte dierum per hebdomadem appellationes, Judæis & Chriſtianis propriæ, quasque ex gentiliſmo reliquas hodie habemus, fluxerint; quæ porro ratio annorum, ad motus Luminaris unius aut utriusque conſtituendorum, a Aſſyriis, Ægyptiis &c; Arabibus, Turcis &c; Græcis, Romanis, Judæis fuerit, ſuccincte præfatus.

Ipſos dein Calendarii Romani ſub Romulo natales, annique rationem, & quomodo, quibusque de cauſis id mox a Numa Pompilio, longe vero poſt, penitus confuſis, Pontificum ſive negligentia ſive ſuperſtitione, anni rationibus, a Julio Cæſare Pontifice tunc Maximo, correctum aut mutatum ſit, ſtricte exponit: ſingulorum Calendariorum Tabulas, inque Juliano literas nundinales; dies faſtos, nefaſtos, & comitiales; nomina dierum; feſta, ludos, ſacrificia, ſignorum cœleſtium ortus & occaſus, cum brevi commentatiuncula exhibens.

Hoc Juliano Calendario, latissime tum dominantibus Romanis, quoad civilem temporis distributionem a plerisque gentibus recepto, has interim religionis & ceremoniarum libertatem usurpasse: inde & Judæos, citra Sabbati violationem, sacri Codicis legibus festa celebrasse; & Christianos singulis Judæorum solennibus alia, pleraque antitypica surrogasse: posteriores tamen ob celebrationem Paschatos mox inter se divisos, sub medium rursus seculi secundi auctoritate Pii Pontificis in unum coaluisse, memorat.

Stabiliendo postea Paschati, decretum a Concilio Nicæno interpositum, quo & æquinoctio verno, & novilunio paschali, & quartædecimæ Lunæ termini perpetui sint constituti, Parte secunda refert: cujus causa deinceps cyclus solaris literarum septem dominicalium (in vicem octo nundinalium a nascente Ecclesia olim jam obstitutarum) inventus sit, & Lunaris, sive decennovalis Metonis, sub aurei numeri titulo, Calendario invectus. Dissidium vero inter orientales & occidentales Ecclesias, circa numeri hujus in Calendario dispositionem, obortum, & ultra grassaturum, ineunte seculo sexto a Dionysio Exiguo Abbate consopitum; occidentalibus orientalium mori concedentibus. Subjungit Autor pauca de Periodo Victoriana & Juliana, cycloque indictionum: argumentum de aureo numero ejusque per Calendarium dispositione & proprietatibus; mensibus plenis, cavis & embolimæis, horumque convenienti per cyclum decennovalem ordinatione; diebus mensium ab aureo numero vacuis, eorumque versibus memorialibus, adjecto Calendario ipso & Tabula Lunarum cycli 19 annorum, fusius prosecutus. Claudit hanc Partem Practica Calendaria, rationem Paschatos & Festorum mobilium, ope cycli Solaris & Lunaris, Tabulæque paschalis antiquæ, quoque anno figendorum, edocens.

Cum vero subsequentibus temporibus animadverteretur, hanc Calendarii formam cœlum parum propitium habere, nec ideo festa legitimo tempore amplius exhibere: quippe æquinoctiis, ob assumtam anni Solaris quantitatem justo majorem, & Noviluniis ob cycli Lunaris super 235 Lunationes aliquem excessum, præscriptos terminos magis magisque; illis quidem spatio 134, his $312\frac{1}{2}$ annorum integro die antevertentibus: de remedio tollendis his erroribus adhibendo

bendo, pluries & à pluribus serio quidem agitatum fuisse, Parte tertia Autor commemorat; sed successu plane frustraneo. Gregorium demum XIII Pontificem Romanum, convocatis in hanc rem Astronomiæ consultis, arduum hoc negotium prospere aggressum, inductaque anno 1582 nova Calendarii forma, ab Aloysio Lilio Medico Romano excogitata, quæ Gregorianæ nomine hodie venit, ex voto perfecisse: sublatis non solum præmemoratis erroribus, sed &, ne iidem successu temporum denuo obrepere possent, accurata cautione interposita.

Nimirum, quantum ad errorem ex præcessione æquinoctiorum oriundum, expunctione decendii, (tanto enim intervallo æquinoctium verum diem 21 Martii, Niceno canone eidem dictum, tunc prævertebat) post 4 Octob. diem statim 15tũ numerando, æquinoctiũ pristinæ sedi restituisse; & ut communi anni civilis quantitate retenta, excessus ejus supra Solarem debite pensaretur, nec terminus æquinoctii inposterum vacillaret, singulos post 1600mũ annos seculares (quorum numerus per 400 non esset divisibilis) Bissextilibus exemtos communes esse voluisse; exsecto hac ratione singulis quatuor seculis triduo, quod ex 134 annis ter sumtis alias redundasset.

Novilunia, quæ integro quatriduo numerum aureum tum fallebant, sublato cyclo decennovali, pergit Autor, alio, triginta numero Epactarum, in locum ejus suffecto, in ordinem coegisse: harumque (ut & cycli inposterum solaris) ob intercalationis secularis deinceps omissionem, usum tantummodo temporarium futurum, æquationis certæ beneficio effecisse perpetuum.

Epactarum porro harum dispositionem in Calendario, usum, æquationes, aliaque quæ tum ad perfectam Calendarii Gregoriani cognitionem, tum ad praxin Calendariam hujus formæ faciunt, eleganti plurimarum Tabularum apparatu, postrema hac Parte prolixe Autor eruditeque explicat.

LEGATUS URANICUS EX ORBE NOVO in Veterem,

hoc est,

Observationes Americanæ Cometarum factæ, conscriptæ ac in Europam missæ, a R. P. Valentino Stansel, e Societate Jesu &c.

Pragæ, A. 1683, in 4.

INsigne par Cometarum, quod sub decursum anni 1664, verisque anni 1665 initium late fulsit, & in Brasilia P. Valentini Stansel, e Professore mathematum Olomucensi & Pragensi tunc Missionarii in Indiis oculos in se convertit. Nec hoc solum, sed & cursus sui, & quæ cætera his ignibus æthereis accidunt, adeo solicitum habuit, ut observandis iis Bahiæ omnium Sanctorum vigilem sibi laborem sumserit, vigiliasque has suas Illustribus & Clarissimis Europæ Astronomis sacras ex orbe novo transmiserit. Has non observationum tantum seriem, sed ipsam etiam Autoris sententiam, de motu, materia, lumine, loco, cauda caudæque flexu, & magnitudine Cometarum, valido argumentorum nexu, nec indecora oratione complexas, & schematismis elegantibus instructas, Astrophilorum commodo Collegium Patrum Jesuitarum ad S. Clementem, vel ut titulus fert, Mathesis Pragensis ejusdem Collegii, cum Auctario observationum Europæarum circa priorem præcipue illorum Cometarum, Romæ, Venetiis, Florentiæ, Gedani, Parisiis, Viennæ, Madriti, Ingolstadii, Pragæ, Wratislaviæ, Znoymi, Olomucii a celeberrimis Astronomis habitarum, aliarumque, Cometarum anni 1680 & 1682, publico dedit.

JOHANNIS HEVELII Observationes Circa nonnullas Occultationes Fixarum GEDANI Anno 1683 habitæ.

CUm Astronomiæ Cultoribus nuper promiserim, me iis quoque velle (ut circa ternas illas Conjunctiones Magnas factum est) brevi.

breviter exponere, quæ circa quarundam Stellarum Occultationes, atque nonnullos Lunæ Congressus, mihi ab 11 Febr. hucusque deprehendere obtigit, facio id nunc animo lubentissimo, nihil potius exoptans, quam ut meæ observatiunculæ in commodum Uraniæ quodammodo cedant.

1. Die 11 Febr. Anni hujus currentis 1683 vesperi sperabam non solum partem Ecclipseos Lunaris (prout Tabulæ spem faciebant) circa Lunæ exortum & occasum Solis, sed & simul Occultationem Reguli me observaturum. Quare omne tempus pomeridianum in Specula impendi; verum frustra: siquidem Cœlum totum ad horam usque nonam vesp. nubibus obscurissimis ita erat obductum, ut nihil quicquam, ne quidem unicam stellulam, conspicere licuerit. Post nonam vero Luna emersit, sed prorsus ab omni umbra libera; sic ut nihil penitus de illa Eclipsi deprehensum fuerit. Occultationem Reguli quod attinet, quæ pariter hac die celebrari debebat; sciendum, quod hora 9 cum Luna in oculos incurreret, Conjunctio dicta, jam fuerit præterita. Siquidem Regulus jam satis longe occasum versus a Luna removebatur; ita ut ea ipsa Conjunctio (quantum ruditer colligere dabatur) oriente circiter Luna, hora sc. 5 vel 6 contigerit: utrum autem Regulus omnino tectus sit, an vero tantummodo transitus fuerit, haud adeo accurate deprehendere licuit. Si cœlum occidente Sole omnino annuisset, præclarissimum extitisset spectaculum, hanc Conjunctionem, una cum particula Eclipseos debite & accurate annotare.

2. Die 2 Aprilis vesperi proposueram Planetas tantummodo observare; sed cum vidissem tres stellulas minutissimas haud procul a Lunæ limbo obscuriori ortum versus existere, quas Luna juvenis, in minima libratione ad paludem mæotidem degens, sine omni dubio tectura esset, accinxi me protinus ad observationem jucundissimi hujus spectaculi, & quidem Telescopio egregio. Negotium etiam hocce ex voto successit, sic ut binas stellulas A & B distinctissime viderim a Lunæ limbo, licet obscuriori, occultari. Tertia vero stellula C non tecta est, sed in ipsa Conjunctione distabat a Lunæ cornu inferiori Austrum versus 4 circiter minutis; sicuti ex appositio Schemate videre est. Sectio Luminis & umbræ hac die per Montes Serrorum & Carpathos, per Sinum Peronticum, inter Byzantium & Inf. Cyaneam, per M. Amanum, Taurum Uxiique Montes incidit.

Prior



Prior Stellula A in Catalogo Tychonico non invenitur; ſed in meo novo habetur: vocatur ſub cornu Tauri Auſtrino ſequens quintæ magnit. Verſatur hoc tempore in 19° 1′ 35″ ♊, & in latit. 4° 43′ 44″ Auſtrina; altera vero B, quantum ex hac obſervatione colligere potui, exiſtit in 19° 17′ 0″ ♊, in latitut. 4° 47′ 0″ Auſtrina: at tertia C, quæ forte nudis oculis non conſpicitur, degit modo in 19° 9′ 0″ ♊, & in latitud. 5° 2′ 0″ Auſtrina.

Cæterum ſtella A, Lunam ſubingreſſa eſt ad Montem Audum, tranſit

transiit per Insulam Cercinnam, per M. Neptunum, Mare Adriaticum, inter M. Horminium, & M. Amanum, per M. Herculis; sic ut inter Paludem Mæotidem & Inf. Majorem Caspii rursus emerserit: unde liquidum est, hanc stellulam A fere centralem cum Luna celebrasse Conjunctionem. Quam diu autem sub Luna hæserit, ipsa subsequens observatio ostendit: nam admodum exacte illam rursus prodire animadverti.

Altera vero stella B, sextæ magnit. Lunam ingressa est ad Paludem Mæotidem, transiit per Sinum Syrticum, ad M. Athos, per M. Latmum, inter Montes Sipylum & Masicytum, infra centrum Lunæ, per superiorem M. Moschum, per Fretum Ponticum, atque sic infra Insulam Majorem Caspii; prodire autem illam non conspexi, ob Lunæ decliviorem situm, vaporesque ei adhærentes.

Mens. dies stu.	Temp. hor.	sec. ambul.	Anno 1683 Occultatio Duarum Stellularum cum alterius transitu.	Distant. & Altitud.	Quo Instrum.
	H /	//		o / //	
April. 2. die 2 vesp.	9 53	30	Initium Occultationis stellulæ majoris A, 5. m.		Tubo e. gregio.
	10 8	30	Conjunctio Lunæ & Stellulæ C: distat a Lunæ cornu inferiori.	0 4 0	Tubo.
	10 29	36	Initium Occultationis Stellulæ B, 6. magn.		Tubo.
	10 52	50	Finis Occultationis Stellulæ A 5. magn.		Tubo.
	11 45	30	Altitudo Lyræ.	31 44 0	Quadr. orich.
	11 46	20	Eadem Altitudo.	31 55 0	
	11 47	50	Denuo.	32 6 0	
			Pro corrigendo tempore		

3. Die 2 Maji vesp. hora 11 o′ o″ Luna supra Stellulam in radice Caudæ Cancri transibat, quæ modo versatur in 27° 53′ 37″ ♋ & in Latit. 2° 18′ 42″ Austr.; sic ut in ipsa Conjunctione non nisi ad 12′ a Lunæ cornu infer. abesset.

Hora 12 o′ o″, eadem die, etiam alia Fixa, sed minutissima tecta est, cuæ in Catalogo alias non habetur. Quantum conjicere dabatur, hærebat in 28° 30′ ♋, & in Latit. 1° 4′ Austr.

4. Die 3 Maji, hora 9 12′ Mars Conjunctionem celebrabat cum penultima ſtella alæ Auſtrinæ Virginis, quæ modo degit in 13° 49′ 14″ ♎ & Latit. 1° 48′ 33″ Bor., ſic ut in ipſa Conjunctione vix ultra 40′ Mars infra dictam ſtellam incederet.

5. Die 4 Maji, veſperi Cœlo perquam ſudo Luna decreſcens plus quam biſecta Regulum occultavit, quam egregiam Occultationem animitus exoptaſſem ut more meo obſervare potuiſſem; ſed ob rationes maxime prægnantes atque indiſpoſitionem corporis id pro voto fieri haud potuit. Nihilominus tamen ipſum momentum immerſionis accuratiſſime notavi, id quod incidit hor. II 17′ 20″ veſp. ſecundum horolog. ambulatorium ex ſubſequente altitudine Lyræ corrigendum; ſed emerſionem, ob rationes dictas, minime deprehendere mihi licuit. Linea itineraria inceſſit per mare Pamphilium, infra Inſulam Carpathos, Inſ. Cyprum, infra Sinum extremum Ponti, & Sinum inferiorem Maris Caſpii. Hora II 24′ 42″ ſecundum horologium ambul. altitudo Lucidæ Lyræ obſervata eſt 44° 39′ 0″; ex qua initium Occultationis corrigi poteſt. Sectio luminis & umbræ per Lacum nigrum majorem ad Inſ. Corſicam, M. Myconium, per Lacum Strymonicum ad inſ. Rhodum, per M. Sinai & M. Techiſandam incidit.

6. Die 31 Maji, veſp. hora II 45′ 0″, Regulus rurſus a Luna tegi potuiſſet, ut mihi tum videbatur; ſed citius occiderunt, quam id fieri potuit. Diſtantia namque Lunæ a Regulo erat fere adhuc tanta, quanta alias eſt Stellæ in Coxa a Tergo Urſæ Majoris, fere 4° 30′.

DIATRIBA DE FEBRIBUS, IN QVA AUTOR complures Medicorum, Antiquorum juxta ac Recentiorum, detegit errores, cum ratione earundem Theoria, tum Praxeos, Belgice conſcripta a D. Cornelio Bontekoë, ac Latinitate donata a Jano Gebema.

Hagæ Comitis 1683, in 8.

MEdici atque Scriptores famigeratiſſimi opuſculum hoc eſt, illius ſcilicet, qui ſub idiomate Batavo diverſos hactenus libros, *de Herba Thee, Coffe ac Chocolata; Novam Chirurgiæ Structuram &c.* publi-

publico mancipavit. Ante aliquot quoque jamdum annos Diatriba hæc eodem ab Autore vernaculo idiomate typis exscripta fuit, ita quidem, ut editionis quartæ præsens versio existat, ipso originali in diversis locis paulo magis succincta. Scilicet sicut in reliquis suis scriptis Bontekoë scholarum æque medicarum ac praxeos errores castigare contendit, sic febrium quoque doctrinam hisque medendi methodum vulgarem examinat, utramque vero plurimas quoad circumstantias insulsam, ineptam, imo mortiferam pronunciat; Veterum æque ac nonnullorum Neotericorum, v. g. Willisii, Sylvii &c. Febris definitiones, differentias, & causas impugnans, ac curandi rationem (si Sylvii, quam præaliis commendat, excipias) hactenus usitatam, & falsæ theoriæ innitentem, summopere detestans. Occasione hac, & dum febris essentiam non in calore præternaturali consistere probat, in Causo v.g. calorem naturali longe minorem paradoxe satis asserit: Willisii hypothesin ubi examinat, fermentationem vulgarem, & qualis vino aut cerevisiæ solennis, in humoribus nostris concipi haud posse ait. Pariter, quasi in parenthesi, Sylvii hypothesin de natura & causa pestis, imo quoad posteriorem omnes Scriptores impugnat. Experientiam, quam vulgus practicorum prætendere quoque contra novatores eaque se munire solent, egregie dispellit; Refrigerantia & venæ sectionem ac purgationem damnat; Chinæ Chinæ usum contra eosdem vindicat; Hisque demum Epistolam provocatoriam ad Chymiæ osores subnectit.

FRAGMENTA, DIENENDE TOT EEN ONdervvys van de Bevveginge en Vyandschap, of liever Vrindschap van het Acidum met het Alcali, &c.

id est,

Fragmenta, Motum & Hostilitatem, seu potius Amicitiam Acidi & Alcali, simulqve Phlegmatis, Spiritus Olei, Sulphuris, Terræ ac Capitis mortui naturam, declarantia. Item Fundamentum Medicinæ & Chirurgiæ, Autore Cornelio Bontekoë, M.D.

Hagæ Com. 1683, in 8.

QUem in gratiam Chirurgorum saltem publici juris factum libellum præfatio hujus ediderit, illum nec Medicinæ Tyronibus inutilem judicamus, quatenus præter fundamenta chymica, totius fere Medicinæ practicæ theoremata generalia suggerit. In capite siquidem primo hujusque Appendice, duo genera salium, ut principia rerum activa, *Alcali* & *Acidum*, asserit Autor, horumque naturam, differentiam & habitudines, quas in se invicem, & in alia concreta, effervescendo, præcipitando ac fermentando, exercent, exponit, ***Dn. Lemery Cursum Chymicum*** hujusque manuductionem in his sequendo. Oleum seu sulphur e principiorum naturalium numero delet, quod ex acido & alcali componatur: quamvis simul fateatur, peculiarem adhuc oleo texturam subesse, quæ nos fugiat. Pariter spiritum nihil peculiare ab alcali, acido, oleo & aqua habere, adeoque simplicioris corporis nomen nullo jure mereri, ostendit: ac tandem salibus illis binis, Aquam, Pingue, & Terram seu Caput Mortuum, ut principia rerum adæquata, addit.

In secundo capite Operationes chymicas sub triplici, Mundationis, Comminutionis, & Compositionis classe, exponit. In tertio vero Præparata recenset, horumque selectum commendat, salis tartari volatilis & salis volatilis oleosi Sylviani famæ non parum subtrahendo.

In capite quarto simplicium, e tribus Regnis petitorum, medicaminum catalogum exhibet, de horum virtutibus horumque ætiologiis simul differendo, ac illorum farraginem damnando. Ita v. g. gemmas, præprimis calcinatas, e pharmacopoliis proscribit, crystallum tantum montanum, utpote reliquarum gemmarum materiam, & post hunc lapidem nephriticum ac smaragdum martialem commendat; margaritis, si corallia præsto fuerint, Practicum carere posse ait. Ex lapidibus minus pretiosis, paucis saltem, scilicet calcario, calaminari, hæmatite, pumice & spongia, hunc opus habere putat: quibus tamen talcum adhuc addit, utpote sulphure quodam solari scatens. Inter Metalla ferro potissimas; pauciores plumbo, cupro & stanno; nullas argento ac auro, concedit virtutes: hujus Tincturis ac panaceis cinabarim & sulphur antimonii rite præparatum longe anteponens. Mercurii commoda atque incommoda explicat, eumque ad libras duas, imo tres, interne absque ullo periculo propinari posse, docet: im-

inprimis vero ejus vim salivatoriam, quam acidis combinatus exerit, ab ejus corrosivitate & glandulas oris exulcerandi ratione derivat. Spiritum sulphuris satis paradoxe venenum potius, quam medicamentum pronunciat; Sperma Ceti vero e mineralium serie relegat, haud tamen semen balenæ, sed cerebrum cujusdam piscis, Microcephalos dicti pro materia agnoscere asserit, quod exsiccatum cum lixivio calcis vivæ, certa ratione in pinguedinem saponi similem redigatur.

In *Fundamento Medicinæ* Autor primo quasdam de natura corporis propositiones physicas exponit; deinde morborum naturam & differentias generales æque ac speciales, item symptomata recenset, adeoque pathologum agit. Sequitur hæc methodus medendi, cujus occasione temperantium seu alterantium, sudoriferorum, diureticorum, catharcticorum, emeticorum atque anodynorum, tanquam sex remediorum internorum capitum, æthiologiam & applicandi modum tradit.

EXCERPTUM EX LIBELLO GALLICO, Mercure galant, *part. 2 Octobr. 1682.* de insignibus Ducis Burgundiæ.

Cum Delphini filio, nepoti suo, Burgundiæ Ducis titulum Rex Christianissimus suo usus arbitratu tribuisset, de insignibus illi assignandis non eadem omnium fuit opinio. Consultus ergo ea de re Dn. Dosierus, judex armorum, sententiam suam scripto exposuit, quod Mercurio Gallico, quem politum vocant, loco supra dicto pag. 333 seqq. insertum legitur. Non ingratum vero futurum Artis Heraldicæ cultoribus putavimus, si Dosieri illud judicium Latine versum hic exhiberemus, inprimis cum probatum illud publica auctoritate fuisse, Auctor Mercurii testetur. Ita verbillo:

Non alia, quam Franciæ insignia pura, concedenda esse Duci Burgundiæ, persuasum omnino habeo. Cum enim Princeps hic patrem habeat Delphinum, cujus nomen & insignia soli primogenito Regis Franciæ filio vindicantur, nec communicantur illius liberis: alia quam Regni suo adeum tempore hæreditario jure devolvendi insignia usurpanda ipsi non videntur, quamdiu in expectatione successionis, seu in titulum patris sui, seu in Regnum ipsum, hæreditario ad eum jure spectans, futurus

est. Cumque Burgundiæ Ducis titulus nudum in hoc Principe distinctivum nomen sit, apanagium provinciæ illius annexum non habens; inconveniens utique foret, in scuto Principis hujus, insignibus Franciæ insignia Domus cujusdam, cujus caput esse non posset, nisi tanquam postgenitus e Regia Familia, adjungi. Convenire id potius in fratrem quendam Principis nostri aliquando posset, si Burgundiam ti apanagii jure possideret. Hic enim, novam Regiæ Domus lineam auspicaturus, uti etiam insignibus posset, quibus a regnante Domus Regiæ linea discerneretur. Regeri equidem hic posset, Duci Burgundiæ ob titulum hunc, scutum Regni Franciæ & Ducatus Burgundiæ insignibus quadripartitum convenire, non minus ac Delphinus Franciæ & Delphinatus insignia quadripartitur. Par enim videtur causa, patrisque exemplum filio præbere videtur regulam. Verum enim vero, sicut nemo nescius est, Delphinum nomen hoc & insignia non alio instituto gerere, quam ut stet conditione, sub qua Delphinatus Franciæ olim Regno coaluit: ita constat, aliam omnino rationem esse tituli Ducis Burgundiæ. Ea enim provincia nunquam pro Principibus nudam a se denominationem habituris, quicquam stipulata est: ipseque titulus, proprie loquendo, nonnisi aliunde pro Principe mutuo sumptus est, donec ad Regnum pervenerit, jure natalium ipsi debitum.

Quapropter cum successio alia Principi huic non pateat, quam in Delphini titulum, suo tempore gerendum: mea quidem hæc constans est sententia, quocunque nomine Princeps hic salutetur, non alia quam Regni insignia tribuenda illi esse, nec his Burgundiæ arma jungenda; quippe quæ ascitum segmentum (brisure) forent, quale in Principem non quadrat, augustiori multo, quam Burgundiæ Ducis, titulo aliquando gavisurum.

INSTITUTIONES JURIS PUBLICI Germanici Romani, ex ipsis recessibus & legibus ejus Reipublicæ fundamentalibus adornatæ.

Francofurti ad Viadrum, 1683. in 8.

VAria sub variis titulis profitant Juris systemata ac institutiones, in quibus uti multi, pro ingeniorum diversitate, multa commendarunt

runt aut censoria notarunt virgula, ita præprimis in aliis methodus minus justa accusata fuit, in plerisque illud desideratum est, juventutem studiosam magis ad rivos quam ad fontes duci, hoc est, in decisione controversiarum præprimis, magnas Publicistarum, uti communiter appellantur, cohortes citari, raro leges ipsas fundamentales, quæ tamen hic utramque facere deberent paginam. Quod haud dubie rutinans Autor præsentium institutionum Magnificus, in Auditorum suorum gratiam, quo utrique huic nævo mederetur, easdem ita formavit, ut non solum, sicubi ex historiarum monumentis res fuerit deducenda, ad paucos, sed optimos scriptores; sin ex ipso jure assertio firmanda fuerit, ad Auream Bullam, Recessus Imperii, Capitulationem Imperatoriam, Instrumenta pacis, ac alia monumenta publica & Imperii Romano-Germanici bases, eos remiserit; sed & prudentissimo consilio, methodo usus fuerit ordini Justinianearum Institutionum simillima. Quo pacto id effecit, ut juvenis discendi cupidus, non solum ulterioribus absque ambagibus ad ipsum Jurisprudentiæ publicæ centrum brevi compendio ducatur, sed &, ut non per diversam a Juris privati institutionibus methodum scientia ejus turbetur, ac suo quasi loco quodammodo moveatur. Quinimo methodi occasione simul illud evenit, ut materiæ scitu necessariæ ab aliis in institutionibus juris publici vix memoratæ, aut levi saltem penicillo & obiter quasi adumbratæ, ab aliis vero plane omissæ, fusius tractarentur atque enucleatius. Postquam enim libro I intuitu juris personarum de personis Imperii, puta Rege Romanorum, Imperatore, Rege Germanorum, Vicariis Imperii, Electoribus & reliquis Imperii Statibus egisset, de patria quoque potestate, connubiis Principum & Statuum Germaniæ, juribus item fœminarum illustrium, ac de tutelis denique & juribus illustrium liberorum, ductu juris publici tractationem instituit. Deinde libro II non solum de juribus rerum, Statibus & immediatis Imperii Germanici competentibus, quæ communiter regalium nomine appellantur, accuratissime disserit, sed & ad discursum de rebus corporalibus & incorporalibus progressus, servitutes, ac acquirendi dominii modos, ejusdemque instrumenta & effectus, tum successionem testamentariam; in libro III vero successionem ab intestato & obligationum materiam plene proponit, & secundum usum juris publici evolvit. Denique libro IV ordinem processus in Imperio Romano publice recepti distin-

distincte adducit, eique tractatum de judiciis, intritu criminum vel delictorum publicorum, subjungens coronidem elementis hisce imponit; quibus adeo quod ulterius addamus nihil superest, nisi ut Magnifico Autori hactenus summis Ordinis sui in Academia famigeratissima honoribus maxima cum laude defuncto, nunc vero ad intima Serenissimi sui Principis consilia admisso, digna ac jam diu provecta edecumatarum virtutum suarum præmia animitus apprecemur.

EMAN. KÖNIG. PHILOS. ET MEDIC. Basil. Regnum Animale, Sectionibus 3 Physice, Medice, Anatomice, Harmonice, Mechanice, Theoretice, Practice eviscer atum, enumer atum, & emedullatum &c.

Coloniæ Munatianæ, apud Eman. König & Filios Bibliopol. 1682. in 4.

Sane hoc ipso ævo, quod abstrusorum inventione, & solertibus non minus ac judiciosis rerum naturalium scrutatoribus splendet, mirari contingit, ejusmodi adhuc hominum genus reperiri, quod dogmata superiorum seculorum adeo colit, & unius vel alterius Medici aut Physici pronunciata, tanquam Idola in Fano Æsculapii erecta, tanta superstitione adorat, ut Neotericorum Inventa ac cogitata, nec evolvere, nec legere, multo minus pensitare velint, sed, quo suam vel cœcitatem, vel torporem, vel desidiam incrustent, Novatorum titulo moriros contemnant, & quasi aliquid virulenti eorum scripta spirent, cuncta sua censoria contra hæc muniant & obrurent. Ingenua magis illorum videtur sagacitas, qui, quantum lucis quotidianum experimentorum scrutinium Veterum monumentis fœneretur, quamque scientiam Naturalem pariter ac Medendi Artem expoliat, ut utraque nunc splendidiore, quam olim, nitore fulgeat, observantes, multum equidem hinc esse nostros egisse cum Seneca profitentur, non tamen omne peregisse, sed multum adhuc Posteritatis investigationi reliquisse, concedunt: potissimum cum ipse *Hippocrates*, *in Epist. ad Democritum*

eritum scripserit, Ego ad Medicinæ finem nondum perveni, etiamsi jam senex sim. Commendamus hoc nomine præsentem Autorem, per hujus seculi inventa superiorum asserta illustrantem, ac per dissertationem Physico-Medicam modo nuncupatam singularem in rebus Anatomicis & Medicis eruditionem nobis probantem. Complectitur hæc tres Sectiones, quarum *prior* corporis animalium internam fabricam & animæ sensitivæ operationes, cum animæ rationalis formalitate explicat; *altera* animalium quinque summa genera & sub his diversas species recenset; *tertia* tandem de animalium usu alimentoso & medicamentoso, item noxis animalium venenatorum harumque medelis agit. Totum hocce scriptum materiebus infinitis scatet, ita ut determinare nequeamus, num plus verborum, an rerum ipsi insit: cum, ut posteriores Sectiones mittamus, prior prolixissimam atque accuratissimam Physiologiam, Medicam æque ac Philosophicam, sistat, ex optimorum Scriptorum inventis ac meditationibus congestam, propriaque sedulitate atque epicrisi exornatam, ut in hunc usque diem nullam ipsi similem, multo minus hac perfectiorem, aut magis consummatam, Publico videre contigerit.

Chymischer Glückshafen oder grosse Chymische Concordantz und Collection von 1500 Chymischen Processen ꝛc. Zusammen getragen von Joh. Joachim Bechern / von Speyer / Med. D. und Röm. Käyserl. Majestät Cammer- und Commercien-Rath etc.

hoc est,

Urna sortis fortuitæ Chymica, seu Concordantiæ Chymicæ & Collectio major 1500 Processuum Chymicorum, congesta a Joh. Joach. Bechero, Spirensi &c.

Francofurti, Impensis Joh. Georgii Schiele / 1682, in 4.

Qualem sortem ex Urna hac Tibi L.B. promittere possis, vel solius hujus Autoris, per Experientiam Chymicam & varia atque erudita ab eodem hactenus edita Scripta, sc. *Oedipum Chymicum, Metallurgiam, Physicam subterraneam* & hujus *Supplementa, Psychologiam, Mineram Arenariam* &c. famigeratissimi nomen docet. Multa in hac

invenies chymica, plura alchymiſtica, pauca medica & mechanica, ex manuſcriptis ac Laboratoriis celebrioribus collecta, ac propriis meditationibus ornata, Theorias partim, partim Encheiriſes ſingulares experimentia, & in partes 20, diverſæ molis, cum Appendice, quam *Roſetum Chymicum* vocat, digeſta. Earum *prior* diverſa Philoſophorum Scripta atque Theorias, & inter hæc ipſius Becheri judicium Philoſophicum de Tinctura Philoſophica in via ſicca, ac ejusdem Commentarium in *Monte-Snyders*, aut viam Tincturæ humidam complectitur: reliquæ vero varia experimenta & modos, metalla exaltandi, maturandi, transmutandi, a ſcoriis ſuis liberandi, cum diverſis encheiriſibus Chymicis; & harum vigeſima, miſcellanea Medica atque Mechanica non unius generis, v. g. de margaritarum dealbatione, ex minoribus majorum productione, adamantum flaveſcentium depuratione, Speculorum Metallicorum fuſione, Plantarum regeneratione &c. ſuggerunt.

THESAURUS LINGUARUM ORIENTALIUM, continens Lexicon Turcico-Arabico-Perſicum, non ſolum vocum tam ſimplicium quam conjunctarum copia maxima refertum, ſed etiam innumeris phraſibus locupletatum, & Grammaticam Turcicam cum adjectis ad ſingula ejus capita præceptis Grammaticis Arabicæ & Perſicæ linguæ: opera, typis, & ſumtibus Franciſci a Meſgnien Meninski.

Viennæ Auſtriæ. A. 1680. in fol.

PRæſentia tempora, quibus Turcici exercitus Viennam Auſtriæ infeſtant, lexici hujus Turcici paucis abhinc annis in eadem urbe evulgati memoriam nobis ſuggerunt. Autor operis laborioſi hujus & mole pariter ac ſumtibus magni eſt Franciſcus a Meſgnien Meninski SS. Sep. Eques Hieroſolymitanus, Sac. Cæſ. Maj. Conſiliarius ac linguarum Orientalium Interpres primarius, qui cum ex plurimorum librorum lectione & continuo annorum ultra quam viginti exercitio magnam linguæ Turcicæ, nec non Arabicæ & Perſicæ, quibus Turcica exornari ſolet, ſupellectilem ſibi comparaſſet, alios etiam earundem literarum notitia, ob Turcici imperii amplitudinem n præcipuis Regum ac Monarcharum aulis neceſſaria, imbuere animum induxit.

Quam-

Quamvis enim ipſum haud fugeret, extare Lexicum Italico-Turcicum *Bernardi a Pariſiis* Capucini, & Arabico- & Perſico-Latina *Raphelengi*, *Giggæi*, *Golii*, & *Caſtelli*, nec non Grammaticas linguæ Arabicæ, Perſicæ, & Turcicæ, a *Martellotto*, *Metoſcita*, *Erpenio*, *Guadagnolo*, *Waſmutho*, *Ludovico de Dieu*, *Maggio*, *Ryerio*, *Seamano* & aliis editas; noverat tamen, libros iſtos non ubivis reperiri, & ab iis, qui Turcicas literas tractandas ſuſceperunt, multa ad ſyntaxin ejus linguæ pertinentia prætermiſſa deprehendit. Quamobrem ut pleniorem iſtarum linguarum theſaurum aperiret, omnibus immenſi laboris, maximarum impenſarum aliarumque difficultatum obſtaculis inſuper habitis, Johannem Lobingerum civem Noribergenſem chalcographiæ peritiſſimum ad lares ſuos invitavit, ejusque opera characteres Arabico-Turcicos cum aliis typis ad hoc opus neceſſariis incidi, ac poſtea typographia integra jam ſatis inſtructa Lexicon hoc eum adjuncta Grammatica imprimi curavit. Ac in onomaſtico quidem, juxta notiſſimam Alphabeti ſeriem diſpoſito, voces & phraſes Turcicas, Arabicas, & Perſicas, characteribus etiam Latinis ſecundum pronunciationem Turcis aſſuetam expreſſas, primum per alia earundem linguarum ſynonyma, deinde vero Latine, Germanice, Italice, Gallice & Polonice explicat. Nonnullas tamen voces & phraſes, in communi loquendi uſu minus vulgares, Latine & Italice tantum, eas vero, quæ non niſi in libris profundioris doctrinæ occurrunt, Latine tantum interpretatur. Interſerta nonnunquam etiam invenias vocabula ex Tatarica lingua deprompta, de qua etiam in Grammaticis inſtitutionibus nonnulla afferuntur. Onomaſticum enim hoc, quod cum appendice ſeu auctario ſubjuncto ultra ſexies mille paginas extenditur, excipit Grammatica Turcico-Arabica & Perſica in ſeptem partes diſtributa, in qua orthographia, etymologia, ſyntaxis, & proſodia iſtarum linguarum perſpicue traditur & exemplis illuſtratur. Reliqua ad ſplendidi hujus operis methodum ac uſum ſpectantia Autor in proœmio fuſius exponit, ubi notas quoque, quibus Turcicas voces ab Arabicis & Perſicis diſtinxit, aliosque characteres, quibus paſſim uſus eſt, declarat, & Autores Turcicos, Arabicos, Perſicos aliarumque gentium editos & manuſcriptos indicat, e quibus hunc theſaurum linguarum orientalium collegit.

PREUVES & PREJUGEZ POUR LA RELIgion Chreſtienne & Catholique, contre les fauſſes religions & l'Atheiſme, Par M. F. Dyrois, Docteur en Theologie de la Faculté de Paris.

ſive

Probationes & præjudicia pro Religione Chriſtiana & Catholica, contra falſas religiones & Atheiſmum, M. F. Dyrois, Doctoris Theologi in Facultate Pariſienſi.

Pariſiis, 1683. in 4.

PLas mentes non facile alius dolor gravius afficit, quam cum divinam veritatem & gratiam aut proterve rejici, aut ſimulata profeſſione jactari vident, factis ſive moribus negatam & eliſam. Ita David ſtultitiam impiorum & hypocriſin eorum, qui religionem profitentur, acerbis querelis toto fere Pſalmorum libro perſequitur. Ita ipſum Chriſtum ex vaticinio Davidis Pſ. 68, 10, *comedit zelus domus domini*. Joh. 2, 18. Prædixit tamen idem, & confirmarunt Apoſtoli ejus, utrumque malum, atheiſini nempe & ſimulatæ religionis, indies majora incrementa ſumturum eſſe, & circa finem mundi vix veſtigia veræ fidei ſuperfutura: quæ cum impleri deprehendant temporibus noſtris, fideles & pii, ſpem quidem de Eccleſiæ externa felicitate in mundi hac fece abjiciunt, ſolatium tamen capiunt, ſperantes, nō minus comprobatum iri eventu, quæ de conſervatione piorum, utut numero paucorum & ſorte miſerabilium, Servator promiſit. Pugnant interea, ejus auxilio freti, tum adverſus animi ſui trepidationes, tum adverſus inſultus impiorum; & cauſam Dei, pro viribus divinitus conceſſis, ore, ſcripto, morum ſanctitate, inter tot corruptelas ſervata, defendunt. Inter eos verō, qui contra calumnias & ſophiſmata atheorum & heterodoxorum calamum ſtrinxerunt, non ſine eruditionis, eloquentiæ & zeli laude comparet Autor hic, Theologus Pariſienſis. Audiamus eum de inſtituto ſuo, in Præfatione operis, pie & docte ſcribentem. Præmittit encomium religionis Chriſtianæ, qua nihil toto orbe attentione noſtra dignius eſſe, merito ſtatuit. Hæc enim, ait, docet omnia, quæcunq; homines ratione præditi, cognoſcere cupiunt, ad curſum præſentis vitæ recte tenendum, & melioris atq; æternæ poſt mortem poſſeſſionem adquirendam. Oſtendit hæc, quis ſit Autor omnium rerum, quo fine hæ productæ ſint, quis ſit earum licitus uſus: quid ſentiendum de Ente ſupremo, omnium aliorum cauſa effectrice: quid ſit ſummum bonum, quibus mediis ad id perveniatur: quæ

ſint

mala, quale contra ea remedium. Tantos vero & tam certos esse tradit doctrinæ hujus characteres, ex quibus divinitas & veritas ejus agnosci possit, ut neminem latere, aut fallere queant, qui debitam attentionem adhibeat. Ideas sive conceptus ejus superare omnes & speciosissimas Philosophorum speculationes. Argumenta pro ejus veritate ex intuitu creaturarum, & ratiocinatione subtiliori, non pauca quidem oriri, sed longe evidentiora esse, quæ ipsa historia religionis propagatæ, Prophetiarum antiquissimarum eventus, & effectus doctrinæ probe considerati, suppeditent. Infert inde, excellentiam & veritatem religionis Christianæ demonstrari luculentius & firmius non posse, quam si simpliciter referatur & considereretur, quomodo in orbe stabilita sit, quid eam præcesserit, quid sit consecutum; tum quomodo conservata fuerit. Intuitu hujus ordinis & horum eventuum, orbem terrarum persuasum fuisse de veritate prædicationis de Deo & de officio hominis, cum aliis viis per paucorum philosophantium subtilitates parum effectum fuerit, nec superatæ dubitationes & difficultates. Quoniam vero multi ea vel præsumtione tumeant, vel præjudiciis ex sua imaginatione aut assuetudine a teneris, quæsitis occupentur, ut nihil credere velint, quam quod ratiocinatione assequantur; visum sibi esse, scribit Autor, a primis cujuscunque religionis elementis, quæ sola ratione comprehendi possunt, initium facere, & stabilitis veritatibus, quæ sensus communis inficiari non potest, ostensum ire, necessario recipiendas etiam esse reliquas, quæ a Christiana religione proponuntur, utut incredibiles appareant. Putat autem Deum ipsum hac via progressum esse. Ex principiis enim illis generalioribus, quæ Philosophi, & quæ ipsa doctrina Moysaica proposuerit, inductos esse homines, ut respicerent ad rerum visibilium conditorem, ejusque perfectionem, & in gubernando mundo sapientiam: ad præstantiam humanæ naturæ: ad officia hominum erga Deum & inter se: ad usum creaturarum decentem: ad studium & acquisitionem summi boni: Tum ad expendendum, quid variæ Theologorū & Philosophorum opiniones doceant & inferant, istis principiis vel conforme, vel adversans. Quo igitur tempore Christi doctrina prædicari cœpit, gentes, quibus ea primū annuntiata est, jam assuetas fuisse ait, ad differendum de veritate opinionum circa religionem & cultum divinum, ideoque facilius intellexisse, quæ disquirenda & credenda proponebantur. Quemadmodum enim prius homines sumus, quàm Christiani: ita usu rationis opus esse, ut cognoscamus, præferri Christianismum debere omnibus aliis religionibus. Tanto igitur expeditius esse hu-

jus veritatem & dignitatem agnoscere, quanto magis præparatæ sint mentes ad materias, quas tractat.

His ita præmonitis & consideratis Autor Libr. I enarrat, quæ ex lumine rationis de primariis religionis cujuscunque articulis proponi possint. v.g. de consensu gentium super existentia Dei: de eventibus rerum: de immortalitate animæ: de libero arbitrio; interspersis etiam argumentationibus physicis. Libro II, ad cognoscendum hæc cum certitudine opus esse revelatione divina, si absq; falsi intermixtione doceri velimus, monstratque Philosophorum errores, & quibus argumentis & notis veræ revelationes a suppositiciis & falsis dignosci debeant, easque notas Sacræ Scripturæ V. T. traditisque in ea revelationibus, præsertim per Noachum, Abrahamum & Moysen, inesse probat, & quæ iis ab impiis objiciuntur, refutat. Lib. III & IV omnium excellentissime reperiri omnes illos characteres demonstrat, in Revelatione Jesu Christi, Domini nostri, & scriptis Apostolorum & Evangelistarum. Libro V progressum, profectus, & effectus religionis Christianæ recenset, & contra Judæos argumentatur. Libro VI deducit, omnes revelationes & religiones, quæ cum doctrina Christi non conveniant, falsas esse, sive ob idololatriam, quæ Christianismi tempora præcessit, & morum pravitatem inde secutam; sive ob corruptelas & hæreses: & speciatim Mahometanos impugnat. Hæc omnia ita proponit & firmat, ut in plerisque applausum meriturus videatur etiam discrepantium circa articulos fidei quosdam Theologorum, aliorumque doctorum virorum. At Libro VII scopum suum, postea quam contra hæreses veteres disseruisset, coarctat, eoque deflectit, ut fundamento solido & immobili, quod in libris præcedentibus magnifice præstruxerat, adjungat aut superficiat id ipsum, de quo cum Romanæ Ecclesiæ doctoribus tot annis disceptant repurgatæ religionis assertores, Traditionem nempe ore factam, & quidem eo modo descriptam & statuminatam, qui hypothesi Romanæ convenit. Hinc efficere vult, religiones omnes, quas sectarum & hæresium nomine & numero censet, adeoq; vel maxime etiam nostram, quæ B. Lutheri ministerio prædicari superiori seculo cœpta est, rejici debere. Extollit felicitatem, amplitudinem & potentiam religionis Romano-Catholicæ. Laudat etiam exempla sanctorum morum & conversionis gentium a Clero Romano edita. Elevat & exprobrat nobis paucitatem, & alia, quæ fidelis, utut parvi gregis, signa esse scimus, nec minas aut omina ejus metuimus, cum eadem nobis fata minitatur, quæ hæreses veteres incurrerint. Recoquit etiam veterem calu-

calumniam, quod Principes Germaniæ non aliam fecessionis ab obedientia Romanæ sedis causam habuerint, quam cupiditatem invadendi & retinendi bona Ecclesiastica. Sed hæc atque alia breviter hic notari debuerunt, ne agnita videantur. Refutata sunt dudum a multis, &, si aliqua responsione digna judicentur, non deerunt, qui eam in tempore possint reddere. Meliora sunt, quæ secunda Libri VIII parte adversus Socinianos disputat, nisi cum iterum ad axioma suum de Traditione regreditur, existimans hoc maxime refutari & reprimi istos posse, qui Scripturæ fidem cavillis perpetuis eludant.

Addere lubet, quæ de Scriptoribus adversus Atheismum, sive pro veritate Christianæ religionis in præfatione compendiose tradidit. Scripsisse refert secundo & tertio post Christum seculo adversus Paganos & Judæos *S. Justinum* Martyrem in Apologetico, in dialogo contra Tryphonem Judæum, & in opere contra gentiles; discipulum Justini *Tatianum*, libro contra gentes; dein *Theophilum Antiochenum*; *Athenagoram* in scripto ad Imperatores; *Minutium Felicem* in dialogo elegantissimo; *Tertullianum* in Apologetico, itemque contra Judæos & ad Scapulam; *Clementem Alexandrinum* plurimis locis in libris stromatum; *S. Cyprianum* libris ad Demetrianum & de vanitate idolorum; *Originem* contra Celsum. Quarto seculo *Lactantium & Arnobium*. Supersse etiam tractatum excellentem *S. Athanasii*. Idem egisse *S. Chrysostomum* in præstantissimis homiliis, ut & *S. Cyrillum Alexandrinum* in libris contra Julianum Apostatam; *Eusebium Cæsariensem* de præparatione & demonstratione Evangelica; *S. Augustinum* libris de veritate religionis, & magno de civitate Dei opere: præter multa, quæ Patres scriptis contra hæreticos inseruerint. Post illa tempora nihil tale legi, usque ad *Anselmum & Thomam Aquinatem*, cujus summa contra gentes exstat. Posteaquam vero multæ Barbarorum provinciæ a Christianis detectæ sunt, & commercia cum Mahometanis frequentari cœperunt, rediisse ad materiam hanc tractandam doctores Christianos, insignemque operam navasse *Raymondum de Sebonde*, *Ludovicum Vivem* & *Granatensem*. Meruisse etiam apud Romano-Catholicos laudem ex dissentientibus *Philippum Mornæum* Plessium, & *Hugonem Grotium*. Memorat inde cum elogio opus *Hueti* de demonstratione Evangelica, paucos ante annos editum, & quæ *Episcopus Meldensis* scripserit. Ex quibus omnibus collegisse se fatetur, quæ valida & plausibilia sibi visa fuerint. Præteriisse vero de industria veterum gentium adversus Christianos calumnias, dudum ab Ecclesia-

cleſiaſticis ſcriptoribus retuſas. Evitaſſe etiam controverſias quasdam particulares & criticas, quæ ad demonſtrandam veritatem nihil proficiant. Abſtinuiſſe ab omnibus, quæ non certiſſima judicaverit, & a diſputatione inter Chriſtianos non dependentia. Pia eſt, quam ſubjungit, admonitio, quod ſine precibus gratiæ divinæ illuminatio impetrari non poſſit: absque gratia vero hac ne craſſiſſimi quidem errores deponi queant, & argumentorum robur nec a ſagaciſſimis agnoſci: cum ipſius Chriſti divina verba tantis miraculis firmata, non niſi miſſo Spiritu Sancto perfectam fidem & operationem invenerint.

NOVUS COMETES,

a medio Julii anno 1683 *Lipſiæ viſus.*

Die 13 Julii ſt. vet. Lipſiam rure nunciatum eſt, denuo Cometam in cœlo conſpici. Nec abnuit huic nuncio nox infecuta, quæ novum hunc advenam Amico, ad quem perlatus erat rumor, oculos per cœlum ſolicite circumferenti primum detexit. Præter tractum tamen cœli, in quo Phænomenon hoc offendit, regionem ſcilicet Urſæ majori & Aurigæ mediam, cujus ſparſæ ſtellæ in Jordanis aſteriſmum congeſtæ ſunt, nihil ab ipſo tunc notatum.

Poſtero die 14, circa XI veſpertinam promiſcue viſus eſt, non procul a loco, unde ſuperioris anni Cometes curſum ſuum occeperat: corpore exiguo, nec ſtellis tertiæ dignitatis par, lumine diluto & ſubalbicante, caudaque tenui, nec niſi oculis vegetioribus obvia, ad paucos etiam gradus verſus verticem protenſa.

Hoc inſequentibusque diebus captæ ſunt ejus a proximis Fixis diſtantiæ, quantum cœlo vario, & per crepuſculinam lucem, licuit: at quia Fixæ iſtæ in Catalogis non comparent (a notis enim & inſignioribus ſtellis phænomeni diſtantiam capere locus obſervationi incommodus non permiſit) calculus motus eousque nobis differendus eſt, donec ſupputatis Fixarum illarum locis, curſuque Cometæ peracto, integram ejus hiſtoriam una veluti Tabula exponere liceat.

Hoc interim compertum habemus, motum ejus in antecedentia niti, languidum, & diurnum vix boſſi unius gradus æqualem; quem tamen hujus diei (ſcribimus autem hoc pridie Kal. Aug.) obſervatio nunc intendi conjicere nos fecit. Diſtitit autem circa mediam noctem a Lucida in capite Aurigæ circiter 6°, 30', ab Humero ejusdem plus 5°; ſuperato jam Coluro Solſtitiorum verſus Capellam & Eclipticam, ſed (niſi conjectura fallimur) arcu circuli minoris, tendens: Longitudo utcunque æſtimata fuit 25°♊, cum latitudine 27° Borea, quæ ſub initium apparitionis erat 30°.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Septembris, Anno M DC LXXXIII.

MISCELLANEA ERUDITÆ ANTIQVITATIS, sive SVPPLEMENTVM GRVTERIANVM: in quo eruditiora & intellectu difficiliora Marmora a Grutero omissa enodantur; statuis, gemmis, nummis, & toreumatis illustrantur; consarcinante JACOBO SPONIO Medicinæ Doctore & Professore Collegio Lugdunensi Aggregato.

Lugduni 1679 & 1683, in fol.

OMnia nata interire, neque quidquam immortale esse in terris, sed quæ manibus hominum facta sunt, iisdem concidere ac dirui; æreis & marmoreis quam maxime patet monumentis. quæ ab auctoribus immortalitati nominis, quod cum æternitate temporum certet, destinata, vix per aliquot sæcula durarunt; devastationibusque bellicis obruta, aut situ & carie exesa; exiguam sui memoriam posteris reliquerunt, ex cineribus & ruinis urbium hodie repetendam solliciteque effodiendam. Quo magis laudanda est eorum industria, qui de bonis litteris bene meriturі in desolatarum urbium ruderibus consepultas lapidum memorias investigant, arbitrati antiquis lapidibus ceu fundamentis meliorem eruditionem superstrui: & his adminiculis fulti multa latinitatis sauciæ vulnera feliciter sanarunt, vocabulis luxatis genuinas litteras, orationi hiulcæ appositas sententias, vetustate deletis nominibus memoriam, & obscuris lucem ex obsoletis statuis, scabrosis cippis, & squalore obductis ac temporis injuria fere abolitis monumentis restituentes. Omnium cæterorum industriâ studii hujus assiduitate & felicitate proventus supergressus est JANVS GRVTERVS, qui omnes sive ab aliis editas publice, sive

privatim transmissas aut aliunde erutas Inscriptiones vasto opere collegit: quod eruditorum omnium applausu exceptum, qui incredibilem monumentorū quæ vetustis saxis continentur præstantiam & late diffusam per omne genus priscæ ac reconditæ doctrinæ varietatem veneratione prosecuti *admirandi* elogio passim celebrarunt. Inde utique nec aliunde ferme petendi varii Sacrorum ritus; Fœderum formulæ; Magistratuum scita, munia, discrimina; Collegiorum, Corporum, Professionum genera, officia, rationes; Domus Augustæ ministeria; Tituli operum publicorum; multa domi militiæque instituta; adde Manium jura; Pietatis mutuæ Parentum, Conjugum, Liberorum, ac eruditæ simul elegantiæ monumenta; principis denique gentium Populi nomina, ætates, tribus, singula publicis quasi tabulis descripta. Hæc certe aliaque, enarrante doctissimo Spanhemio *sub init. Dissertat. IX de præstantia & usu numismatum*, tot litteratis ex omni memoria ætatum, temporum, civitatum Saxis, impensum quoddam pretium apud gnaros talium ac intelligentes haud immerito constituunt, eorumque assertores ac vindices æternitati consecrant. Igitur ad consummandam gruteriani instituti nobilissimi utilissimique (quod accessionibus locupletabitur quamdiu bonis litteris honor constabit) laudem complures editis hoc sæculo quas ipsi deprehenderunt Inscriptionibus insignem operam contulerunt; REINESIVS vero, cujus Syntagma anni superioris mense Aprili pag. 89 recensuimus, & cui hoc studium ætatem fuit, eorum spicilegia colligendo & ad Scaligero-Gruterianas rationes componendo largam earum messem coacervavit: & nunc elegantissimæ doctrinæ ac variæ eruditionis vir JACOBVS SPONIVS Medicus & Polyhistor Lugdunensis idem institutum magno elegantiarum apparatu instructus strenue urget. Ac superiori quidem nono & septuagesimo sæculi anno *Supplementi Gruteriani* Partem primam ejusque *primam* sectionem sub titulo *Miscellaneorum eruditæ antiquitatis* emisit, universumque per partes proditurum opus Serenissimo Galliarum Delphino nuncupavit; hoc vero quem agimus anno sectionem *secundam & tertiam* publici juris fecit: ubi magisne nitorem typorum, chartæ munditiem, elegantiam iconismorum, & artificiosam accuratamque marmorum delineationem mireris, an adjectorum discursum variam eruditionem suspicias, ambiguum est. Sponianum sane

Gru-

Gruteriano operi, cui ſupplendo & explicando expoliendove operam hanc impendit, palmam prærepturum eſſe, ubi ad juſtæ magnitudinis molem excreverit, dubitationi locus vix relinquitur. Tribus enim libris omnia conſtituit Auctor ſe collecturum marmora, quæ vel in Gruteriano opere nondum viſerentur, cumprimis Græca; vel male in eo polita aut vitiose deſcripta ipſe iter per Italiam Græciamque faciens accuratius enotaſſet, aut ab amicis accepiſſet, aut ex libris poſt Grutervm editis hauſiſſet; vel denique quorum imagines & typos nondum quisquam vulgaſſet, & quæ eruditas ac intellectu difficiliores inſcriptiones gemmis, ſtatuis, muſiuis & toreumatis illuſtratas exhiberent. *Primum* librum *ſeptem* vel *octo ſectionibus* abſolutum iri indicavit, quarum *tres* ſuis diſtinctæ articulis jam prodierunt, nitidiſſimis æneis tabulis artificioſe exſculptis inſignes, quæ ſacra ac Deorum hiſtoriam, inque ſacrificiis uſitatorum rituum, Mænadum, Muſarum, Collegiorum & aliarum ad bonas litteras intelligendas proficuarum rerum cognitionem illuſtrant. Sub finem de *tripodibus* Diſſertatio annexa eſt, eique præmiſſa tabula e nummis & aliunde petitas varias tripodum formas ob oculos ponens. Ut quæ reſtant ſectiones partis hujus abſolvere, ſed & reliquas duas partes integri operis adornare liceat, celeberrimo Auctori idoneum otium & ætatem ac vires præſtantiſſimo ſtudio ſuffecturas a DEO precari bonarum litterarum nos jubet amor.

SANCTI GREGORII PAPÆ PRIMI cognomento Magni, Milleloquium Morale; Autore R.P. Jacobo Hommey Auguſtiniano, Communitatis Bituricenſis.

Lugduni 1683. in fol.

Non inepte quidam, cum Patres Eccleſiæ tam Græcæ quam Latinæ in ætates, primam, mediam, & ultimam diſtribuunt, ac cuique ætati quatuor Cardinales Patres tum Græcos tum Latinos aſſignant, ex Latinis primæ ætatis Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum, & Gregorium M. pro cardinalibus habent. Hi enim validiſſima quatuor Eccleſiæ Latinæ fulcimenta præter cæteros ſunt viſi, imo & tanti a Canoniſtis fuere habiti, ut, quod Gloſſator *ad Jus Canonicum* & Ever-

hardus *in Topica Legali* obſervavit, ipſis ſtandum in rebus certis dixerint, Hieronymo puta in Translationibus, Auguſtino in Diſputationibus, Gregorio in Moralibus, & Ambroſio in Sacramentis, ſeu in Allegoriis ſcris. Fuere autem Patrum horum quatuor opera non evoluta tantum ac revoluta quam diligentiſſime, ſed a multis in ſuccum etiam atque ſanguinem, quod ajunt, converſa. Fuerunt quippe ex varii ordinis Fratribus, qui in otio illo monaſtico flores ex ſpatioſiſſimis patrum campis decerpſere; quemadmodum & liber extat *Deflorationes patrum*, rectius, *Flores ex patribus*, inſcriptus. Notus præ aliis eſt *Bartholomæus Urbinas* ſeu *de Urbino*, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, Vir, Trithemio teſte, non *in divinis* tantum *ſcripturis ſtudioſus & eruditus*, ſed & *operum ſanctorum patrum perſcrutator*. Hic enim *Milleloquium Auguſtini*, quod *Auguſtinus Triumphus de Ancona* inchoaverat quidem, ſed morte præventus non abſolverat, perfecit; ſeu, ut Sixtus Senenſis de eo in Bibliotheca Sancta, *omnia fere D. Auguſtini volumina tenens contexuit e variis ſententiis ac locis opus ingens duobus tomis conſtans in explicationem totius ſcripturæ &c.* Habuit autem Urbinas præduces hac in re, præter Auguſtinum Triumphum, adhuc alios. Ita enim ille in epiſtola præliminari ad Clementem V Pontificem Romanum: *Conſideravi doctorum Bernhardi compilatorem atque Gregorii; volui itaque ob devotionem, qui ex devotione obligor, equaliter eſſe Auguſtini; imitatus Archidiaconem Aretinæ Eccleſiæ, qui de dictis hujus Doctoris eximii omnes fere epiſtolas Pauli gloſſavit. Secutus etiam Euſebium Abbatem, qui de libris ejusdem volumen ſub vocabulo Florum Paradiſi tranſcripſit; occurrit inſuper moderna inſpectio viri ſpectabilis, venerabilis amici mei, Domini Johannis Andreæ de Bononia, Decretorum Doctoris eximii, qui de vita & libris beati Hieronymi luculentum librum edidit, & Hieronymianum nuncupavit.* Scripſit autem idem Bartholomæus de Urbino & *Milleloquium Ambroſianum*, & quidem ad mandatum ejusdem Clementis Papæ, prout ipſe in epiſtola præfixa profitetur. Sed ecce! & *Milleloquium Gregorianum*, *Milleloquium* inquam *S. Gregorii M.* qui patrum cardinalium Latinorum primæ ætatis quaternionem meritiſſimo ſuo complet. Scripſit illud *P. Jacobus Hommey*, Auguſtinianus, idque Innocentio XI, Pontifici hodie Maximo, dedicavit. Cum enim animadverterit hic autor, *duo Milleloquia Bartholomæi Urbinatis*

lau-

laudari ab omnibus, tractarique utiliter, dolueritque non ſimile quid tentatum in Gregorio, Bernhardo, aliisque patribus, (tentatum autem ſimile quid fuiſſe verba Bartholomæi de Urbino ſupra allegata docere ipſum potuiſſent) *Milleloquium Gregorianum* adornare ipſus voluit, inque eo quicquid Gregorius non ad formandos tantum mores ſcripſit, ſed & quicquid in eo ad Theologiam Scholaſticam, Poſitivam, Aſceticam, ſacrarum literarum intelligentiam, Jus Canonicum, Eccleſiaſticamque diſciplinam ſpectat, ordine digeſſit alphabetico, notisque perpetuis illuſtravit. Opus hoc autor ipſe commendat ut Theologis, Interpretibus, Aſcetis, Concionatoribus, Canoniſtis, omnibus denique Chriſtianis longe utiliſſimum. Et ſane non collectæ tantum in eo ex libris Gregorianis ſunt ſententiæ, ſed loca etiam obſcuriora adnotationibus doctis elucidata; cumque loci operis alii ſint Theologici, alii Hiſtorici, alii mixti; Theologici, Canonici inprimis atque Aſcetici, in varias diviſiones ac ſubdiviſiones ſunt ſecti, adhibitis etiam quæſtionibus & argumentationibus Syllogiſticis, ut tractatus integri ac diſſertationes videri poſſint. Sed audite Autorem ipſum has ſuas merces ſic commendantem in præfatione ad Lectorem: *Milleloquium hoc noſtrum omnium tractatuum ejus* (Gregorii) *ſupplementum, lumen, medulla eſt, nec mera cenſeri debet ſententiarum collectio indigeſtaque moles; quinimo corpus doctrinæ ſuis membris diſtinctum, conſtans nervis &c.* Et ſub finem: *Vix tibi deinceps opus fuerit aliorum tractatus evolvere, ut de quovis Theologico, Morali, Aſcetico, Canonico capite ad amuſſim diſputes. Quodlibet proponatur, doctiſſime, ornatiſſime, efficaciſſimeque pertractabitur a te, exhaurietur, adeo ut meo milleloquio utaris ceu quodam omnium ſcientiarum penu, gazophylacio, encyclopædia, isque tibi erit liber & omnis, & multiplex, & unicus.*

DESCRIPTION DE LA LOUISIANE, nouvellement decouverte au Sud-Oüeſt de la Nouvelle France, par ordre du Roy &c. par le R. P. Louis Hennepin, Miſſionaire Recollet.

Descriptio Louisianæ, nuper detectæ ad meridiem & occidentem Novæ Franciæ, ex mandato Regis; cum tabula Geographica & relatione de moribus & victu barbarorum: dedicata Regi, a R. P. Ludovico Hennepino Misſionario Recollecto & Notario Apoſtolico,

Pariſiis 1683, in 12.

Louiſiana nomen tractui Americæ ſeptentrionalis Galli nuper dare cœperunt, ſive quod incolæ ſolem *Louis* vocant; ſive ad nomen Regis Chriſtianiſſimi reſpicientes; ſive quod ſimul ad emblema alludant, quo Regias virtutes & actiones cum Sole comparare ingenioſi quidam ſcriptores aſſueverunt. Inde eſt, quod in dedicatione ſua, ut & in fine libri autor hic, profeſſione monachus, ordinis S. Franciſci, ex ſeveriori Recollectorum diſciplina provinciæ Atrebatenſis, Regi novum & ingens in Americanis illis provinciis regnum ominatur: reperta jam via, huc uſque non explorata, per lacus & flumina, quibus ex nova Francia in ſinum usque Mexicanum navigari poteſt. Hujus indagatio non ſemel a Gallis tum militibus & mercatoribus, tum miſſionariis Eccleſiaſticis, æmulatione & invidia, ut ex hoc ipſo libro apparet, aliquando certantibus, cœpta, ſæpe tamen interrupta fuit. Conatum *Jollieti* anno 1673, ex relatione *Marquettæ* Jeſuitæ, *Thevenotius* in tractatu nuper memorato expoſuit. Paulo ante *Robertus Sallius* Eques anno 1669 iter ingreſſus, ultra fines lacus *Ontarii* ſive *Frontiniaci* non pervenerat, variis remoris impeditus, donec anno 1675 ex ceſſione Comitis Frontiniaci, Novæ Franciæ poſtmodum Gubernatoris, (a quo & lacus & munimentum adjacens nomen habet,) Regium diploma impetraret, ad Frontiniacam munitionem, quæ ſubitaneo opere ex vallis & cespite exſtructa erat, amplificandam & cæmentis firmandam; deinde anno 1676 novo privilegio ad exercendam pellium mercaturam excitatus, ſerio de itinere occidentem & meridiem verſus cogitaret. Aſſumſit autem ad religionis Chriſtianæ rudimenta barbaris proponenda, ex Recollectorum ſodalitio monachos

chos tres. Inter eos fuit autor hujus descriptionis, qui paulo ante in colonia Gallica 14 aut 15 familiarum ad Frontiniacum collecta sacerdotis & catechetæ munus exercuerat, & liberos *Iroquiorum* (ita barbari indigenæ illius tractus, Gallorum fœderati aut clientes vocantur) literis imbuere cœperat.

Orsi sunt iter mense Novembri anno 1678 lembo majori usi, hominum primum 16, postmodum 32 comitatu, & mercibus, quas barbari desiderant, ferramentis præcipue, instructi. Ingentes in vasto illo terrarum tractu lacus sunt, a Geographis minus recte notati. Eorum quinque maximis, Galli nomina *Delphini, Aureliani, Condæi, Contii* & *Frontiniaci* dederunt. Hic coloniis Gallicis *Monti Regali* & *Quebeco*, ubi Episcopi sedes habetur, propior est. Ex lacubus hisce ingentem aquarum molem celebre *S. Laurentii flumen* & sinus haurit. Isti lacus per transeuntia flumina inter se connectuntur, periculosa tamen navigatione, tum ob rapiditatem amnium, tum ob cataractas immanes: quarum una, ad Niagaram fluvium, *magni saltus* nomine famosa, ad 500 pedes alta est. At Barbari lintres habent ex arboribus cavatas, vel ex arundinibus & juncis ita compositas, ut fere non nisi duos tresve homines capiant; eaque sunt levitate, ut, cum ad cataractas perventum est, vel ab uno fluvio in alium transeundum, bajulari, aut per terras nive oppletas trahi possint. Ita fit ut flumina celerrime pernavigent, & improvisi hostibus superveniant, aut venationes in dissitis terris exerceant. Talibus scaphis utendum etiam fuit Sallio & sociis, cum majora navigia subvehi & transferri non possent. Facilis tamen est majorum navigiorum structura ob materiæ copiam: eaque infra cataractas, per quas nullus navibus ascensus patet, fabricari, & navigationem commodiorem, barbaris vero terrorem facere possunt. Etsi enim ex commerciis cum Anglis & Batavis arma Europæa quidam acceperint, pavide tamen nec satis perite iis utuntur, ita ut centeni Europæis decem non resistant. Cæterum molestissimum fuit hoc iter, tum ob frigus, quod sub climate illo non est mediocre, & flumina glacie adstringit, tum ob summam omnium rerum penuriam, cum commeatum sufficientem lintrium angustia non caperet, sed victrandum esset modico frumenti Indici demensо, eoque tosto, plerumque vero carne ursorum aut bubula, pingui quidem, sed ob salis & aromatum defectum insipida. Mirum vero

vero est, quod carnes illas, sine sale siccatas, in saccis ex pilis taurinis compositis, ad quatuor menses barbari servent, ita ut recentis saporem retineat, & jus ex ea coctum bibatur; quod optimum potus genus est, ubi præter aquam ferme nihil habetur, quod sitim restinguat. Accessit barbarorum nequitia & perfidia, quippe quos non Batavi solum, sed & ex Gallis quidam Sallii æmuli stimulabant, ut iter quovis modo, mentiendo etiam & pericula fingendo, impedirent. Sic coactus fuit, amissis etiam naufragio mercibus non contemnendi pretii, Frontiniacum miserrimo modo pedes remeare; cum prius inter lacum Delphinum & fluvium, cui *Segnelay* nomen fecerunt, in finibus *Ilinorum*, domum aliquam *Crepicordii* seu *Crevecoer* nomine, exstruxisset & communiisset; postea tamen defectione sociorum derelictam. At Hennepinus rogante Sallio, & excitatus a sodalibus monachis, iter, duobus Gallis comitantibus, continuavit, ut non solum alia flumina, sed & ingens illud, in quod cætera incidunt, cui accolæ *Mechsasipi* sive *Missisipi* a magnitudine, sed Galli ab illustrissimo Colberto, coloniarum & navigationum summo post Regem patrono, nomen fecerûnt, ascendendo & descendendo ad 500 leucarum longitudinem enavigaret; eo tamen fato, ut non saltem fame & fatigatione fere consumeretur, sed & per menses novem captivi loco a gente *Issatorum* sive *Nadovessorum*, una cum sociis duobus, haberetur, quotidie mortem a barbaris exspectans, quam ex monachis Gabriel Ribukdæus, nobili in Burgundis genere natus alio loco, sed in hoc ipso itinere oppetiit, clava barbarica trucidatus. Supervenientibus tandem Gallis quibusdam, mercaturam exercentibus, & dimissus ab hero barbaro, qui servitutis rigorem adoptionis titulo emolliverat, filiumque suum vocabat, post annos a cœpta navigatione fere tres, Frontiniacum rediit, mense nempe Julio anno 1681. Quæ omnia ex narratione ejus non sine commiseratione, sed & cum admiratione legentium percipi possunt. Sed præstat de regionibus ipsis & incolarum moribus & victu notabilia quædam excerpere.

Regio sita est ad occidentem Novæ Franciæ in meridiem protensa, inter gradum latitud. septentrionalis 50 ad 36. A septentrione & ortu æstivo habet barbaras gentes, & versus ortum colonias Anglorum, Gallorum & Batavorum. Cum vero, posteaquam Hennepinus iter suum finiit, anno sequenti 1682 Sallius, flumine Colbertino

ad

ad 300 leucas ulterius descendens, usque ad sinum Mexicanum navigaverit, novasque gentes, & inter eas *Ovamatas*, qui regem, & aulam ministris sapientibus ordinatam habent, detexerit, accuratior & amplior descriptio sine dubio brevi evulgabitur; cujus spe tabulæ Hennepinæ, ut imperfectæ, exemplum Actis hisce addere supersedimus. Quod vero naturam & temperamentum locorum attinet, feracissima omnis generis frugum terra ista perhibetur, etiam vitium, quæ ibi sine cultura crescentes, ad arbores eriguntur, & racemos uvarum ingentes ferunt, unde vinum Gallico fere æquale exprimitur. Quoad calorem & frigus, Europæis provinciis non absimilis est, cum quibus in eodem climate jacet, nisi quod ob lacuum & fluviorum copiam depressior est & humidior, sed ideo etiam fertilior, & incredibili pascuorum copia abundans. Admittit itaque nostri frumenti, tum leguminum & olerum omnium sationem & plantationem: at arbores proceritate & specie fructuum nostras vincunt. Major etiam omnium ferarum multitudo & varietas est, ut & piscium, & volatilium. Inprimis ingentes boum sylvestrium, sive urorum, greges circumvagantur, quorum venatio barbaros maxime occupat. Urforum, cervorum, caprearum, luporum, castorum non parvus numerus est: ranarum ea magnitudo, ut voce mugitum boum fere æquent. Serpentes & alia venenata non desunt; sed & remedia adversus ea ex herbis in promtu habentur. Alicubi ad ferri & æris fodinas spes apparuit.

Hominum pro vastitate regionum numerus exiguus, sed corpora robusta & morbis raro subjecta; quia continuo venatu & labore, ut & saltatione fere quotidiana exercentur, & ita cibos, quamvis viles & insulsos, bene digerunt: famem tamen ad tertium aut quartum diem, etiam insidiarum aut venandi causa tolerant: cutem ita assuefecerunt, ut pulicum & insectorum aliorum morsus, aut non sentiant, aut negligant, & in terra nive aut glacie plena seminudi cubent. Sarcinas ingentes portant, mulieres plerumque, quantas tres viri Europæi non gestarent. Iter 300, vel 400 leucarum, belli aut venationis causa, longius illis non videtur, quam Gallis via, qua Parisiis Aurelianum itur. Fœminæ licet gravidæ nihil remittunt ex labore, & enixæ ad omnia officia domus statim redeunt: gibbosi aut alio vitio debiles rarissime inter eos conspiciuntur. Fatigati aut ægrotantes balneo calidissimo & fricatione vires recipiunt; dolores membrorum inci-

sione, expressione sangvinis, & unctione leniunt & superant. Decocta ex corticibus, febrium & aliorum, si qui sunt, morborum remedia præbent; variolis tamen nulla quærunt. Impostores inveniuntur, qui violenta tractatione, multisque præstigiis, nescio quid, decumbentibus extrahere & evellere se fingunt, dum domestici commessationi & saltationi superstitiose indulgent. Narrat Autor se quoque pro medico habitum, cum infantem morti vicinum baptizaret, qui postea convalescere inciperet, quod aqua tingi, & cruce signari illum vidissent; sed magis, quod venæ sectione asthmaticis succurreret, & puerorum vertices novacula tonderet. Vestitu etiam, antequam Europæi in terras istas venissent, usos esse constat, pellibus nempe ferarum & sandaliis ex corio simplici confectis; norunt enim pelles cerebro animalium infectas, cerdonum arte paratis similes efficere. Telam ex urticarum fibris crassam texunt, in usum induviorum. Fœminæ vestitus cincturæ genere, a viris distinguuntur. Imberbes sunt hi, nec pilos, nisi in puerorum capitibus, patiuntur, horrentque Europæos barbatos & capillatos. Domi fere nudi incedunt, pueri inprimis & puellæ; tingunt corpora atro vel rubro colore, quidam etiam animalium figuris. Floribus & plumis capita, conchyliis & globulis fictilibus ex porcellana (quam vocant) collum, bracchia & aures ornant. Mores in universum fœdi & improbi. Nullus illis pudor est, non ætatis, non sexus reverentia: obsequuntur inverecundissime, viri fœminæque, non naturæ saltem, sed & libidini illoti & squalidi præterea tota vita. Matrimonii nullum est vinculum; plerique uxores, prout lubet, assumunt & dimittunt. Alii polygami sunt, zelosi etiam, ut adulteras vel necent, vel auribus naribusque truncent. Fallacissimi & mendacissimi sunt, qui applaudere omnibus & assentiri in speciem incondita acclamatione solent, sed nihil præstant, quam quod ipsis lubet, aut utile est. Lacrymæ raro commiserationis, sæpe crudelitatis argumenta sunt. Aliquando enim non desinunt lacrymari & ululare, priusquam hostem ulti sint, aut captivum occiderint. Humanitatis signum est, cum hospitibus crura pinguedine ungunt, aut corpora fricant, aut offas ori ingerunt. Tanta est eorum in hostes, quos ex mera nocēdi libidine, aut fortitudinis affectatione sumunt, crudelitas, ut major esse non possit. Vidit autor, ut pueri captivis frusta carnis abscinderint, & summa cum voluptate & petulantia devoraverint: hi

postea

postea arbori alligati, & omni tormentorum genere excruciati, tandem semivivi comburuntur. At morituri eadem ferocia insultant tortoribus, & suæ gentis gloriam laudant, hostilem convitiis incessunt, & ultro ad sæviendum, exprobrata mollitie, provocant. Aliquid gravitatis ostentant, cum consilium ineunt, in quo seniores taciturni considunt, dein ordine & meditate verba facientes. Mos est genti, loquentem neminem interrumpere, nec interrumpi sine offensa. Capita, quæ proponuntur, bacillis numerant, & ad singula respondent. Epularum & saltationum, luctus & sepulturæ quædam ceremoniæ servantur. Ingenio sunt docili, ut omnia imitentur. Carbone Gallis fluminum cursum & viæ ordinem descripserunt. Commercia pellibus ferarum & inprimis castorum, quos Europæi pilorum causa magni faciunt, exercent. Cæterum mirati sunt maxime librorum & scripturæ usum, & pyxidis magneticæ; etiam calicem deauratum, quem sacrorum causa circumvehebant monachi. Hunc, cum cætera omnia eriperent, tangere, ut scribit Autor, non sunt ausi: spirituale quid his omnibus inesse rati, imo Gallos ipsos pro spiritibus potius, quam hominibus habentes. Ferramenta summe appetunt: qui iis carent, etiam nunc lapides acutos bacillis insertos, pro cultris habent. Arma patria sunt arcus & sagittæ, tum clavæ, quibus cerebrum hostium comminuunt. Omnia ex insidiis agunt, nihil aut parum aperto Marte: belli utilitas habetur, captura mancipiorum. Nam terræ vastæ & vacuæ acquirendæ nulla est cupiditas. Signum belli & pacis (ut alibi jam notatum est) fistulam faciunt, qua fumus tabaci attrahitur, diversis tamen plumis ornatam: eam a vicina gente pacis tesseram afferentibus amicitiam præstant, eandemque ad alias deferendam eodem effectu tradunt. Religionis deploranda est ignorantia & incuria: Idola non habent, aliquid tamen circumferunt, v.gr. osficulum, conchylium: quidam etiam corvos & ululas, quæ symbola Dei, vitæ Domini, esse dicunt. Animas superstites esse corporibus fatentur, & in regione amœna, resumtis corporibus, versaturos esse mortuos, nugantur; eaque de causa instrumenta & arma sepultis addunt, horumque utensilium spiritum etiam revicturum esse ajunt. Sunt, qui indumentum aliquod, aut aliud tale, flumini aut cataractæ offerant, & in arboribus suspendant, additis ineptis precibus aut votis, pro successu venationis aut belli. Vetustas traditio-

nes & fabulas vel defendunt, vel præferendas exterorum doctrinæ putant. Ineptissima, quæ & ipsis fabulosa videntur, narrant de fœmina, cœlo delapsa & in mari a testudine recepta: hanc ex spiritu cælitus descendente gravidam, duos fratres ex costis enixam esse, ingenio inter se discordes; eorum alterum mores fratris non ferentem in cœlum rediisse, eumque esse, qui tonitrua edat, & fulmina in odiosum fratrem vibret. Eandem fœminam alio partu homines edidisse, qui terras impleverint. De origine itaque gentis frustra cum iis agitur, nihil plane relatu dignum aut non absurdissimum referentibus, & meliora docentes in speciem quidem audientibus, sed postmodum acerbe irridentibus. Ita animati, difficillime, autore sic judicante, ad Christianismum converti possunt. Alias averſionis causas & inter eas linguarum addiscendarum difficultatem, recenset autor, alias imputat Batavis & Britannis, qui missionariorum fidem apud Barbaros elevent; tum ipsis Missionariis, qui de modo catechizandi inter se non conveniant. Superesse igitur, ut in potestatem redacti ad religionem vi compellantur, nisi singularis quædam gratia & miraculorum editio a Deo accedat. Verum hæc ad sacrarum literarum normam, & primitivæ Ecclesiæ mores examinantibus, longe alia methodus ad religionem seu Evangelium Christi prædicandum probabitur. Interest enim, qua puritate id proponatur, omissis, quæ fundamento carent, aut ei sunt adversa. Alii etiam mores docentium, alii omnium, qui in istas terras evagantur Christianorum, requirerentur, ne fidem doctrinæ pravitate vitæ corrumpant. Interim legentibus has descriptiones, agnoscenda est summa istarum gentium miseria, & nostrarum, si cum illis comparetur, felicitas. Ea tamen si, ut plerumque fit, abutamur, non potest non major pœna, justa DEI ultione, eos manere, qui in tanta veritatis luce & disciplinæ sanctitate, sub Christiani nominis larva, barbaricis vitiis inquinantur.

JOH. JACOBI HOFMANNI LEXICI universalis continuatio, duobus tomis comprehensa.

Basileæ apud Joh. Hermann. Widerhold, anno 1683. in fol.

ETsi in tanta librorum copia, *novum* ceu vocant *Lexicon* conscribere, non tam ingenii quam laboris magni res est; tamen ideo laborem

borem diversis sic rebus in unum volumen colligendis insumtum contemnere velle, aut inutilem censere, minus æquum esse videtur. Nam opera talis studiosæ juventuti librorum inopia laboranti, aut forte etiam autores probos ignoranti, non tantum prodest, eorumque defectum supplet quasi; sed & jucundo laboris compendio, viam ad πολυμαθείας studium ostendit. Inde Græci & Latini jam olim sua *Onomastica*, & varii generis *Lexica* compilare aggressi sunt: quos in hac parte imitari, & antiquis paria præstare multi recentiores ausi sunt. Inter hos merito suo censendus venit *Joh. Jacobus Hofmannus, Græcæ Linguæ in Academ. Basileensi Prof. Publ.* vir clarissimus: qui, cum ante hoc sexennium *Lexicon universale, Historico-Geographico-Chronologico-Poetico-Philosophicum edidisset*, illudque emtorem invenisset facilem; non pigratus est nuper *Continuationem* ejus per *duos tomos*, alphabeti ordine *digestam* lectori exhibere. In qua præter res jam nominatas, collegit *historiam animalium, plantarum, lapidum, metallorum, elementorum, rerum africarum, præcipue hominis; negotiorumque ejus, in omni ætate, sexu, conditione, ævo recentiori, medio & veteri.* Autores, unde hæc omnia desumsit, non dissimulat. Inprimis Caroli Du Fresne Glossarium, Bocharti Hierozoicon, Salmasii, Casauboni & similium polyhistorum notas in diversos autores crebro allegat, ut, qui plura ex horum commentariis noscere velit, fontes non ignoret.

NOUVEAUX DIALOGUES DES MORTS.

id est,

Novi mortuorum dialogi.

a Paris, 1683. in 12.

SCripserat jam olim *mortuorum dialogos* Lucianus, quibus philosophorum, regum ac tyrannorum, divitum, robore corporis & forma præstantium, pauperum item & afflictorum sortem apud inferos perstrinxit, & Crœsum cum Plutone de divitiis, Plutonem cum Mercurio de hæredipetis, cum Terpsione de communi fatorum lege, Zenophantem cum Callidemide de iis, qui insidias vitæ alterius struunt, ut opes consequantur, disserentes: Charontem autem cum Mer-

curio, neminem navem conſcendere ferentes, niſi ſarcinam omnem abjecerit: Alexandrum, Hannibalem: & Scipionem certamen gloriæ rerum geſtarum ineuntes introduxit. Eandem rationem ſecutus auctor libelli hujus gallici, quem Luciano nuncupavit, ſatyricam ejus indolem in iſto expreſſit, veterum inter ſe, & cum modernis, nec non recentiorum inter ſe & cum priſcis ſermones fingens, quibus vanitas omnis potentiæ & ſcientiæ ob oculos ponitur. In primæ claſſis, quæ veteres inter ſe committit, *primo* dialogo Alexandri Magni fortitudinem & famæ cupiditatem exagitat Phryne luxuriosa foemina; in *ſecundo* Milonis Crotoniatæ robur elevat Smindirides mollis Sybarita; in *tertio* Didonis famam a Virgilio ſparſam ſugillat Stratonica; in *quarto* Ariſtotelis moleſtum philoſophandi genus improbat Anacreon; in *quinto* Homeri fabulis implexis myſticisque ſuas præfert Æſopus; in *ſexto* Athenais exemplo ſuo Icaſiæ oſtendit, quos fortuna facere ſoleat ludos. In ſecundæ claſſis, qua veteres cum modernis colloquuntur, *primo* dialogo Petrus Aretinus Imperatori Auguſto ſuggerit, argento a Poetis elogia ſibi comparare principes; in *ſecundo* ſexum ſuum infirmiorem eſſe, quam qui juvenum amori reſiſtere poſſit, Sappho queritur apud Lauram: quæ tamen ſuperiorem ſe ſemper fuiſſe inde probat, quod cum Sappho laudes amaſii ſui decinerit, ipſa aſſiduis Petrarchæ celebrata fuerit carminibus. utrum vero præſtet amore invadi an aggredi, ambæ disquirunt; in *tertio* Socrates Montano perſuadet, non minori virtutum gradu hodie ac olim mortales præſtare; in *quarto* Hadrianus placidam ſuam mortem, quam ludibundus obiit, Catonis Uticenſis exceſſui præfert, animoſioremque fuiſſe aſſirmat: Margaretha autem Auſtriaca Hadriano ſe præferendam arbitratur, quæ imminentem mortem lepidis jocis naufraga excepit; in *quinto* Eraſiſtratus numerum ætate ſua decedentium, antequam circulatio ſanguinis inveniretur, haud majorem fuiſſe eo, qui quotannis poſt inventas tot novas anatomicas & phyſicas rationes tantum non increſcit, Harveo exprobrat; in *ſexto* Berenice Coſmum II de Medicis querentem, aſtrum quod ab ipſius nomine Galilæus Mediceum appellaverat, a multis amplius non ita vocari, ſed Circumjovialium nomine venire, ſolatur indignitate fati, quod ipſius etiam experiatur coma: ac immortalitati nominis ne iſta quidem ratione ſatis conſuli, ſi iſtud aſtris inſeratur, admoner.

In

In tertiæ classis, quæ recentiorum umbras loquentes fingit, *primo* dialogo Anna Britanna, quæ post mortem Caroli IIX Galliæ Regis successori Ludovico XII nupsit, gloriam continuati imperii & ambitionem potiorem putat amore, quo ducta erga Ducem Suffolciensem Maria Angla post obitum Ludovici XII Regis Galliæ in istius se matrimonium accipi passa est; in *secundo* Erasmus omnem gloriam Carolo V, & magnitudinem nominis detracturus, quam ab aliorum infirmitate & sua fortuna profectam affirmat, veram laudem in propria virtute consistere docet: cui Carolus respondet, ingenii animique dotes æque ac opes & potentiam, casu & felicitate nascendi ac cerebri formatione contingere hominibus; in *tertio* Elisabetha Angliæ Regina summam oblectationem mortalium in eo consistere, si quis non plene potiatur ea re, cujus tamen potiundæ causa omnia agit, Duci Alençonio, tum ipsius, tum suo exemplo demonstrat: quum & ipse aliquot regnorum cupiditate ductus nullum eorum consecutus fuerit; & ipsa aliquot matrimonia summopere expetita rejecerit, quibus tamen animum prius applicuisset; in *quarto* Gulielmus Cabestanus stultitiam mortalium in eo potissimum consistere, quod nemo se respiciat & quivis alterius facta pro stolidis habeat, Alberto Friderico Brandenburgico suo ipsius exemplo persuadere studet; in *quinto* Agnes Sorella proprio etiam exemplo, amorem erga fœminas utilem sæpe imperiis & salutarem extitisse, Roxelanæ ostendit; quæ rationem Agneti exponit qua & ipsa Sultano imperarit; in *sexto* Johanna I Neapolitana, futurorum sollicita ab Anshelmo admonetur, ne quærat scire fata recondita, Babyloniosve ne tentet numeros.

EPISTOLÆ ET VITA DIVI THOMÆ Martyris & Archiepiscopi Cantuariensis, nec non epistolæ Alexandri III Pontificis, Galliæ Regis Ludovici septimi, Angliæ Regis Henrici II, aliarumque plurium sublimium ex utroque foro personarum; Concernentes Sacerdotii & Imperii Concordiam: in lucem productæ ex MS. Vaticano, opera & studio F. Christiani Lupi, Iprensis, Ord. FF. Erem. S. Augustini, S. Theol. in Alma Lovaniensi Universitate Doctoris, ac Regii Primarii Professoris.

Bruxellis Anno 1682. in 4.

Thomæ

THomæ Beckeri, e Regio Henrici II Cancellario Cantuarienſis in Anglia Archiepiſcopi, ob inſolentiam Regiæ Majeſtati gravem exautorati, & tandem quidem poſt ſexenne exilium reſtituti, ſed eodem anno per ſicarios interempti, & ab Alexandro III, cujus autoritatem ſumma pertinacia adverſus Regem ſuum propugnaverat, in Martyrum & Sanctorum numerum relati vitam, præter Eduardum Cantuarienſem, cujus epitome apud Surium in vita Sanctorum ad 29 Decembr. legitur, adhuc alii quatuor coætanei Scriptores, nimirum Heribertus de Bosham, Gulielmus Stephanides Cantuarienſis, Johannes Sarisberienſis, & Alanus Abbas Deobesberienſis poſteritati commendarunt. Et ex his quatuor Autoribus, quorum nomina ſuis ubique locis annotata ſunt, neſcio quis, qui, in Heriberto & Wilhelmo tædii matrem nimiam prolixitatem, & in reliquis duobus exprimendæ veritatis novercam ſuccinctam brevitatem, ſe animadvertiſſe præfatus eſt, quadripartitam hiſtoriam confecit, eamque tribus libris comprehendit, quorum primus vitam Thomæ a pueritia usque ad exilium transactam, ſecundus res in exilio geſtas, & tertius cum ſuis appendicibus ejusdem in Angliam reditum, recrudeſcentia inter ipſum & Regem diſſidia, & ultimum vitæ exitum, nec non geſta poſt mortem, & diſcipulorum catalogum aliaque nonnulla ad hiſtoriam hanc ſpectantia enarrat; in quo quatuor Autoribus prædictis teſtis quintus Benedictus Abbas S. Petri de Burgo (cum is quoque de vita, paſſione & miraculis Thomæ commentarium ſcripſerit) accedit. Hanc Thomæ vitam plurimæ ejusdem, nec non Alex. III Pont. Rom. Ludovici VII Galliæ R. Henrici II A. R. & aliarum illuſtrium perſonarum, Eccleſiaſticarum pariter & politicarũ, ad hæc certamina pertinentes epiſtolæ, quæ pleniorem de Thomæ vita notitiam ſuppeditant, quinque libris digeſtæ excipiunt, quæ omnia ex Vaticana Bibliotheca nunc in lucem protrahi curavit Chriſtianus Lupus, codicem hunc Romæ quondam a ſe exſcriptum notis ſuis & ſcholiis illuſtraturus, niſi vis major propoſitum hoc intervertiſſet. Nam in edendo hoc Vaticano & alio quodam Caſſinenſi voluminе, cujus mentionem in Actis noſtris menſe proxime elapſo fecimus, adhuc occupatum mors invaſit. Quid autem in hac Thomæ vita & ſubjuncta epiſtolarum ſylloge contineatur, locupletiſſimus index ſubminiſtrat.

G.G.L

PETRI DANIELIS HUETII LIBER DE origine Fabularum Romanensium, ad Joannem Renaldum Segraesium, ex Gallico Latine redditus a Gulielmo Pyrrhone Prof. Regio, & Huetii libris de interpretatione & optimo interpretandi genere annexus:

prostat Lipsiæ ap. Fritschii hæredes, in 8. A. 1683.

FAbulas Romanenses, seu fictas casuum amatoriorum historias, prosa oratione, ad voluptatem & utilitatem legentium conscriptas, non novum seculi inventum esse, *Autor celeberrimus* in hoc libello eruditissime demonstravit. Nam postquam earum definitionem, finem, & discrimen a poematibus epicis, & historiis fabulosis aut plane commentitiis, ac fabulis mythologorum accurate tradidisset; illarum inventionem orientis populis, hoc est, Ægyptiis, Arabibus, Persis, Syrisque acceptam referri debere pronuntiat: quia plerique horum, qui inter priscos fabulæ Romanensis artifices laudatissimi extitere, ut Clearchus, Jamblichus, Heliodorus, Lucianus, Achilles Tatius, Joannes Damascenus fabulosæ Barlaami & Josaphati historiæ autor, aliique ab illis populis originem traxerunt suam. Itaque terras illas Romanensium natale solum fabularum, potiori jure appellandas esse, quam Græciam, in quam tantum fuere translatæ, concludit. Inde progressus, probat figmentorum & figurarum amantes semper Ægyptios & Persas fuisse: apud Arabes poeseos itidem amantes, natam esse versuum simili sono (quos Leoninos vocant) concludendorum artem: Indos etiam Persis vicinos figmentis poeticis & Romanensibus magnopere delectatos esse confirmat: in Syria parabolico dicendi generi sanctitatem a Dei autoritate accessisse; quippe qui in S. Scriptura per figuras & ænigmata, voluntatem suam Prophetis aperuerit: Salomonem inde parabolarum non solum studiosum fuisse, sed Scripturam S. allegoriis & ænigmatibus plenam esse: librum Psalmorum, Proverbiorum, Ecclesiastica & Cantica Canticorum opera poëtica esse: Jobi autem librum non esse parabolam ab Hebræis excogitatam, contra quosdam Talmudistas contendit, rejiciens simul eorum opinionem, qui historiam Estheræ & Judithæ eodem censu habendam putarunt.

Primis, ſic fabularum Romanenſium fontibus recluſis, viam & ductum ſcrutatur, quo ſeſe per Græciam & Italiam diffuderunt, quique illam artem, compoſitis ſcriptis Eroticis, excoluerint primum, tradit. Heliodorum Fabulæ Rom. autorem inprimis laudat: Gyraldi errores circa fabularum iſtarum argumentum admiſſos notat, deſiderans in Italorum Rom. fabulis artificium. Qui ex Græcis artem Romanenſem excoluere, ipſamque rudem, uti erat apud orientis populos, & incultam ad meliorem formam ſpeciemque traduxere, recenſet. Qua occaſione Sybariticas fabulas deſcribit, &, ut Romani, poſtquam ab Imperatoribus regi cœperunt, fabularum Romanenſium amœnitate capti fuerint, declarat.

Ingruente autem poſtea in imperio Romano cum populis ſeptentrionalibus barbarie, ars hæc quidem obſcurata & corrupta fuit: ſed Galloligures literas & poemata magis, quam Franci cæteri excolentes, illam in lucem protrahere iterum ſtuduerunt: & cum *ſermone* in componendis operibus ſuis uterentur *Romano*, corruptiori licet, *fabulæ* iſtæ dictæ ſunt *Romanenſes*, & *Romaniſare* ſignificavit verſificare & narrare proſa oratione. Fabularum igitur Roman. recentiorum compoſitionem Francis deberi, & ab his Italiam & Hiſpaniam acceſſe oſtendit, rejecta Cl. *Salmaſii* opinione, qui Hiſpanos ab Arabibus accepiſſe illam tradidit. Hinc cum barbaras gentes etiam fabularum Rom. ſtudio deditas fuiſſe diſſeruiſſet, in cauſas inquirit, unde nata omnibus hominibus in fabulas & ſcientias propenſio; & cur *Fabulæ Romanenſes*, quæ originem ex falſis hiſtoriis habent, magis delectent, quam aliæ doctrinæ: cur Franci in hac arte fabularum principes, & quid de earundem uſu ſtatuendum ſit, luculenter exponit. *Honoratus Urſeus* laudat, qui primus in Gallia hujusmodi fabulas barbari ſermonis corruptela exemit, certisque iterum regulis adſtrinxit in opere egregio *Aſtræa* indigitato; cui adjungit virginem in hoc genere eruditionis excellentem, *Dominam de Scudery*, quæ illuſtrem Baſſam, Cyrum Magnum, nec non Cleliam compoſuit. Tandem Tractatum hunc eruditiſſimum voto finit, quo moderni Regis Galliæ Ludovici XIV gloriæ conſultum cupit, ut mirabilis regni ejus hiſtoria æque ſublimi ſtilo, æque accurata rerum ab illo geſtarum obſervatione, eademque mentis ſagacitate deſcribatur.

IDEA

IDEA DE EL BUEN PASTOR copiada por los S. Doctores, representada en Empresas sacras; por el Padre Francisco Nunnez de Cepeda de la Compannia de Jesus,

hoc est,

Idea boni Pastoris delineata a sacris Doctoribus, & repræsentata in Emblematis sacris a Patre Francisco Nunnez de Cepeda e Societate Jesu.

Lugduni, 1682, in 4.

QUinam Scriptores Emblematis inventis illustratisque & hoc & superiore seculo inclaruerint, mense Januario præsentis anni p. 18 indicavimus. Itaque *ἄνευ ἀγορεύεις* nunc illis adjungendum suo merito censemus Franciscum Nunnez de Cepeda, Jesuitam Hispanum. Nam & hic Emblemata anno proxime elapso edidit, sed Sacra, quippe in quibus, quæ bonum pastorem v.c. Pontificem, Archiepiscopum, Episcopumque deceant dedeceantve, non obscure adumbratur. Cum vero Emblema quodvis illustramenti aliquid sibi jure quodam vendicet, autor hæc sua ipsius Emblemata, quorum XL in universum sunt, discursibus Hispanicis iisque Sacris, Moralibus, Politicis & Oeconomicis, certe ad gubernationem Ecclesiasticam valde conducibilibus, illustravit. Margini etiam paginarum latiusculo Doctorum tum veterum, tum recentiorum adscripsit verba, e quibus & tota Boni Pastoris Idea ab eo est desumta. Cæterum inter ea, quæ minus convenire boni Pastori Autor innuit, etiam morem illum Emblemato VI refert, quo Episcopi opum ampliorum gratia ab Ecclesia transeunt ad Ecclesiam, & Emblemate XXXIX famosissimum illum Nepotismum; ubi & hæc Bernhardi allegat verba: *Non sibi de bonis Ecclesiæ ampla palatia fabricet, nec loculos inde congreget, nec in vanitate aut superfluitate dispergat. Non extollat de facultatibus Ecclesiæ consanguineos suos, aut nepotes (ne filias dixerim) nuptui tradat &c.*

HIERONYMI RUVEREI pueri decennis Carmina.

Ratisponæ Ann. 1683. in 8.

PLerosque divinioris ingenii pueros, *ἀνδρογιγάδες* Græce dictos, aut vivaces minime esse, aut in ipsa annorum *ἀκμῇ* hebescere, multorum seculorum testatur experientia. Multos certe Jacobo Narchisetto Pisaurensi, qui & ipse præcocis oppido erat indolis, videas similes, de quo *Janus Nicius Erythræus*, vel *Julius Victor Rossius*, in Pinacothecæ suæ lib. I, n. LXXII: *Verum*, inquit, *tot tantisque initiis non satis visi sunt exitus respondere; expectabatur enim ab eo immensa, infinita, & supra humani vires ingenii eruditio; sed tanquam si naturæ desperaret, posse se operi, quod inchoavenat, par fastigium & culmen imponere, hominem prope deseruit. Ut verum illud apparuerit, quod a viro sapientissimo traditur, non posse in eo esse succum diuturnum, quod nimis celeriter maturitatem est assecutum.* Quanquam autem excellentia ingenia vivacia raro ac durabilia esse compertum habeamus, nonnulla tamen viguisse satis diu, fructusque suos, quos minati in herbescente ætate jam fuerant, feliciter protulisse, non una docent exempla. Duravit enim portentosum illud ingenium, *Hugo Grotius*, qui octennis carmina scripsisse dicitur; duravit *Claudius Salmasius*, obstupescendæ & ipse indolis puer, qui anno decimo ætatis necdum exacto Nilum de primatu Papæ recensuit atque emendavit; duravit etiam superiore seculo *Hieronymus Ruvereus*, quippe qui puer decennis scripsit carmina, partibus fratribus Canteriis, Petro, Jacobo, & Andreæ, qui decennes in omni disciplinarum genere ad miraculum usque eminuerunt, & Pico Mirandulano, qui decimo quoque anno Philosophiam omnem præter tot linguas didicerat, cujus & æmulum Ruvereus ipse in carmine XV se profitetur. Postquam enim vix decennis, Simlero, Cardano, & Gyraldo testibus, felicissima carminum vena orbem literarium reddidisset attonitum, succedente tempore non defecit, quin magis indies magisque inclaruit, cumque Tolonensis factus esset Episcopus, successor Arragonii Cardinalis, qui ab Archiepiscopatu Taurinensi se abdicaverat, a Principibus Sabaudiæ fuit expetitus; qua Episcopali in dignitate & Emanuelis Philiberti Orator in Galliis extitit. Cardinalitio tandem mactatus pileo, Pontificii fastigii ipsius post Urbani VII obitum fuit Candidatus. Erat autem familia ejus (ne & hanc taceamus) ex amplissimis vetustissimisque totius Italiæ, eaque gentilitia quercu insignita, unde *Roborei* quoque ac *Quercentes* ejus surculi cum Hieronymo hoc fuere cognominati.

Habuit

Habuit ea ſedem Taurini jam olim ſeculo poſt C.N. octavo; ſed gente aucta poſtmodum, colonia ex ſubalpinis in Liguriam miſſa, Saonam ſibi patriam elegit, unde & in reliquam Italiam diffuſa lare eſt. Mox Urbinorum Ducum per nuptias inſerta familiæ, Ducatum Urbinenſem varia tenuit fortuna, deditque Romæ non duos tantum Pontifices, ſed & octo Cardinales, Urbis item præfectos & Vici novi dominos, imo & alia dedit tam Latio quam patriæ ornamenta longe illuſtriſſima. Quod Ruvereum hunc attinet, is patrem habuit Lælium Ruvereum, Patritium Taurinenſem, Paduamque ab eo puer miſſus divinum præcoxque ingenium mox probavit omnibus; emenſusque concitatiſſimo curſu artium humaniorum circulum, anno ætatis nono de artium omnium inter ſe conſenſu peroravit ac diſputavit, carminaque poſtdeinceps, decennio necdum completo, applaudentibus Muſis, conſcripſit. Edita hæc A. 1540 Papiæ fuere a Maria Symonetta: Sed tanta illorum ex eo tempore fuit raritas, ut, cum legentes quosque rapere in admirationem potuerint, deſcripſerint ea plurimi, deſcriptaque tanquam rariſſimum quoddam cimelium Bibliothecis ſuis inſeruerint. Quæ poſtquam inter ſuas quoque chartas repetiſſet Vir magnæ dignitatis atque eruditionis *Joachimus Hartliebius*, impetrare a ſe haut quivit, quin eriperet ea tenebris, & velut ab orco in publicam lucem hoc anno revocaret. Neque enim ludicra & inepta, cujusmodi puerorum decennium eſſe ſolent, iſthæc Ruverei ſunt carmina, ſed miram ubique venæ poeticæ facilitatem, verborum item ornatum delectumque, ac fertile inventionum ingenium, imo maſculum aliquem ſpiritum, certe aliquid ſupra ætatem illam, præ ſe ferentia. Sunt autem varii ea generis, epici puta, elegiaci, Sapphici, Phalæcii, aliorum; diviſaque ſunt in Heroica (quorum primum eſt ad Paulum III Pont. Max. tempore belli Turcici conſcriptum) literaria, domeſtica, amatoria, catholica & ruſtica; quibus & epica, neſcio cujus, ad Ruvereum in Italiam venturi ſubjuncta eſt epiſtola.

JOHANNIS MARCKII de Sibyllinis Carminibus Diſputationes Academicæ duodecim.

Franekeræ, A. 1682. in 8.

AUtoritatem Oraculis, ut usurpantur, Sibyllinis non tribuerat solum, sed defendendam peculiari etiam tractatu superioribus annis susceperat Cl. Vir Isaacus Vossius. Quo ipso & diluere opinionem eorum voluit, qui piis illa & officiosis fraudibus accensent, & simul ostendere, quod fieri non possit, ut a Christianis illa sint conficta, cum non tantum priusquam Christianorum in seculum exiret nomen, sed & diu antequam nasceretur Christus, & lecta & celebrata pene fuerint ab omnibus: quodque si non præcipua, at certe magna fuerint causa, ut innumeri, non ex Judæis modo, sed & ex gentibus, relictis prioribus sacris, ad Christianorum castra se reciperent. In eorum tamen fide & integritate tuenda sic versatur, ut additamenta nihilominus, quæ majorem istorum librorum partem constituant, a Christianis esse conficta, libenter agnoscat. Atque hæc ipsa Dissertatio est, quæ ansam Doctissimo Marckio dedit, Theologiæ Doctori Groningensi, accuratius inquirendi in horum versuum originem, & eruditas hasce Disputationes Academicas de illis conscribendi: sub quarum calcem dilucide satis & nervose expressit, quid in Dissertatione dicta, omnibus probe consideratis, improbandum existimet.

Primum autem, non levis momenti hanc esse controversiam ubi docuisset Autor, Judicium exponit Christianorum, cum veterum tum recentiorum, de Sibyllinis hisce varium omnino atque diversum: Historiam deinde repetit Sibyllarum veterum: tertio, historiam ut & fata Sibyllinorum carminum; idque tribus Disputationibus prioribus. Quarta Disputatio Judicium de hoc Carminum genere Autoris exhibet, quinque thesibus comprehensum. Quarum prima est: Carmina hæc neque a Sibyllis omnibus & singulis, neque ab aliqua earum profecta sunt, quæ sub hoc nomine apud Gentiles celebres fuerunt. Secunda: Neque eadem Carmina θεόπνευστα, aut a Dei Spiritu inspirata fuisse censenda sunt. Tertia: Neque prout hodie extant, ante Christi nativitatem, a quibuscunque tandem hominibus, scripta fuerunt; sed a Christianis post prædicatum passim Evangelium. Quarta: Incerto interim & præciso temporis puncto, & Auctoris secta, ita ut maxime probabile sit primis post natum Christum seculis a diversis hæc carmina composita, collecta, adaucta esse: non negari interim alio loco monet, immixta iis esse nonnulla, quæ Sibyllis jam ante Christi adventum fuerant adscripta, & sub earum tum nomine

mine ſive falſo, curantibus id ex Prophetarum prædictionibus Judæis, ſive etiam vere per traditionem a Judæis hauſtam, apud Gentiles legebantur. Quinta: Unde neque ad firmanda fidei dogmata, neque ad convincendos Gentiles quicquam ea valent, ſed placita tantum iſtius ætatis leviter nobis aperiunt, multis adeo γνησίους celebrium in Eccleſia Doctorum ſcriptis longiſſime poſtponenda. Atque hinc nullo intelligitur negotio, quænam ſint Diſputationum octo reliquarum argumenta; quippe quæ in theſibus recitatis ordine ſingulis explicandis, confirmandis, atque vindicandis occupantur.

Cæterum, ubi poſt adducta & ſtabilita ſententiæ ſuæ firmamenta ad examen eorum deſcendit, quæ pro Sibyllinorum ingenuitate adferuntur, iſta ad duo præcipue capita, autoritates & rationes, retulit. Priores obſervat partim eſſe domeſticas, a veterum Chriſtianorum: Juſtini Martyris, Theophili Antiocheni, Clementis Alexandrini, Origenis, Conſtantini, Lactantii, Auguſtini, &c. teſtimonio, & hinc fluente Eccleſiæ traditione petitas; quæ propterea apud recentiores tantum reperiantur; partim exoticas, quas ex Joſephi, Heſiodi, Ovidii, Lucani, Taciti, Suetonii, Ciceronis, Virgilii denique & maxime ſcriptis producant juxta cum noſtræ ætatis ſcriptoribus antiqui etiam Patres. Rationes vero peti potiſſimum ab interdicta Chriſtianis Sibyllinorum lectione, & perverſorum hominum ac veritatis inimicorum in ea odio, a perpetuo & communi Sibyllinorum uſu, ab argumenti in multis cum veteribus Sibyllinis conſenſu, ab impletis, quæ in illis continentur, noſtro tempore vaticiniis: quas & ſimiles rationes cum Baronio, Poſſevino, Gyraldo, Mornæo, Montacutio, Eraſm. Schmidio, & aliis, quorum ingenia idem argumentum exercuit, quique Diſputatione I. theſ. VI citantur, urget etiam Voſſius. Traditionum itaque de Sibyllis vanitas quo pateſcat magis, ad iſta cuncta tum generaliter, tum ad ſingula quæque ſpeciatim reſpondet Autor diſertiſſimus. Erratorum etiam, quæ in Sibyllinis hiſce continentur, catalogum texit, & quamvis Manichæiſmi ea abſolvere non dubitet; exempla tamen de communi animarum cuſtodia ad diem judicii, de igne ultimi diei purgatorio, de expectanda paradiſi terreſtris habitatione, de regno Chriſti Chiliaſtico, de Sanctorum pro ipſis damnatis efficaci interceſſione, teſtari ſatis arbitratur, quod a Dei ſpiritu ſint profecta minime. Quæſtionem præterea, num ad Reformationem

per

per D. Lutherum institutam Sibyllina respiciant, & num illa ex Carminibus hisce possit extorqueri, negat argumentis non siculneis subnixus. Christianos tandem, ut Christianæ fidei consulerent, & cœcæ gentilitatis conversionem promoverent, sub Sibyllarum nomine Evangelii mysteria vulgasse concludit.

Disputationibus hisce, Spicilegii titulo, breve examen subjungitur Dissertationis cujusdam Gallicæ, quam de Oraculis Sibyllinis ante quadriennium & quod excurrit, Parisiis edidit Johannes Crassetius Jesuita, & cujus mentionem Huetius facit in Demonstratione Evangelica. Quam parum vero rhetoricationibus suis Gallicis Sibyllina Carmina hic juvet scriptor, quodque Dissertatio ista ex Societatis erga Protestantes odio potius, quam ex veritatis indagandæ studio promanaverit, succincte in eo ostenditur.

CRITIQUE GENERALE DE L' HISTOIRE du Calvinisme de Mr. Maymbourg. Seconde edition Revûe & beaucoup augmentée.

id est,

Critica generalis Historiæ Calvinismi scriptæ a Lud. Maymburgio. Editio secunda, revisa & multum aucta.

Villæ Francæ A. 1683. in 12.

Dedimus mense Martio nupero excerpta historiæ Calvinismi, Ludovici Maymburgii, ea, quæ nobis cordi est, fide, suspensoque judicio nostro: dedimus etiam ad eundem modum, contenta notarum in illam historiam, Hagæ editarum. An eidem autori Critica hæc generalis debeatur, definire non possumus; etsi scribendi genus non abludit. Et hic quoque Theologicas disputationes ut plurimum declinat, atque ut ille fecerat, ad alium scriptorem, optimo stylo valentem & celebrem provocat, qui refutationem luculentam & ordinatam meditetur. Itaque & hic inter velites esse vult, laxiori ordine cum adversario congrediens. Congessisse autem se fatetur in epistolas, quæ opponenda censeret Maymburgio, sed magna cum adseveratione,

veratione, mentem ſuam minime fuiſſe, ut epiſtolæ iſtæ ederentur, ſeque obſtupuiſſe, cum Amici præpropero ſtudio, ſub titulo *Criticæ generalis*, literas ſuas typis expreſſas legeret. Multa non ſcripturum; mutaturum alia fuiſſe, ſi edenda ſcribere cogitaſſet: Sed quoniam res eo devenerit, neque ſibi jam evulgata ſupprimere liceat, revidiſſe & auxiſſe ſcripta, atque correxiſſe quædam, ita ut ſecundam hanc editionem jam pro opere ſuo agnoſcat, rejectis, quæ in priori leguntur, niſi in hac repetita inveniantur. Libertatem tamen, quæ epiſtolis familiaribus naturalis eſt, tollere nequiviſſe, eoque nomine excuſari ſe petit, nec fraudi ſibi eſſe, ſi non ad omnia reſponderit; neque enim concedi, quæ prætereuntur. De ſtylo, quanquam eſſent, quæ taxari poſſent, noluiſſe cum Maymburgio altercari; factum id ab aliis, & a quodam ex ſociis ejus Jeſuitis, cui nomen *Bouhours*, Scire ſe, non reſponſurum eſſe Maymburgium, jam pridem publice profeſſum, nolle cum anonymis colluctari. Sed ſic putat eum non habiturum, cum quo depugnet; neminem enim tam temerarium fore, ut nomen ſuum edat, cum ſummo periculo omnibus imminenti, ab acerrima inquiſitione, quam in Gallia contra ſcriptores diverſarum partium inſtitutam eſſe queritur. Combuſtum jam carnificis manu fuiſſe refutationem hiſtoriæ Arianiſini a Maymburgio ſcriptæ, nec mitius cum autoribus ipſis actum iri, ſi deprehenderentur; Itaque ſtultum fore, ſcribere aperte adverſus eos, qui poſſunt proſcribere.

Epiſtolarum in univerſum ſunt 27, inter quas duæ priores locum communem tractant, quam difficile ſcil. ſit, veritatem ex hiſtoricis eruere, cum nemo fere odio adverſariorum aut ſtudio ſuorum vacet: Itaque Pyrrhoniſmo vel maxime in lectione hiſtoriarū opus eſſe putat. Deinde adverſario affectuum intemperantiam objicit, eamque probare conatur, tum ex elogiis, quibus Heroës ſuos, Proteſtantium perſecutores, ultra modum & meritum extulerit, (quorum nævos Criticus hic non celat,) tum ex aſſuetudine & habitu quodam, concionandi licentia quæſito. Hac occaſione commemorat, infeliciter ei ceſſiſſe, quæ adverſus Novi Teſtamenti verſionem *Montenſem*, ſive *Janſeniſticam* hæreſeos convinceendam declamaſſet, nam & acerrime refutatum fuiſſe, ſicut & Malletum quendam, (cujus meminit Ep. 26;) & non multo poſt eandem verſionem, tam atrociter exagitatam, approbationem ipſorum quoque Jeſuitarum conſecutam eſſe. Blandi-

menta deinde Maymburgii in aulam Regiam, cum detrimento autoritatis Pontificiæ, & quacunque alia occasione affectata, & e longinquo accersita aut detorta insectatur. Cæterum quæ vel de rigore, quem nunc Reformatii in Gallia cœtus patiuntur, vel de excusatione bellorum superioris seculi, & pro apologia Doctorum, qui reformationis auctores fuerunt, dici possunt, eadem fere sunt, amplius tamen elaborata & deducta, ac quæ in autore *Notarum* supra allegato reperiuntur. Ad malignam laudem Lutheto a Maymburgio tributam, quasi modestior in retinendis quibusdam dogmatibus, aut ritibus, quam Reformati, fuisset, ita respondet, ut ex rigore & asperitate, sive siccitate religionis, quam adversarius objicit, gloriam quærat ejectarum funditus corruptelarum. Irridet distinctionem Pontificis, & Sanctæ sedis, quæ ad operiendum inter Clerum Gallicanum & Pontificem in multis & maximis rebus dissidium inventa est. Refert Ep. 13, ut decretum Parlamenti Parisiensis d. 24 Sept. 1680, in causa monialium Charonnensium publicatum, Romæ exceptum sit, Excommunicatione nempe *ipso facto* omnibus intentata, qui id typis vulgarent, describerent, legerent, domi servarent; & injungendo ex plenitudine Apostolicæ potestatis omnibus, id habentibus, ut ordinario loci ad comburendum exhiberent. Adversus hanc Bullam Pontificiam tamen eodem stylo (excepta excommunicatione, & combustione,) reciprocatam prohibitionem a Parlamento emanasse; sicque fundamenta fidei Romano-Catholicæ, a Pontificis infallibilitate dependentis, palam subrui. Eadem epistola narrat damnatum Romæ, d. 16 Sept. 1680 librum *Amadei Guimenii* nomine, a *Moya* Jesuita Hispano scriptum, pro defensione laxioris disciplinæ in moralibus, sive casibus, quam Jansenistæ Jesuitis objiciunt; defensum tamen hunc ipsum librum a *Daniele Campsordo*, cum approbatione Censoris Lovaniensis, in quo inter alia eadem exceptio allegatur, qua Jansenistæ utuntur, non extare scil. in libris propositiones, Pontificis decreto damnatas. Putidum esse ait Ep. 19, quod Calvini sectam, si prematur, ut timidissimam exagitet Maymburgius; nam ex dogmatibus id minime probari, & si nationis hoc vitium sit, commune illud fore cum Catholicis. Spiritum vero sanguinarium nunquam veræ Ecclesiæ indicium fuisse multoties repetit, & Inquisitionis tribunal inauditæ crudelitatis accusat. Antiquitatis argumentum, nullum ait pondus habere, nisi

de veri-

de veritate ſimul conſtet; at donec de hac definitum ſit, temporis prioritate errores juvari non poſſe, non magis ac Idololatriam, quæ Chriſtianiſmum multis ſeculis præceſſerit. Ad maculas vitæ Doctoribus Reformatis objectas reſpondet: etſi vera eſſent, quæ plerunque per calumnias illis impacta ſunt, id tamen quod adverſarii inde eliciant, minime efficere; nam neminem tam ſanctum eſſe, qui non peccet. Invertit dein argumentum, & ex moribus peſſimis plurimorum Pontificum & Epiſcoporum, aut idem, aut nihil, quod veritatem doctrinæ afficiat, ſequi contendit. Deplorat conditionem Reformatorum, qui ob culpas ſingulorum, (poſito quod veræ ſint,) omnibus privilegiis, toti eccleſiæ indultis nunc exuantur; Et periculoſam edictorum regiorum interpretationem, quaſi pro temporum ratione ſtent, aut cadant: ſic enim fidem publicam everti, & neminem tutum fore, quamcunque ſecuritatem pactus ſit. De poteſtate Pontificis ſupra Reges in temporalibus Ep. 24 ſcribit: etſi Clerus Gallicus & Parlamenta pro regibus ſtent, graviter tamen argumentatos jam dudum non ſolum *Leonardum Leſſium* in libro, ſub nomine *Guilielmi Singletoni* adverſus *Vaddingtonum* Britannum, ſcripto, ſed & *Cardinalem Perronium* oratione in conventu procerum Galliæ habita, per quam tunc effecerit, ne condemnaretur publice, quod quidam urgebant, dogma de ſuperioritate Pontificum in Reges temporali. Si enim id fieret, dixiſſe Perronium, neceſſario conſecuturum eſſe, & allegatum iri a Proteſtantibus, quod Eccleſia Romana per aliquot ſecula capitalem errorem (Papam ſuper Reges evehendo) foverit, atque ſic Papa capitaliter errans, non fuerit caput Eccleſiæ, ſed hæreticus & Anti-Chriſtus; amiſſuram eſſe Eccleſiam nomen Catholicæ, nec manſuram templum & ſponſam Dei, ſed Satanæ. Quomodo ſe ab hac objectione liberare queant, qui Gallicam ſententiam pro regibus, adverſus Pontificem, tuentur, videre ſe dicit non poſſe; nam ſi vera illa ſit, ſequi omnia, quæ Perronius dixiſſet: ſi non vera, Gallos ſchismatis culpa palam teneri. Addit aliud argumentum eodem pertinens, quod nunc in materia Regalium aperte Concilio Lugdunenſi contradicatur, licet ei 500 Epiſcopi, præſente Pontifice & Rege, interfuerint. Refert etiam rejectam eſſe Bullam Pontificiam nuperam in Parlamento Pariſienſi contra 65 propoſitiones Jeſuitarum; cautelam quidem Senatum apponere voluiſſe, quod condemnationem propoſitio-

num ipſam non improbarent, ſed quod circa formam aliquid deſiderarent: veruntamen a quibusdam, quos nominat, effectum, ut clauſula hac omiſſa decretum pure contra Bullam publicaretur.

Infallibilitatem Eccleſiæ & Pontificis Ep. 26 acriter impugnat: inter alia hoc argumento, quod ultimum etiam hujus principium in Scripturis ſacris quærendum ſit. Nam ne ſimpliciſſimum quidem ex plebe crediturum, vera eſſe quæ Paſtor, deinde Epiſcopus, denique Pontifex de religione ſtatuant, niſi ei dicatur, Deum velle, ut his credatur. Itaque hoc ex Sacris literis, (alia enim revelatio non habetur,) demonſtrari debet, atque ſic ad ultimum & ſupremum judicem in rebus fidei recurritur. Sequi inde, non aliud in terris tribunal quærendum, neque quemquam fide & teſtimonio parochi ſui, aut qui ei præficiuntur ex clero, ſalutem adepturum, ſed certum eſſe debere de iis, quæ credat fide divina ex Scripturis aut earum prædicatione hauſta. Multus eſt in elevanda confeſſione Eboracenſi, quam Maymburgius Hiſtoriæ Calviniſmi annectit fecit, laudatque ea occaſione ſcriptores quosdam, inprimis *Paionium*, qui argumentatores ex Janſeniſtis acutiſſimos, *Arnaldum* cum ſociis conticeſcere fecerit. Corrigit tamen quæ in priori epiſtolarum editione ſcripſerat, quaſi *Epiſcopus Meldenſis* nihil regeſſerit ad reſponſiones libro ejus *Expoſitionum* a Reformatis oppoſitas. Nondum enim ſe tunc vidiſſe tractatum ejus noviſſimum *de Communione* ſub una. Quæ adverſus hæc profert, ſicut & alia multa, præſertim acerbiora, ſcientes præterimus: non tantum, ne litem noſtram faciamus, (quod pro inſtituto noſtro minime intendimus) quam quod omitti præſtet, ſi quæ ſcriptoribus partium ſtudio duriora excidunt, & nobis ea potiſſimum notanda videantur, quæ alicujus momenti ſint, & ad veritatem eruendam, atque genium autorum dignoſcendum maxime faciant, aut hiſtoriam literariam, ſive librorum notitiam juvent.

ABBREGE' DE L' HISTOIRE DU CONCILE de Trente, avec un diſcours contenant les reflexions hiſtoriques &c. Par Pierre Jurieu Docteur & Profeſſeur en Theologie &c.

id eſt,

id est,

Petri Juricei, Doctoris & Professoris Theologi, compendium Historiæ Concilii Tridentini, cum dissertatione, continenti considerationes historicas de conciliis, & speciatim de Tridentino, ut constet Protestantes ad id recipiendum non teneri.

Genevæ, 1682. Amstelodami 1683. in 12.

Historia Concilii Tridentini sub *Petri Suavis Polani* nomine dudum edita, ab omnibus fere attribuitur *Paulo* illi *Sarpio*, quem vulgo *Fra Paolo* vocabant, Serenissimæ Reip. Venetæ quondam Theologo, & Canonistæ, scriptis pro illa adversus Pontificem claro. Non audet tamen autorem Historiæ istius Paulum profiteri Fulgentius, ejusdem cum Paulo ordinis, *servorum B. virginis*, monachus, qui vitam ejus descripsit. At Sfortia Pallavicinus, e Soc. Jes. novam suam, quam veram vocat, Concilii Tridentini historiam manifeste Paulo opposuit, magno molimine id agens, ut illum hæresis, atheismi, & plurimarum falsitatum reum sistat. Romæ quidem præmium scriptionis amplissimum consecutus est Pallavicinus, Purpuram nempe Cardinalitiam, sed nec Paulo eruditionis, sapientiæ & pietatis fama, quæ virum prosequebatur, mortuo plane intercidisse videtur, sed reliqua esse, non tantum apud illos, qui Pontifici obsequium denegarunt, sed & apud aliquos Romano-Catholicos. Egregius sane Diarii Eruditorum Gallici autor, in actis *mensis Mart. 1665* non veretur scribere, *metuendum esse, ne legentibus Pallavicini opus, quod Pauli librum simul comprehendit, verisimilius scripsisse Paulus videatur, licet verius scribere potuerit Pallavicinus.* Debetur igitur refutatori, quod liber Pauli, qui oblivione fere sepultus erat, denuo quasi resuscitatus, in multorum manus pervenit. Sed Juricæus præterea, citatis plurimis Pallavicini locis, ostendere nititur, summo cum detrimento famæ & existimationis Pontificiæ detectas esse ab ipso Pallavicino, dum excusat, artes vaferrimas, quibus in Concilii convocatione, directione, & exitu Pontifices usi sint. Defendit deinde Paulum, breviter licet, adversus Pallavicinum, & scriptorem alium Gallum, autorem tractatus *de arte historica*, qui Paulo scurrilitatem, nullo, ut putat, fundamento objecit: nec morari se multum dicit documenta a Pallavi-

cino ex scriniis Romanis, pro refutando Paulo eruta: neque credere vult, reponi ibi, aut produci, si reponantur, quæ rei pontificiæ non conducant: deniquesi vivo Paulo aliquid objectum fuisset, potuisse eum respondere; sed post annos quadraginta, superstite nemine, qui de factis controversis testimonium ferre possit, impune & vane de plerisque disputari: semper tamen fidem viri Romano-Catholici & monachi, pondus habituram in illis, quæ adversus suæ sectæ homines & consilia protulerit; accedentibus præsertim adminiculis ab aliis autoribus. Hæc & alia hujuscemodi præfationis, sive dissertationis, quæ libro præfixa est, partê faciunt, sed in eadê prolixius agit Autor de conciliis. Exponit primum causas, cur Tridentinũ nullo modo obliget Protestantes, & firmat, quæ jam dudum contra illud allegatæ sunt, exceptiones; ut nempe Pontifex in propria causa, & dum potestas ejus in dubium vocabatur, judicare nequiverit, ut Protestantes jam ante concilium præjudicio damnaverit, non decretis tantum, sed & ferro atque igne in eos grassatus, aut ut id fieret, Principes incitans; ut variis artibus Episcoporum suffragia suis placitis accommodaverit; ut denique omnem spem corrigendi errores aut mores præciderit. Impugnat titulum universalis Concilii, cum ne dimidia quidem Christianorum in orbe pars, Romani Præsulis potestatem agnoscat; nec sine petitione principii, de quo controvertitur, dici possit, illos omnes, qui secessionem fecerunt, schismaticos aut hæreticos esse. Quod si quis contendat, occidentalis saltem Ecclesiæ caput esse Romanum Pontificem, ne sic quidem effecturum, ut Concilii autoritas stabiliatur, cum præter Italos & quosdam Hispanos Episcopos, pauci ex Gallia, pauciores ex Germania, ex aliis regnis nulli adfuerint, & tota Gallia Concilii decreta rejecerit; neque postquam in speciem post longum tempus approbasset, ab opinione sua discesserit, quæ cõcilii canonibus semper fuit opposita, & nunc quoque est, in gravissimis articulis Tridenti, vel aperte vel recte stabilitis, de autoritate Pontificia supra Concilia, & Regum majestatem; item de munere Episcoporum. Inde fieri, ut summum illud axioma Pontificiæ infallibilitatis, quod Protestantibus perpetuo objicitur, lubricum, & inane evadat, dum indecisum, aut saltem ab ampliſſimo Galliæ regno rejectum maneat. Progreditur inde ad examinandum, quæ sit autoritas Conciliorum universalium sive Oecumenicorum, & in ea est sententia, non nisi abusive titulum

hunc

hunc quibusdam conventibus Episcoporum datum esse. Neque enim fuisse unquam, neque futura esse Concilia Oecumenica. Tribus namque ante Constantinum Imp. seculis nullam eorum mentionem aut usum fuisse, licet plurimis & gravissimis hæresibus Ecclesia vexaretur. Quod vero per accidens, postquam Imperatores Christianismum professi sunt, Episcopi convenerint, & quorundam conciliorum decreta locum ubique fere habuerint, id non ideo factum, quod universalia essent, aut sua autoritate in rebus fidei definire possent, sed quod dogmata pronuntiassent fidei analoga. Reprobata vero fuisse aliorum, veluti Hierosolymitani, Antiocheni, Ephesini, Sardicensis, Ariminensis placita, non ob defectum autoritatis Imperatoriæ vel Pontificiæ, sed ob decreta erronea, hæresi vel hæreticis faventia. Rediri itaque ad quæstionem de regula fidei, eamque in conciliis quæri non debere. Disputat etiam, cur solis Episcopis, aut aliquibus ex eorum numero deputatis, jus suffragandi in conciliis tribuatur, & cur admittendi non sint ex Presbyteris, itemque ex populo, viri docti & pii. Quod si hoc locum inveniat, impossibile fore, ut concilium vere universale, ob impedimenta insuperabilia, haberi possit.

Cæterum compendium hoc libros habet octo breviusculos, totidem nempe, quot opus Petri Suavis sive Pauli Sarpii: sed omissæ aut cõtractæ sunt digressiones de controversiis, ordo etiã alicubi immutatus, junctis quæ ob materiam connecti poterant, cum Paulus temporum seriem, ad formam Diarii, secutus sit. Hoc institutum placuit autori, ut plurium usui accommodare posset compendium suum, stylo magis plano & populari, eleganti tamen scriptum, cum Pauli liber abstrusior sit, & doctiores lectores requirat. Versionem Gallicam, quæ jam olim edita fuit, optimam quidem esse fatetur, sed mutato interim Gallicæ linguæ genio, archaismi vitium contraxisse. Fideliter in excerpendo autore, & sensum ejus sequendo, versatum se fuisse profitetur, nec de hoc dubitandi causa apparet; sed deprehendet id certius, cui vacat cum breviario hoc librum Pauli conferre.

CN. JVLII AGRICOLÆ VITA Scriptore C. Cornelio Tacito, cum notis Augusti Buchneri primum editis cura Georgii Schubarti,

Lipsiæ 1683, in 8.

Quando

QUando nuper admodum volumen Orationum Buchneri academicarum ſecundum a nobis percenſeretur (ſupra pag. 347) elogium huic viro ex meritis in rem litterariam ampliſſimis tribuebatur. Verum licet ſcriptura doctorum hominum virtutes rectius exprimantur, quam ſolerti pictorum arte: ibi tamen pariter atque heic in externis hæremus ſæpius, nec interiora exhaurimus penitus. Eruditio noſtri tam varia, judicium adeo firmum & multa lectione ſubactum, ut quoquo tandem incumberet, ſeſe daret feliciſſime, neque ſtatim cunctis pateret. Quam ingens ſit munus illorum qui ſcriptores veteres enarrant, ac vel inferunt lumen, vel, ſi per temporum iniquitatem male habiti, medica juvant ope, reſecantes aliena, depravata reſtituentes, non uno loco huc uſque demonſtratum fuit. Buchnerus quorſum inter hos referri debeat, communi ſuffragio monemur, paucos tanta elegantia, tam commoda & perſpicua interpretatione, tam efficaci ſenſu magnitudinem cogitationum, ac prudentiam in monumentis antiquorum tradidiſſe. In corruptis ac deſperatis membris ea modeſtia ſemper uſus, ut nihil ex nimia ingenii fiducia, ex probatis contra lectionibus, & ſententiæ veritate, ſibi præ ceteris obvia, decerneret omnia. Non jam curatas ejus meditationes in plures veterum, gentilium atque chriſtianorum, quaſi exferto digito indicabimus, quod unus exemplo ſit nobis C. CORNELII TACITI AGRICOLA, in quem notas edidit publicis ſcholis, quando apud Wittebergenſes humanitatis ac politioris doctrinæ profeſſionem cum gloria quondam ſuſtineret. Auberti Miræi verba ſunt aſſeverora, quam libera, ubi Juſti Lipſii vitam narrat, *interpretes hiſtorici graviſſimi poſt eum, inſtar muſtarum, ad odorem bonæ famæ convolaſſe, inque eodem muſtaceo laureolam quæſiviſſe.* Palma in medio poſita eſt, de cujus honore certare permittitur, quibus modo artes ingenuæ cordi ſunt, & incrementa ſtudiorum. Romanæ antiquitatis conſultiſſimus ille, ac ſapientiæ humanæ myſtes recte putatur, qui fere primus Taciti genium pervidit; adeo autem non perfecit ſingula ac ſuis abſolvit numeris, quin multa notanda poſteris relinqueret. Quam noſter induſtriam adhibuerit iſthac parte, quam in civili argumento perſpicacitatem, utique adparet. Non ſectatur quæ in ſuperficie poſita, non levia magni facit aut protrita, ſed reconditiora ubivis aperit, ſenſa difficilia & moroſa complanat, diducit, illuſtrat.

A multis

A multis prætermissa, aut non satis explicata, sub incudem revocat, & jam brevi observatione mentem commonstrat, mox digressione facta, si forte requirat usus, prisca cum hodiernis componit, libertate sentiendi cuilibet integra servata. Ita rudimenta castrorum, educationem ac disciplinæ ordinem, quem in republica diligenter custodiverunt Romani, *capite IV & V* exponit, summamque illius ad eloquentiam præcipue ac scientiam militarem refert. In sequentibus virtute Agricolæ atque exemplo porro docet, quid a primis annis necessarium sit ei, qui mensuram egregii ducis olim implere, patriæque se utilem præstare cupiat. Prudentiam ac moderationem coercendi milites, ad turbas proniores, *capite VII* declarat, animumque judicis cumprimis formet, ne fortassis iracundiæ, sævitiæ, aut vehementiori affectui unquam indulgeat: quin consilio regat, ut invenisse potius, quam feciſſe bonos videatur. Fortunæ & auspicii religionem, qua veteres sua passim reddunt intricatiora, *capite VIII* mira perspicuitate evolvit, & quæ prolixis alii commentationibus, ipse compendio perquam erudite absolvit. Ibidem legati obsequium, quod duci suo debet, paucis exsequitur, & quid in utramque partem conveniat, eleganter proponit. Occasio quam grave sit momentum in rerum novarum molitionibus, maxime cum absentia ducis patefiat a tergo relictis, *capite XIV* per monita & exempla docet. Imperium muliebre, Britannis olim solenne, *capite XVI:* principum ignavorum ferociam, atque indolem superciliosam, qua gloria ac rebus gestis, qua fortitudine, justitia, prudentia, & reliquo virtutis habitu, præcellere cunctis, utut ab his male instructi, prope in speciem volunt, *capite XXXIX* describit, & quantus inde bonis horror semper incutiatur, si emineant, pari doctrina significat. Minima quæque persequi in præsenti haut vacat, neque pro instituti ratione libet: nisi quod non omittendum duximus, egregiarum harum commentationum copiam, in paucorum scriniis delitescentium, nunc publici juris factam, doctissimo viro *Georgio Schubarto* Jenensem Academiam elegantioribus studiis exornanti deberi: a cujus industria plures Buchnerianas reliquias, commentationes nimirum in *Catilinarias* Ciceronis, *Cæsarem, Florum, Juvenalis* quasdam satyras, *Zenonis* sermonem de resurrectione, ipsosque Taciti *annalium* & *historiarum* libros, sub LECTIONVM ACADEMICARVM titulo exspectamus.

LES POESIES D' ANACREON ET DE Sapho, traduites de Grec en Francois, avec des Remarques. Par Mademoiſelle le Fevre.

id eſt,

ANACREONTIS & SAPPHUS POEMATA e Græcis Latina facta, & cum Obſervationibus edita ab Anna Tanaquilli Fabri filia.

Pariſiis 1682, in 12.

INter præſtantiſſima ingenia, quæ bonas litteras noſtro ævo exornant, floreniſſimum viget feminæum doctiſſimæ Virginis ANNÆ Tanaquilli Fabri filiæ. Quæ in Delphini uſum non tantum Latinos quosdam Scriptores, *Flori* Res Romanas, *Sexti Aurelii Victoris* Romanæ hiſtoriæ compendium, ac *Dictys Cretenſis* de bello Trojano *Daretiſque Phrygii* de excidio Trojæ monumenta elegantibus Notis & accurata Interpretatione illuſtravit; ſed quantum patris æmula litterarum græcarum uſu valeret, eruditiſſima venuſtiſſimaque *Callimachi* editione octo abhinc annis orbi exhibuit, & nunc *Anacreontis & Sapphus* cultiſſima interpretatione e Græca in vernaculam ſibi linguam, doctisque quas adjecit Obſervationibus, ſatis demonſtravit. Ac Pater quidem ejus græca hæc carmina cum animadverſionibus Salmurii anno 1660 ediderat: ſed ab eo Filia non raro diſſentiendum ſibi putavit, doctiores quam veriores nonnullas ejus animadverſiones arbitrata, & immerito quasdam odas quaſi minus genuinas exturbatas fuiſſe. Vitam Anacreontis & Sapphus tam exacte percenſuit exquiſitisque narrationibus condivit, ut omnes qui de iisdem commemorarunt longo poſt ſe intervallo reliquerit. Interpretationem autem Gallicam contexere inſtituens, nec Henrici Stephani & Heliæ Andreæ, qui latino numeris alligato ſermone odas has expreſſerant, nec Remi Bellavii, qui gallico carmine eas anno ſuperioris ſeculi ſexto & quinquageſimo reddiderat, exemplum ſequi, nec Itali interpretis veſtigiis inſiſtere; ſed græcas Anacreontis odas, & ſuperſtites a Dionyſiis Halicarnaſſenſi & Longino aſſervatos duos Sapphus hymnos ſoluto ſermone verbis exquiſitiſſimis gallicis exprimere

mere maluit. Id ſtudens, ut auctoris ſententiæ, ipſisque quantum gallicæ linguæ facultas ferret verbis arctiſſime adhæreret,& nativum Anacreontis characterem, quoad ejus fieri poſſet, adumbraret, & nulla eum detractione imminutum, nullo additamento auctum, ſed integrum ſuique ſimillimum omni ex parte perquam fideliter exhiberet, apta verborum compoſitione & æquabili prorſæ orationis tractu contextum. Quod ſi enim obſequi numerorum legibus, & præfinitis ſyllabarum modulis alligari voluiſſet, metuebat ne deficeret in ſententiis, quas præ cæteris conſectandas ſibi propoſuerat: nec enim nimia patitur linguarum diſſimilitudo, obſervante doctiſſimo Huetio, ut verſus verſui exacte refundi queat; longius quippe excurrere & in remotas plus æquo ac diverſas partes evagari neceſſe eſt. Quæ ratio ipſum patrem Tanaquillum Fabrum eo compulerat, ut poſthabitis Henrici Stephani & Eliæ Andreæ metris latinis decerneret *græca* Teii poetæ *odaria proſaico ſermone convertere: quod ſciret, in ea verſione, quæ carminis neceſſitate & metri vinculis adſtricta ſit, multa eſſe duriora & obſcuriora, quædam etiam non ſatis perite aut intellecta aut converſa: nec unquam illam interpretandi rationem* qua verſa oratione in alteram linguam auctores transferuntur *ſibi eſſe probatam; quippe quæ doctis hominibus non neceſſaria, ſemidoctis autem pene inutilis ſit, nonnunquam etiam obſit propter intricatam impeditamque obſcuritatem, quam nemo interpres* numeris adſtrictus, *quantacunque uſurpetur diligentia, vitare poſſit.* Sed ab hoc propoſito amicorum hortationibus revocatus, provinciam quam latine excolere voluerat, gallico habitu exornandam doctiſſimæ filiæ reliquit. Quæ interpretationem ſuam venuſtiſſimam eruditis Obſervationibus cuivis odario ſubjectis comtiorem reddidit: in quibus verſionis ſuæ rationem, ſi quando ad hodiernum vivendi morem ſuum loquendi genus componens ab auctoris receſſiſſet verbis, expoſuit, græcum textum emendavit, ejus Interpretes notavit, plurimaque erudita & præclara attulit, quæ præſtantiam ac vim ingenii, tum inſignem & plurimorum auctorum haud vulgari cognitione acquiſitam eruditionem oſtendunt, nosque in deſiderium reliquorum Auctorum græcorum, quos interpretatam ſe eſſe & notis illuſtraſſe indicavit, rapiunt: ac proinde bonarum litterarum cauſam, iſtorum editione promovendam, celeberrimæ Virgini, ſexus & ſæculi ornamento, commendamus.

DES COMEDIES DE PLAUTE, TRADUITES en francois, avec des remarques & un examen, ſelon les regles du theatre: par Mademoiſelle le Fevre, en trois tomes.

id eſt,

Comœdiæ quædam Plauti, in Gallicum ſermonem translatæ, adjectis Obſervationibus & Examine ad leges theatri: per Virginem Annam Tanaquilli Fabri filiam; tribus tomis.

a Paris 1683, in 12.

PLautinas fabulas Gallicanis venuſtatibus exornatura & vernaculi ſermonis ſuavitate civibus ſuis ſuoque ſexui commendatura doctiſſima Virgo Anna Tanaquilli Fabri filia, tribus quos nunc emiſit tomis totidem comœdias gallice verſas & eruditis Obſervationibus illuſtratas dedit. His Præfationem de tenui dramatum origine apud Græcos æque ac Romanos, eorumque mutationibus & incrementis, comœdia veteri, media, & nova, earum auctoribus, ſatyra, ludisque ſcenicis præmiſit. In qua Plautum omnibus reliquis comicis felicioremfuiſſe prædicat; qui & latinam ſcenam majori adparatu inſtruxerit, ſicque Grajorum mores adſimularit, ut identidem & ſuos agnoſcerent ſpectatores Romani: & maximam ſui partem inter tot bonarum litterarum omniumque comicorum ruinas ſit ſuperſtes, quod priorum nemini contigerit, quorum hodie exigua ſaltem ſuperſunt fragmenta. Terentium novem annos natum cum diem obiret Plautus, anno ætatis viceſimo octavo primum ludum Andriam edidiſſe ait. In iſto plus artis, in hoc plus ineſſe ingenii; in iſto dictionem, in hoc actionem meliorem. Nec præferendum Terentium Afrum Plauto Umbro cenſet, cum hic non minus quam iſte habeat quo alterum præcellat: rectèque Horatii de Plauto & Terentio ſententiam, quam ex Julii Cæſaris mente explicat, accipiendam docet. Molierium celeberrimum Galliæ comicum Plauto & Ariſtophani ſimillimum exiſtimat, quod iſte non minus ac hi hominum captui eorumque omni generi ſe accommodaverit. In *interpretatione*

trium

trium quas jam edidit comœdiarum ſtudium haud leve ſibi adhibitum affirmat, ut bonæ interpretis munus impleret; nec parum in ea adornanda conſumtum temporis, quod ſufficere potuiſſet alteri, perfunctorie id agenti, omnibus Plauti fabulis convertendis. *Examen* cuivis fabulæ præmiſſum veras theatri leges tradit, & ut Plautus eas ſervarit demonſtrat, unde intelligenda ejus mens & verus dramatis genius pernoſcendus. In *Obſervationibus* varia ex penitiori eruditione depromta afferuntur, ac ratio interpretationis redditur, ſi quando a latinis auctoris verbis ea abeat. Amphitruonem, Rudentem, & Epidicum e reliquis Plautinis fabulis ſelectas ſibi ait quas ederet, quod inventionis, mutationis, & reliqui adparatus gratia cæteras viderentur præcellere. *Ariſtophanis* Comœdias, & omnes *Tragicos Græcos* eodem ſtudio excultas poſthac ſe edituram, ac *Plautinas* omnes fabulas, eodem habitu, quo jam tres gaudent, indutas ſe in publicum emiſſuram promittit, ubi gratam hanc operam orbi futuram cognoverit. De quo dubitandi ut nullus relictus ipſi eſt locus, ita promiſſi fidem ut impleat, ætatem & vires celeberrimæ Virgini, ævi miraculo, apprecamur.

מוח התבואות

id eſt,

NUCLEUS PROPHETIÆ,

Auctore Antonio Hulſio, Theolog. D. ejusdemque ut & Linguæ S. Profeſſore in Academia Lugd. Bat.

Lugduni Batav. 1683, in 4.

LIbrum quatuor ſuis filiis dedicatum, quibus & bona ſua ex æquo legat & curriculum vitæ ſimul in epiſtola dedicatoria enarrat, Auctor in duas partes diſtribuit. Priore non ſolum primaria V. T. vaticinia de Meſſiæ perſona, officio, regno ſpirituali, ſed etiam alia quædam celebriora Scripturæ dicta explicat. Omnia a vanis Rabbinorum argutiis doctiſſime vindicat, Cocceji ſimul interpretationes, inprimis in Canticum Canticorum Judaicam methodum redolentes perſtringens. In epilogo lubricam hodiernam Judæorum fidem etiam circa graviſſimos fidei articulos, ethnicorumque ſuperſtitionibus

& hæreticorum deliramentis fœdam, ex R. Joseph Albo libro Ikkarim demonstrat.

Posteriore parte de Typis V. T. tractaturus præmittit introductionem, in qua postquam monuisset, universum Judaicæ Reipubl. statum tam ecclesiasticum quam politicum, sub triplici Lege delineatum pro fine habuisse repræsentationem spiritualium, quæ in Christum credentes habent, beneficiorum, de triplicis Legis, puta Moralis, Ceremonialis, & Forensis pædagogia disserit, qua ad Doctrinam Typicam manuducamur. Lex enim, inprimis Ceremonialis, veluti fons est, e quo plurimi typorum rivi manant. Typum hic appellat, signum repræsentans hominibus V. T. gratiam futuram, seu media gratiæ obtinenda per Christum. His explicationem doctrinæ Typicæ subjungit in decem capitibus, agens de Typicis (1) Sacramentis, duobus ante peccatum, *arbore vitæ & arbore scientiæ boni & mali in Paradiso*, duobus sub Oeconomia legali, *Circumcisione & agno Paschali:* (2.) Miraculis quatuor celebrioribus, Arca in diluvio Gen. 7. Mari & nube Exod. 14. Manna Exod. 16. Rupe cap. 17: (3) Personis quæ repræsentanti officium Christi triplex, *Regium*, ut Patriarchæ, Judices, Reges; *Sacerdotale*, ut Sacerdotes ordinarii eorumque subordinati Levitæ & Nethinæi; *Propheticum*, ut Prophetæ. Occasionaliter etiam agitur tum de iis, qui proxime ad ista officia accedunt, Nazaræis & Recabitis, tum de falsis Prophetis, sectatoribus, hæreticis, nimirum Pharisæis, Essenis, Sadducæis, Herodianis, Gaulonitis, Samaritanis, Publicanis: (4) Sacrificiis: (5) Ablutionibus: (6) Instrumentis celebrioribus, arca fœderis, altaribus, indumentis Sacerdotum; (7) Locis tum *Sacris*, tabernaculo, templo primo & secundo, atrio Gentium, & his oppositis lucis & excelsis, ubi colebantur idola; tum *Politicis*, scilicet portis & asylis, tum *Scholasticis*, synagogis & scholis: (8) Festis, in quibus prolixe de Sabbathi origine, moralitate, Sabbatho Christiano, de operibus Sabbathicis disceptatur: (9) Visionibus: (10) Hostibus, qui ecclesiam Judaicam atrociter persecuti, figuram præbuerunt hostium N. T. in quibus eminent, Pharao Rex Ægypti, Nebucadnezar Rex Babyloniæ, Antiochus Epiphanes Rex Græcorum. In istis erudite, utiliterque pertractatis Auctorem συνήθη suæ (i. e. Reformatorum religioni) passim θαλλένειν, & aliquos meditatione sua typos fecisse Lector deprehendet.

Ob

Ob argumenti affinitatem adjecta est Disputatio Epistolaris Hebraica cum Jacobo Abendanah Rabbino Amsterdamensi super Hag. II. 9. constans octo Epistolis, quinque Hulsii, tribus Abendanæ, qui ad octavam & ultimam responsionem debet. Earum omnium versio Latina adscripta legitur.

Addita tandem est Mantissa ad Dan. XII. 2. *Multi ex dormientibus* &c. in qua Hulsius modeste contendit, se nullibi negasse mortuorum resurrectionem in verbis Danielis *literaliter* attendi; quem errorem sibi immerito B. Dn. D. Martin. Geierus (cujus de cætero præcellentem eruditionem & eximia in Ecclesiam merita veneratur) in Commentario ad Danielem imputaverit, allegata pag. 73 Tom. I. Theolog. Judaicæ, ubi Hulsius scripserat: *verba sub initium Cap. 12 Danielis non ad literam, sed figurate & typice potius accipienda esse.* Ex quibus num sententia ea, quam vir immortalis nominis Hulsio tribuit, elici possit, nec ne, Lectoris esto judicium.

MOSIS CHARAS MED. D. ET REGIÆ Majestatis Anglicæ Chymici Pharmacopœa Regia, Galenica & Chymica, Gallice ab Authore conscripta, jam vero latinitate donata.

Genevæ, 1683, in 4.

QUod Opus, Gallice primum conscriptum & iterato jamdum editum, paucis forsan hactenus in Germania videre contigit, illud nunc Latino habitu in publicum prodiit. Opus vero est, quod Pharmacopœæ Regiæ Titulum optimo meretur jure, non minus in recessu, ac in fronte gerens, & per quod Autor (per Scripta *de Theriaca* & *Experimenta circa viperas* dudum celebris) Rempublicã Medicam non parum sibi obstrinxit, talia juris & usus publici faciens, quæ indefesso labore, studio multo & magnis sumptibus sibi comparaverat, aut a Viris illustribus, & inter hos præprimis a Domino *Aquino*, Medico Regio primario, sibi concredita fuerant. Ubi tamen præmonitum ante omnia Lectorem volumus, quatuor partes editionem Gallicanam complecti, quarum ultima, varia continens remedia particularia, aut ex nobilioribus scriptoribus, aut viris singularis peritiæ hausta, propriaque experientia comprobata, huic præsenti deest.

Dividit

Dividitur hæc in duos Tomos, quorum prior præter præcepta generalia & Pharmaciæ tam Galenicæ, quam Chymicæ communia, de Principiis Mixtorum, de Medicamentis in genere, horum Facultatibus, Electione ac Præparationibus variis, de Furnis, Vasis, Lutis &c. Producta præprimis Galenica, horumque parandi modos, cum singularibus observationibus v. g. occasione Conf. alkermes, quod Aurum foliatum in ventriculis animalium revera dissolvatur, de efficacia pulveris contra rabiem Domini de Piroa a Palmario descripti &c. tradit, & post Balsamorum confectionem, Methodum balsamandi & condiendi cadavera Autori peculiarem hactenus exponit. Alter Tomus circa Præparationes Chymicas versatur, in tres Libros, vegetabilium, animalium, & mineralium, digestas, multisque egregiis phænomenis atque experimentis instructas. Ita v. g. ubi de destillationibus Aquarum agit, singularem encheiresin, Aquas fragrantissimas ex floribus, cum stercore vaccino exsiccato stratificatis & rore Majali irrorati, conficiendi exponit. In cap. de Mali Citrii destillatione in *D. Frid. Hofmannum* valde invehitur, lacessitus ab hoc in *Clave Pharmaceutic. Schroderiana* per materiam de natura veneni Viperini. Spiritus vini Tartarisati vulgaris destillationem rejicit, alium ejus modum surrogando, a nullo forsan hactenus adhuc observatum, ipsum vinum acidulum a Sale Tartari destillare jubens. Optimum ac purissimum Opii extractum per Aquam simplicem parandum commendat: ejusdem vero Opii vim soporiferam haud catholicam, sed diaphoreticam ac sudoriferam tantum asserit, dum ipse aliquando a 6, ac postmodum a 12 ejus granis assumptis nihil torporis aut somnolentiæ, sed pruriginem saltem aliquam in habitu expertus fuit. De Salis Tartari volatilisatione egregia profert. Viperas destillandi modum ubi tractat, contra *Denisium*, Adversariorum Artium & Scientiarum Conscriptorem de Zoologia veneni viperini iterum disputat, sententiamque olim super hanc explicatam contra illius assertа vindicat. Cantharidum Sal volatile omnium diureticorum potentissimum & Venerem insigniter stimulans pronunciat, ultra trina grana non propinandum: it. Oleum earundem, olei Caryophyllorum æqualibus, ac duodecim olei Nucistæ expressi partibus commixtum, & plantis pedum, perinæo testiculisque inungendum commendat. De Calcis vivæ natura pariter non vulgaria edisserit, Mercurii vivi texturam minime (ut vulgo ferunt) alkalicam

alkalicam, nec virulentiam mali venerei in acido consistere, evincit. Butyrum Antimonii cum causticum potens sit, adeoque in ossium carie, gangræna, fistulis, cancro &c. absumendis ac sistendis laudetur, vehementia nihilominus illius effectuum multa cautione opus habeat: Methodum Domini Pelegrini oleo hoc in recensitis similibusve casibus cum successu & tuto utendi, testis ocularis, explicat. Antimonii insuper singulares nonnullas Præparationes subnectit, v.g. Antimonium per inferiora tantum purgans, & Tincturam ejusdem cum oleo terebinthinæ aut baccarum juniperi parandam, ac per secessum & sudorem pariter tantum evacuantem. Tandem vero & in capite de Bismuthi præparationibus, Bismuthum ac Zinckum arte parare docet.

EXPERIMENTA AC DUBIA NONNULLA Chymica, Auri & Argenti solutionem spectantia, communicata a D. B.

Sicut nec in Chymia tyronem latere auguror, Menstruorum, quæ Aurum atque Argentum dissolvunt, adeo restrictam esse potentiam, ut quod solutioni Argenti adæquatum, sc. Aqua fortis, Aurum ne superficialiter quidem arrodat; contra quod metallum hoc in minima solvit, sc. Aqua Regis, argentum vix, aut leviter saltem afficiat: Ita ex iis quæ circa hæc, satis quidem mihi paradoxa & assertis trivialibus contraria, nuper annotavi, explicare volui.

Primo nempe repetitis tentaminibus expertus sum, nihil plane referre, sive pro Aqua Regia paranda, Basis Spiritus Nitri seu Aqua fortis, sive Spiritus Salis sit: modo illi tantillum Salis communis aut marini; huic Nitri (quartam, imo sextam, partem) adjicias, vel stagmata illa ab his destillando abstrahas: i.e. Aqua Regis fiet æque, ex Spiritus Salis v.g. unciis quatuor & Nitri uncia una aut drachmis sex, ac ex Aquæfortis seu Spiritus Nitri unciis quatuor & Salis communis uncia una &c. Unde difficile satis explicatu mihi videtur, quomodo Menstrua, ratione equidem ingredientium eadem, proportionis tamen illorum intuitu satis disparia, unum eundemque nihilominus præstent effectum?

Secundo Spiritum Salis marini seu communem simplicem, & qui

de Nitro nihil plane participat, Aurum ſolvere, Paradoxum Chymicum eſt: deprehendi interim, illum hoc præſtare, modo ſuper æqualem Salis ejusdem portionem bis cohobetur; Argentumque ſicut antea, ita & nunc, intactum relinquere.

Tertio ſi Aqua fortis a Nitri communis minusque depurati parte æquali bis vel ter cohobetur, Menſtruum Auro appropriatum evadit, Argentum aliquantum duntaxat arrodens: Quod ſi autem ab eadem Nitri, probe depurati, portione binis vicibus avocetur, Lunam in momento & ſine caloris extrinſeci adminiculo ſolvit, Solemque, calore externo quamvis adjuta, minime contingit.

Quarto mirari ſubit, quomodo eundem effectum, in ſolvendo Auro, duplici pariter ratione parata Aqua Regis præſtet? Sc. modo in Aqua forti aliquid Salis diſſolvitur, atque totum in menſtruum deliquatur, nihil autem ab hoc ſegregatur: Modo ab eodem Sale Aquafortis tantum cohobatur, hinc ejus aliqua duntaxat & volatilior forſan ſubſtantia in Aquam Regis faceſſit; ab Aqua forti autem Sali loco illius, quod deceſſerat, aliquid imprimi, credere jubet Nitrum verum, in quod remanens Sal degenerat.

THE ANATOMY OF HUMANE BODIES epitomized, by a Fellow of the College of Phyſitians in London.

id eſt,

Anatomia humani corporis in compendio tradita a Socio quodam Collegii Phyſici Londinenſis.

Londini. 1682, in 8.

SCriptum anonymi Tibi L. B. ſiſtimus, omnium partium humani Corporis conformationes, actiones & uſus tradens, & quidem prout hæc partim ſuperioribus Seculis explicata, partim per Neotericorum, v.g. Harvæi, Bartholini, Williſii, Malpighii, Graefii &c. inventa atque aſſerta emendata fuerunt. Dividit illud Autor in Libros ſex, quorum *primus* Abdomen, *ſecundus* Thoracem, *tertius* Caput, cum ſingulorum contentis; *quartus* vaſa artuum cujuscunque generis, *quintus* Muſculos, & *ſextus* Oſſa totius corporis una cum Carti-

Cartilaginibus, Ligamentis & Unguibus exponit, methodo negotio huic ſatis congrua multisque Anatomicorum obſervationibus exornata.

FORMULES DE MEDICINE, TIREES de la Galenique & de la Chymie, par H. Tencke Profeſſeur Royal a Montpellier.

id eſt,

Formulæ Medicamentorum Galenicorum & Chymicorum, autore H. Tencke Prof. Reg. Monſpel.

Lugdun. 1682, in 12.

VIderat hoc Opuſculum, ſub Idiomate Latino, primam lucem Anno 1681, poſtmodum vero Interpretis Gallici expertum eſt calamum: diverſa continens, praxin ineuntibus utiliſſima ſcituque neceſſaria. Sc. Remediorum Medicorum adminiſtrationem decentem, magni æque momenti ac difficultatis ſummæ negotium, obſervans Nobiliſſimus Scriptor, hanc ut tyrones doceat, illa ſub Alterantium, Evacuantium, Roborantium, & Lenientium ſeu panegoricorum quadruplici claſſe recenſet, cunctorum, partim compoſitionem, partim uſum, partim formulas exponens, ultimæ vero claſſi Caput unum de ſanguinis fluxu ſedando, alterum de Animi deliquio corrigendo, annectens, ac hinc inde varia ſcitu digna immiſcens. Ita v. g. Uſum Opii & opiatorum in hyſterica paſſione ſingularem per binos caſus confirmat: ubi de Pulveribus Alterantibus agit, Chinæ Chinæ uſum febrifugum hujusque circumſtantias, item Coffee & herbæ Thee, exponit: & de unguentis ubi agit, de ſalivatione per inunctiones Mercuriales concitanda diſſerit.

LA COUR DE LA REINE JEANNE de Bourbon epouſe de Charles V ſurnommé le Sage.

id eſt,

Aula Reginæ Johannæ Burboniæ, conjugis Caroli V cognomento ſapientis.

EXhibuimus menſe Junio præſentis anni p. 261 Caroli V Galliæ Regis Aulam, antiqua tabula expreſſam, & a Clariſſimo Meneſtrerio Soc. Jeſ. *diligenti ſtudio evolutam. Tantum vero abeſt, ut Hiſtoriarum ac Heraldicæ artis cultoribus, quorum inſervire ſtudiis ea re voluimus, operam viſi fuerimus luſiſſe, ut graviſſimi quidam viri ad Reginæ quoque Johannæ Burboniæ Aulam, quam priori Meneſtrerius adjunxerat, eodem modo ac ornatu ſiſtendam, ultro nos ſolicitarint. Eam ergo, Lector Benevole, nunc accipe, ab eodem Meneſtrerio, cujus verba Latine reddimus, ex præſenti tabula deſcriptam.*

TAB. X. Argumentum picturæ congreſſus eſt Iſabellæ Valeſiæ viduæ Burboniæ, cum filia Regina Johanna Burbonia, ad caſtrum Claromontanum in ſylva quadam, in qua venationi Dux Burbonius incumbit. Fœminæ illuſtres omnes inſignibus ſuis ſuper amictu expreſſis, perinde ac in tabula priore viri, diſtinguuntur. Caſtellum quod in angulo ſuperno repræſentatur, Claromontanum eſt, in quo anemoſcopia ſingula ſcutulum exhibent aureum, ex ſymbolo Ludovici Burbonii, qui ordinem Equeſtrem cum clypeo aureo inſtituit.

1. In medio tabulæ Regina viſitur, tunicam velleris murini, & pallium Franciæ miniata faſciola Burbonica ſectum induta. Coronam ea gerit coronæ mariti ſui perſimilem.

2. Manuducitur vero a Johanne Burbonio, primo hujus nominis Marchiæ Vindocinenſis & Caſtri Comite, honorarii Reginæ deductoris munus obeunte. Manu ſua dextra innititur ſiniſtræ Principis, ſiniſtra vero avem ſuſtinet; ad venationem condictum eſſe, ſeque in agrum Claromontanum velut advolare innuens. Marchiæ Comes nonniſi brevi toga indutus eſt, inſignia ipſius oſtendente, quæ rupta ſunt *(briſées)* balteo Burbonico, & ſubdiſtincta *(ſurbriſées)* leunculis Marchiam Vindocinenſem & Caſtri notantibus.

3. Syrma pallii Reginæ Domina de Savoiſy ſuſtinet, Philippo de Savoiſy uni ex Regis cubiculariis nupta. Stola ejus diviſa eſt, ac altera parte inſignia mariti refert, aream nempe auream tribus capreolis *(chevrons)* rubris, & ſtriatura *(engreslure)* quadam cyanea exaratam; qualia variis in locis exſtructæ ab eo arcis Segnelay conſpiciuntur.

4. Poſt Reginam Maria Francica, filia Regia, conſiſtit, tres aut quatuor annos nata, cum tunica velleris murini, & ſtola exteriore liliis conſita, caput corolla ſeu ſerto aureo cincta.

5. Anna

BIBLIOTECA



5. Annæ Ducissa Burbonia, Delphina Arverniæ, Comitissa de Forests, Domina de Mercœur, Beroaldi II hoc nomine Comitis Claromontani Delphini Arverniæ, & Johannæ de Forests Dominæ d'Usſel filia, lateri natæ Regiæ assistit. Palla ejus symbolis Burbonicis, velut mariti sui, & propriis, ad Delphinatum Arverniæ & Comitatum de Forests spectantibus, est bipartita.

6. Ejus syrma Domina de Nedonchel ex Domo Burnelia colligit, cujus peplum altera parte insignia mariti, aream cyaneam argento a dextra oblique fasciatam (*d'azur a la bande d'argent*) altera ipsi propria, scutulum miniatum & marginem disjunctum (*un orle*) cum pisttacis viridis coloris in solo argenteo repræsentat.

7. Tres reliquæ Principissæ sorores sunt Reginæ. Prima, Bonna Burbonia Comitissa Sabaudiæ, conjux Amedei VI, cognomentum Comitis viridis, ex affectu in colorem illum, quodque Calendis Maji celebres ludos Equestres Camberii instituerit, habitu & sago militari viridi usus, consecuti. Palla Principissæ hujus Sabaudicis, Burboniisque insignibus distincta est, ipsaque catulum loro tenet.

8. Altera, Catharina Burbonia, Johanni ejus nominis VI Harcuriæ Comiti, ex nobilissima quadam & antiquissima Normanniæ domo, nupta. Pallæ ejus bipartitæ pars altera insignia Burbonico-Francica sistit cum fascia miniata, altera Harcuriana, fascias nempe duas aureas in campo rubeo.

In Gallico mendose legitur: d' or a deux fasces de gueules. *Legi enim debet:* de gueules a deux fasces d' or. *Id enim convenit figuræ ipsi, ubi area miniata, fasciæ autem auro tinctæ conspiciuntur, & diserte ejusmodi symbolum Harcurianæ illi genti* Varennes *parte prima libri Gallici* Le Roy d' Armes *pag. 94 tribuit.*

9. Tertia est Margareta Burbonia, uxor Arnoldi d' Armanieu Domini d'Albret, supremi Franciæ Cubicularii. Peplum ejus una parte insignia Franciæ per fasciam rubram rupta, altera Albretana, aream nempe rubentem eamque puram, defert.

Comitissa Harcuriæ avem manu tenet, sicut Regina. Tres vero has Principissas uxor Burbonii nothi comitatur. Nempe

10. Agnes de Chaleu, cujus symbola bipartita alteram quidem aream puram, nisi quod quadrans insignium Burbonicorum ipsi impressus est; alteram argenteam nigro (*im Menestrerius:* au sautoir de

ſable. *Aſt in tabula ipſa non niger color, ſed miniatus expreſſus eſt, quo argenteum ſolum in decuſſim trajicitur; ut neceſſe ſit, vel in picturâ, vel in deſcriptione erratum fuiſſe. quod definire, cum explorata inſignia Domus de Chaleu non habeamus, integrum nobis non eſt; viſum tamen fuit monendum)* decuſſatam, qua familia de Chaleu notatur, exhibent.

Quatuor hæ ſingulæ ſertum aureum capite geſtant.

11. Iſabella Valeſia vidua Burbonia, palla ſua cum inſignibus Burbonicis, & mammillari ac velo albo conſpicua, velut vidua Petri hoc nomine I Ducis Burbonii. A calantica illa viduarum mos proceſſit, quo Regum viduæ apud Gallos *albæ Reginæ* conſueverunt appellari.

12. Honoraria illius aſſecla ex Domo de Mornay de Villarceau in Normannia, ſtola ſua aream præfert aureis & rubris tæniis exaratam cum leone nigro.

13. Dux Burbonius gladio ſuo cervum transverberans, brevi veſte venatoris inſtar indutus eſt, cingulo aureo in teſſeram inſtituti ab eo Ordinis Spei circumdata.

14. Dn. de Nedonchel Ducis cubicularius, pro veteri more pedem cervi tenet Reginæ exhibendum, portatque lagenas vinarias.

JOHANNIS STRAUCHII INSTITUTIONUM Juris Publici Specimen. Juſſu heredum ex Schedis B. Autoris adornavit vulgavitque Johannes Georgius Kulpis.

Francofurti. 1683, in 8.

QUi eruditiſſimis ſuis ſcriptis, Jurisprudentiam qua publicam qua privatam concernentibus, immortalitatem ſibi paravit JCtus ſummus Johannes Strauchius, non ſemel dum viveret Publici Juris prudentiam in formam artis redigere, ejusdemque Inſtitutiones ſecundum methodum Juſtinianearum formare aggreſſus, ſubinde tamen per varios eosque concatenatos labores illas perficere impeditus, tandem ante paucos annos, dum extremo conatu ad finem eas perducere inſtituiſſet, atque in explicanda Auditoribus ſuis Expeditione Romana eſſet occupatus, ſuperveniente mortis hora expeditionem

nem cœleſtem ſuſcipere juſſus, & ita cœptum opus expedire fuit prohibitus. Cujus fragmentum hactenus avide a pluribus deſcriptum orbi erudito diutius invidere noluit, ſed juſſu heredum publici Juris fecit Clariſſimus Editor, qui & ipſe in præfatione ad Lectorem curam atque operam ſuam in hoc fragmento adhibitam latius declarat. Siſtuntur autem tibi, benevole Lector, in hoc ſpecimine Liber primus integer, & Libri ſecundi pars aliqua non contemnenda. In illo deprehendes Diſcurſus accuratiſſimos de civibus Imperii Romano-Germanici tam imperantibus quam parentibus, de Imperatore Romanorum & ejus poteſtate, de Capitulatione, de Vicariis, de modis quibus poteſtas Imperatoris ſolvitur, de Electoribus ac Principibus Imperii, Prælatis item, Comitibus, Baronibus ac Civitatibus Imperialibus, tum de modis, quibus Jus civitatis amittitur, de ſubditis Imperii immediatis & mediatis, de Nobilibus, Equitibus, Ganerbiis, Patriciis, Comitibus Palatinis Cæſareis, de Protectoribus & Clientibus, ac de Judæis, denique de Statu Familiarum Illuſtrium, de uxore Auguſta & Illuſtri, de Liberis illuſtribus, de divortiis, de illuſtribus viduis & tutelis. In Libro ſecundo invenies diſſertationes de rebus publicis, de Jure maris, de littoribus, portubus, fluminibus, & inſulis, de territorio, de ſuperioritate territoriali, de Jure Belli, de Jure ſequelæ, cujus occaſione tanquam ejus partem Autor Expeditionem Romanam exponit, in qua ut modo dictum, abrumpere coactus fuit. Cujus adeo reliquas cogitationes ſimul nobis fuiſſe ereptas merito dolemus, & plus adhuc doleremus, niſi ex alterius Viri Magnifici Inſtitutionibus Juris publici, jam præcedenti menſe a nobis commendatis, & jam ob defectum hunc operis Strauchiani (quem egregie ſupplent) multo magis commendandis, caperemus ſolatium. Nec illud omittendum, fragmento huic additas eſſe diſputationes tres a Strauchio olim in hac alma habitas ad explicationem Taciti de moribus Germanorum plurimum facientes, in quarum prima Germanos eſſe indigenas probavit, in ſecunda vero de modis acquirendi priſcorum Germanorum, & in tertia de armis eorundem ſolide diſſeruit.

CONTINUATIO RELATIONIS DE COMETA, PRÆTERITO menſe Julio obſervari cæpto.

Quanquam inter Eruditos conſtare arbitramur, Cometam quem cœlo noviter ſuſpenſum, ſaltim oculis noſtris detectum, Aug. menſe retulimus, Spectato-

ctatoribus induſtriis ſe nondum ſubduxiſſe: non omnino tamen fruſtra nos futuros confiſi ſumus, qualicunque etiam deſcriptione motus, quem phænomenon hoc à Calendis Sextilibus hucusque in cœlo confeciſſe Lipſiæ viſum eſt.

Die 3. Aug. Stylo vet. Horâ X, 10′ veſp. Cometa diſtabat à Lucidâ Humeri Aurigæ 3°. 27′. 51″; lineamque ♑ β (ſtellarum Uranometriæ Bayerianæ) ſupergreſſa, ab eadem dodrante gradus removebatur.

Die 4 Hora IX, 52′ veſp. ab eadem Lucidâ aberat 3°. 21′. 26″, & ſemihorâ poſt, a ♑ Aurigæ paulo minus 7°.

Die 6. Hora IX, 19′ Cometa a Capella 3°. 6′. 26″ diſtans, a linea α β ſurſum 30′ remotus erat, ſimul in eadem recta cum ♑ & o Aurigæ conſiſtens.

Die 8 Hora III mane, tranſcenderat lineam α β ſemiſſe circiter gradus; quadrante a linea α ϑ, ad quam tendebat, diſtans.

Eodem die veſp. Hor. IX, 20′, Cometes & ι Aurigæ rectam conſtituebant, ſaltim ſuperiorem Cometæ limbo: cujus Diameter per tubum quatuor pedum 7′ minor non erat. Hac etiam nocte, cum a pluribus diebus nihil Caudæ viſum fuiſſet, eadem, ſed tenui ſpecie, viſui denuo ſe ingerebat.

Die 9. Hora II, 38′ mane, Capella, Cometa, γ Aurigæ; β item, Cometæ limbus ſuperior & ι in eadem recta conſiſtebant.

Die 10, Hora IX, Cometa, ι			1	49	17
IX, 56′.	ζ η	Aurigæ diſtabant	1	0	0
	η ζ		1	0	0
X. 9′	ζ α		4	42	41

Die 11 Hora IX, 50′ Cometa cum Hædis η & ζ erat in una recta, ab η 2°. 17′. 5″; ab ζ 1°. 30′ remotus. Nudo oculo earum unam æquare videbatur.

Die 12, Hora X, 26′ Cometa & e Perſei 2°. 47′. 9″;
32′ idem & ζ Aurigæ 3°. 43′. 56″ diſtabant.

Die 18. Hor. X, 52′ Lucidæ Pleiadum & Cometæ diſtantia erat 1°. 42′. 51″.

Die 19. Hor. X, 44, eadem diſtantia 3°. 12′. 51″. Tranſiitque Cometes inter proximum hoc biduum ſupra Pleiades.

Die 22, Hor. XI, 40′, Cometa & μ Ceti 4°. 17′. 9″; Idem & λ Ceti (quantum per nubes capere licuit) 3°. 12′. 51″ diſtabant. Omnes hæ diſtantiæ micrometro per tubum captæ ſunt; ſed tempora ex Horologio ambulatorio ad fixas non exacta. Juxta has vero aliasque obſervationes Cometa intra proximum quadriduum 20° emenſus eſt.

Ab hoc tempore ad 31 Auguſti, cœli conſtans intemperies Cometam oculis perſequi inhibuit. Optamus autem, ut quando præceps ejus jam temporis in auſtrum declinatio eundem climati noſtro mox ſubducturæ eſt; in tranſalpinis Europæ partibus celebrium Aſtronomorum vigiles induſtria, animadverſoque, qua tandem curſum deducturus, aut etiam deſiturus ſit, abſolutam phænomeni hujus nobis condat hiſtoriam.

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipsiæ
Calendis Octobris, Anno M DC LXXXIII.

INTRODUCTIO AD HISTORIAM NUMISMATUM, auctore Carolo Patino Equite D. Marci, Med. Doctore Parisino & in Academia Patavina Med. Professore.

Amstelodami apud Henr. Wetsteinium 1683, in 12.

INter litteraria monumenta, quæ ad historiam pertinent, nullum præstantius, utilius, jucundius commodiusque Numismatis antiquis esse, dudum ostenderunt qui bono publico ea collecta dedere: & præclaram hanc antiquitatis partem ab interitu, & eorum judicia, qui plurimum illi solent tribuere, a ludibrio vindicavit, tum ab iis, qui veteris elegantiæ & eruditionis amore vel studio ducuntur, egregiam ac laudabilem in eadem versanda operam collocari posse ac debere, apertum manifestumque fecit præclaro opere *de præstantia & usu eorum* edito doctissimus vir Ezechiel Spanhemius. Et sane ad summam ingenii aut doctrinæ laudem consequendam nil opportunius, quam ea versare monumenta, quibus simul & novitas inventionis gratiam, & varietas delectationem, & vetustas auctoritatem conciliat. Sed eum haud vulgaris laus neque in medio posita sit abditæ ac retrusæ vetustatis arcana ex coævis neque facile obviis monumentis eruere, proba in hoc genere ab adulterinis, cusa veteri metallo ab incrustatis aut subæratis segregare, & sincerum de ætate singulorum judicium ferre: ad hanc artem consequendam viam ac rationem ostendit, qui pro dignitate eandem excoluerat, nobilissimus vir *Carolus Patinus*, gallice edito libello Parisiis anno 1665: *Introduction à l' histoire par la connoissance des medailles.* Qui intra Gallias delitescens, ut aliis quoque gentibus, istius linguæ ignaris & stu-

dii hujus præstantissimi cupidis notus redderetur, ipse auctor doctissimus, Patavinam Academiam medicis & humanioribus studiis jam exornans, in animum induxit eum latinum reddere: ita tamen ut novis accessionibus passim eum locupletaret. Cui bibliopolæ non inerudito bene de hoc litterarum genere merendi studium *Josephi Mariæ Suaresii* Episcopi Vasionensis Dissertationem *de Numismatis & nummis antiquis*, Romæ 1668 quæ prodierat, recusam subjecit.

ACADEMIA ARTIS PICTORIÆ, AUCTORE Joachimo de Sandrart a Stockau.

Noribergæ 1683, in fol.

PRæclare hactenus apud Germanos de pictoria arte meritus est, qui eandem felicissime tractavit *Joachimus Sandrartus*. Nam cum jam pridem famam excellentissimi pictoris sustinuisset, & tabulis venustissime pictis ingentem gloriam sibi comparasset; de hac arte justis operibus, quæ germanice prodierunt elegantissimis æreexpressis imaginibus insignita, commentandum ratus, tam copiose & exacte atque eleganter ipsam non magis quam ejus cultores oculos posuit, ut quemvis, oculis licet eruditis destitutum, in amorem hujus studii, quod statuariam & sculpturam complectitur, rapiat. *Duos* autem germanica lingua conscriptos *tomos* anno 1675 & 1679 emisit in publicum: quos secuta est ipsius cura adornata *Iconologia Deorum*, quæ anno 1680 prodiit. Sed quando gloria nominis Sandrartiani intra Germaniæ fines non continebatur, operum quoque ejus penitius cognoscendorum avidæ erant cultiores gentes exteræ: istis ut fieret satis, doctissimus & de bonis elegantioribusque litteris bene meritus vir *Christophorus Arnoldus* stilum Sandrarto commodavit, & quæ auctor nobilissimus de Statuaria, præstantissima & picturæ prorsus cognata arte, patrio sermone tradiderat, latinis litteris mandavit, quæ sub titulo *Admirandorum statuariæ* peculiari volumine Sandrartus anno 1680 evulgavit, veram delineationem perfectissimarum & absolutissimarum statuarum, artisque hujus nobilissimæ tractationem orbi exhibens, & maxima cura summoque studio conquisitas Græcorum & Romanorum statuas, æri artificiose incisas & inde expressas oculis

obji-

objiciens. Cumque intelligeret pictoriam artem, quæ coloribus rem exprimit, ſtatuaria quæ imagines & ipſa corpora effingit, præſtantiorem eſſe, quippe quam a teneris etiam excoluiſſet; majori apparatu exteris nationibus, *Chriſtiano Rhodio* interprete uſus, eam exponere aggreſſus eſt, & quæ germanico idiomate duobus tomis diffuſius tradiderat, latino ſermone in unum volumen arctata expoſuit: ſingula iſtius artis proprio atque nativo ſuo nomine, ſecundum hodiernum uſum atque conſuetudinem nuncupando, & fideliter artem deque artis operibus auctoribusque judicandi ſcientiam tradendo. Quoniam autem cum pictoria arte ferme comparatum eſt, ſicut cum oratoria facultate, in qua primum argumenta ſunt invenienda, deinde apte quæ inveneris collocanda, poſt ubi diſpoſueris verborum ſententiarumque luminibus exornanda, ac denique voce & geſtu animanda: ideoque pictorem prius ὑπόϑεσιν (quam μέρ@ εἶναι τῆς ζωγραφικῆς τέχνης, ὥσπερ τὰς μύϑας τῶν ποιητῶν Nicias pictor pronunciavit apud Demetrium Phalereum libro de Elocutione) cogitare, dein οἰκονομίαν, σύνϑεσιν καὶ συμμετρίαν, ſeriem junctauramque, ut Horatius appellat, obſervare, poſt τῶν χρωμάτων ἁρμοῆν τὴν κρᾶσιν, καὶ εὐκαιρεῖν τὴν ὑπόϑολὴν ποιήσωϑ, tandem σκιάσαι εἰς ὄϑον, quod Lucianus in Zeuxide ait, & umbræ ac lucis beneficio vitam & motum quaſi rei quam pingit conciliare oportet: hæc omnia qua ratione fieri debeant, & quomodo facultatem hæc exequendi pictor conſequatur, in hoc opere auctor oſtendit; de veris & genuinis pictoriæ artis proprietatibus, inventione, delineatione, εὐρυθμία & proportione corporum, de picturæ variis generibus, in albario recente ſive freſco, tabulis item atque linteis, de pictura Sinenſium & figuris ligno incidendis, nec non de melano-chalcographia ſeu figuris nigricantibus quæ in ære effinguntur, diſſerens; tum de pingendis hiſtoriis, imaginibusve hominum, de ſubdialibus & nocturnis, de affectibus & perturbationibus animi exprimendis, veſtibus item delineandis, & vero imaginis decoro ſervando tractans; tandem de lumine & umbra, colorum item proprietate, efficacia, uſu, natura & ſignificatione, eorumque ſubigendorum per aquam vel oleum ratione lectorem inſtruens. Maximam autem operis partem icones & deſcriptiones vitarum celeberrimorum tam veterum quam recentiorum ſeu modernorum artificum occupant, qui pingendi aut ſtatuarum

apte conficiendarum arte inclaruerunt. Quorum e priſcis Græcis Gyges Lydius, Pyrrhus, Polygnoti Athenienſis & Thaſius, Telephanes, Cleophantus, Bularchus, Eumarus, Cimon Cleoneus, Panæus, Colotes, Timagoras, Phidias, Mycon, Onaras, Apollodorus, Callimachus, Zeuxis, Parrhaſius, Demon, Timanthes, Eupompus, Nicomachus, Ariſtides, Pamphilus, Echion, Pauſias, Euphranor, Praxiteles, Cydias, Antidotus, Nicias, Athenion, Melanthius, Apelles, Protogenes & alii; e Romanis Fabius, qui inde cognomentum Pictoris tulit, Pacuvius, Arellius, Q. Pedius, Ludius, Amulius, Pinus, Actius, Turpilius, & Imperatores Nero ac Hadrianus, libro *primo* partis ſecundæ exhibentur: in *altero* celeberrimorum Italorum modernorum pictorum vitæ & imagines referuntur: in *tertio* Germanorum & Belgarum, nec non Gallorum Anglorumque icones & encomia oculis animisque curioſorum objiciuntur, ut artis & hiſtoriæ pictoriæ corpus abſolutum hoc opus dici mereatur.

THESES THEOLOGICÆ VARIIS TEMPORIbus in Academia Sedanenſi editæ, & ad diſputandum propoſitæ, Autore Ludovico le Blanc, verbi divini miniſtro & Theologiæ Profeſſore.

Londini 1683, in fol. ap. M. Pitt.

QUo loco habitus theſium harum Autor inter ſuos fuerit, ex epiſtolæ verbis, quam Theſauro Theologiæ Sedanenſis, anno 61 hujus ſeculi edito, præmiſit Jacobus de Vaux, aperte ſatis liquet: *Quam ſubacti, ait, ſit judicii Vir ille eximius, quantopere in rebus Theologicis verſatus, quam ſolidæ eruditionis, quam doctus in Linguarum Orientalium notitia, prælectionibus publicis & concionibus ad populum luculentiſſime probat. Si Deus ei vitam diuturnam largiatur, & id per valetudinem, quæ ſæpe infirma eſt, poſſit, multa & præclara ab eo habebimus, & præcipue Tractatum egregium de Statu Controverſiarum, quæ inter nos & Pontificios intercedunt, cujus operis ſpecimen dedit in Theſibus, quas de Scriptura conſcripſit.*

Nec fefelliſſe Autorem epiſtolæ videtur opinio. Siquidem ſcopus Blanci præcipuus in Theſibus hiſce fuit dilucidare diſtincteque expo-

exponere Statum Controversiarum, quæ a pluribus annis magna contentione animorum agitantur inter Ecclesiam Romanam, & eos, qui seculo superiori ab ea secesserunt propter superstitiones varias, quæ lapsu temporis in eam irrepserant, & quarum emendationem impetrare non potuerunt: eo videlicet consilio, ut perpetuis partium querelis occurreret, sycophantia se & scripta sua premi caussantium. Quamvis autem temporibus diversis a Cl. Autore editæ fuerunt in usum privatum Academiæ Sedanensis; dignæ nihilominus Viris doctis in Anglia nunc visæ sunt, quæ juris magis publici fierent, & in unum corpus collectæ denuo, imo tertia vice typis mandarentur: idque his maxime de caussis, quod primo in quæstionibus singulis diligenter observet Autor diversos, si qui in Reformatorum & Romanorum scholis occurrunt, vocabulorum usus, & λογομαχίας inde enascentes a controversiis realibus curatius discernat: dein de Autoris alicujus sensu non ex verbis ab illo obiter & aliud agente prolatis judicet, sed ex iis, quæ docet & affirmat, rem ex professo tractans & explicans: præterea non tribuat ulli, tanquam ipsius dogmata & placita, nisi quæ ipse pro suis agnoscat & defendat: privatas denique Doctorum opiniones, a communi & publica sententia Ecclesiæ cum Romanæ, tum Reformatæ probe distinguat; nec tribuat adversariæ huic quicquam ut propriam illius doctrinam, præter id quod sanxerunt istius Concilia atque Pontifices, aut quod in scholis illius communi consensu docetur. Est vero hoc Volumen thesium Anglorum adornatum ope, bipartitum. Pars prior theses complectitur, vivo adhuc Autore hinc inde editas, quarum quoque partem aliquam alterum thesium Sedanensium Volumen impressum Genevæ anno supra memorato, sub finem exhibet. Parte reliqua opuscula quædam posthuma continentur, & theses ex Autoris manuscriptis depromtæ; quibus illustrare studuit status controversiarum aliquot, quæ circa DEI verbum & Scripturam sacram: circa Christi personam & officium: de Ecclesiæ regimine, Romanoque Pontifice: de Conciliis: de Ecclesia militante, ejus natura, visibilitate, invisibilitate, durationè perenni, & constantia in fide: de membris Ecclesiæ militantis; nec non de cultu divino in lingua vulgari celebrando, moveri atque agitari solent. Extremo partis loco oratio legitur de Scripturæ sacræ divina origine, ab Autore in promotione aliqua Doctorali habita.

FRIDERICI SPANHEMII FR. F. INTRODUCTIO ad Chronologiam & Hiſtoriam ſacram, ac præcipue Chriſtianam, ad tempora proxima Reformationi: cum neceſſariis caſtigationibus Cæſaris Baronii.

Lugduni Batavorum 1683, in 4. apud Dan. Gaesbeeck.

AUtoris hujus celeberrimi *Introductio ad hiſtoriam & antiquitates ſacras* in 12, jam anno 1674 Lugduni Batavorum prodiit, ſed edita ex diſcipuli cujusdam apographo, atque inſcio ipſo recuſa. Quam cum non plurimis tantum mendis, ſed & magnis hinc inde hiatibus deformatam deprehendiſſet, & caſtigatiorem & auctiorem repræſentare illam induxit animum. Præmiſſa itaque *Introductione ad Chronologiam*, in qua de principio temporis, de diverſis annis, menſibus, ſeptimanis, diebus, diverſis item epochis aliisque huc ſpectantibus diſſeritur; brevem, ut vocat, ſubjungit *Introductionem ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam Veteris Teſtamenti*, & hac abſoluta, *brevem Introductionem ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam Novi Teſtamenti*. Sed hæc ad ſexti tantummodo poſt Chriſtum natum ſeculi usque finem perducta in hoc opere eſt. Cum enim operæ typographicæ ad res Chriſtianas jam aliquousque proceſſiſſent, & vero prolixiorem ſibi tractationem, inceptæ in *Baronium*, ejusque exſcriptores, nec non *Valeſium*, *Allatium* ac *Maimburgium* animadverſiones requirerent, Autor in duos Tomos neceſſitate quadam compulſus diviſit hunc laborem, atque adeo priorem tantum, quamvis & alterius pars aliqua jam prælo evaſiſſet, præmittere hoc anno voluit. Introductionem autem hanc non eo, quo Baronius, loco finiiſſe & tempore, ſed telam hiſtoricam produxiſſe paulo longius, & quidem ad tempora usque Reformationi proxima, profitetur: de quo videbimus tum, ſi & alter tomus in publico ſeſe ſtiterit. Quod priorem tomum hunc attinet, percenſentur in eo Eccleſiaſticæ Antiquitatis archiva; Judaicæ & Chriſtianæ origines; doctrinæ cœleſtis propagatio, eique immixti identidem errores; Eccleſiarum orientalium & occidentalium diverſæ veluti phaſes, ſeu incrementa ac decrementa; res Chriſtianorum modo afflictæ, oppreſ-

oppreſſæ, extinctæ, mox ex cineribus ſuis veluti renaſcentes; veteris diſciplinæ ac publicorum rituum conſtitutiones, mutationes, aliorumque ex aliis propullulans multitudo; hæreſes, hæreſiumque oppugnatores; res item gentilium contemporaneæ, aliaque plura tam ad Judaicam, quam Chriſtianam hiſtoriam intimius pernoſcendam facientia. De cætero non poſteriorem tantum hujus operis tomum minatur Autor, ſed & uberiorem ſacrarum hiſtoriarum theſaurum, & Baronianorum Annalium penſatiorem longe trutinam: idque in præfatione parænetica, qua & Eccleſiaſticæ antiquitatis commendatur ſtudium, & hujusdem introductionis ratio ab eo redditur.

SPICILEGIUM RITTERSHUSIANUM, SIVE Tabulæ Genealogicæ, quibus Stemmata aliquot illuſtrium in Germania Familiarum, quas Vir Cl. Nicol. Rittershuſius in opere ſuo vel omnino præteriit, vel a poſteriore ſaltem ſtipite enumeravit, exhibentes. Decades Tres.

Tubingæ 1683, in fol. apud Georg. Cottam.

CUm anno 1658 Vir Cl. Nic. Rittershuſius Tabulas ſuas Genealogicas ederet, easque tum ob ordinem exactiſſimum, tum ob Familiarum inſignem copiam, Politicis mirifice commendaſſet: tria paſſim cœperunt obſervari, quibus auxiliatricem manum multi apprecabantur. Primo enim pauciſſimæ Familiæ retro porrigebantur usque ad ſeculum a N. C. decimum quartum, quæ tamen controverſias ſuas ab annis ulterioribus petebant. Deinde non deerant Familiæ Principum & Comitum, quorum hodiernus ſplendor locum in hoc Honoris templo merebatur. Tandem labentibus annis Natalium, Nuptiarum, Exequiarum nova exempla, novas additiones flagitabant. Neque penitus defuit his querelis Vir Celeberrimus, dum anno 1664 nova editione ſingulas fere tabulas recentiſſimis Familiarum caſibus egregie auctas exhiberet, ſimulque poſt aliquot annos adjiceret Stemmatum hactenus omiſſorum enarrationes non paucas. Interim Auctoris mors effecit, ut bibliopola de augmento parum cogi-

gitaret, ac adeo tertiam editionem nullis additamentis redintegratam credulis emptoribus obtruderet.

Sed oſtenditur nunc Vir Nobiliſſimus πολυμαθέστατος huic ſtudio novam ſedulitatem allaturus. Etſi vero pro ſua modeſtia nomen in titulo diſſimulat; Præfatio tamen innuit, Parentem ipſius καλοκαγαθὸν in Rittershuſii Præloquio laudatum fuiſſe, quod ſtrenuam in hoc labore operam contuliſſet. Dum igitur ibidem nominari legimus Nobiliſſ. & ſtrenuum Dn. Wilhelmum Im Hoff, Patritium Norimbergenſem, ejusque Reip. Senatorem; facile nobis innuitur digniſſimus tanto Parente Filius Dn. Jacobus Guilielmus Im Hoff, cui tanto feliciores apprecamur ſucceſſus, quanto pulchriora nunc initia eſt defunctus. Dat enim Tabulas triginta, quibus tum nova *Altempſiorum*, *Bentheimiorum*, *Bronchorſtiorum*, *Crichingenſium*, *Dhauniorum*, *Eckiorum*, *Eggenbergiorum*, *Falckenſteiniorum*, *Gronsfeldiorum*, *Hohen Emſiorum*, *Manderſcheidiorum*, *Metternichiorum*, *Machſelreiniorum*, *Salmenſium & Reifferſcheidiorum*, *Schönborniorum*, *Trautmansdorfiorum*, *Vehlenſium*, *Waltpodiorum*, *Windiſchgräziorum* Stemmata deſignat, tum etiam fideliſſime ſupplet, quidquid ab ipſo Rittershuſio fuerat omiſſum *de Electoribus Saxoniæ & Brandenburgi ex Aſcaniis*, *de Guelphis Ducibus Bavariæ & Saxoniæ*, *nec non Brunſuici & Luneburgi*, *de Habſburgicis Comitibus*, *de Comitibus Leiningii*, *de Ducibus Meklenburgenſibus*, *de Pomeraniæ & Stetini Ducibus*, *de Zollernis Comitibus*, *Burggraviis Norimbergenſibus*. Recentiora quod attinet, ſingularem promittit libellum, cujus annotata quivis excerpere, ac in Tabulas Rittershuſii referre queat: ne ſumtuoſa Editionum repetitio, priorum poſſeſſores vel affligat vel confundat. Ut autem hujus libelli feſtinationem habemus in votis, ſic Nobiliſſ. Auctori idoneos apprecamur & Fautores & Amicos, qui rem cognitu difficilem ſuis admonitionibus ac interceſſionibus reddant aliquanto faciliorem. Quin & nomine rogamus publico, ſi quis vel novarum Familiarum poſſideat arcana, vel antiquarum novos caſus habeat in numerato, nolit diligentiſſimo Auctori, ſeculoque curioſis ſtudiis dedito pulcherrimum hoc officium denegare.

G.G.L.

G. G. L. MEDITATIO JURIDICO-MATHEMATICA de Interusurio simplice.

INteruſurium ſive reſegmentum anticipationis, vulgo *Rabat*, eſt differentia inter pecuniam in diem certum debitam, & præſentem ejus valorem; ſeu quanto plus petat, qui plus tempore petit, vel quanto minus ſolvere æquum ſit eum, qui poſt aliquot annos demum debiturus, nunc ſolvit. Hujus quantitas, quæ apud Jurisconſultos paſſim non ſatis, & apud aliquos non ſatis rectè explicatur, accurato calculo definiri poteſt, duabus ſuppoſitionibus ex jure aſſumtis. Nimirum

I. SUPPOSITIO PRIMA eſt, *quod is, a quo pecunia ante tempus, quo deberi incipit, petitur, viciſſim petere poteſt, ut ſibi eo nomine, quovis anno futuro medii temporis, præſtetur legitima uſura.* Exempli cauſa: poſt decem annos proximos finitos, mihi centum debebis (de quibus interim nullas debes uſuras, alioqui ſortem jam nunc deberes.) Ego qui forte negotium aliquod utile, ſed paratæ pecuniæ indigum, geſturus ſum, peto & a te obtineo, ut nunc ſolvas; tu viciſſim petere potes, ut eo nomine tibi quovis anno totius decennii proximi finito ſolvam quinque: *nec refert, utrum pecunia, quæ ante tempus ſolvitur ſors ſit, an uſura.* Omnis enim uſura ſoluta fit ſors; imo cum uſurarum petitio per ſe odioſa ſit, magis odioſa erit uſurarum petitio ante tempus, & qui nihil eo nomine præſtare volet, incidet in quandam uſurariam pravitatem: revera enim plus uſuræ nomine exiget, quam legibus permiſſum eſt, quia tempore quoque plus petitur. Itaque uſuræ exactæ ob uſuras ante tempus præſtitas, quæ ſortis naturam induere, non niſi vocabulum commune habent cum uſuris uſurarum non ſolutarum, quæ legibus prohibentur: & tantum abeſt negotium in vetitum Anatociſmum incidere, ut ſecus fieri regulariter in leges peccatum videatur; regulariter, inquam, nam exceptiones ex natura negotii perſonarumque ſumi poſſunt (de quibus alias) quæ judicis arbitrio permittuntur. Nobis autem in calculo ineundo inſpiciendum videtur, quod regulare exactumque eſt.

II. SUPPOSITIO SECUNDA eſt, ex jure notiſſimo petita, quod

quod *compensatio est quædam solutio*; & qui a pecunia, quam accipit, summam certam sibi detrahi patitur, eam ipsam summam, eo ipso tempore solvisse censetur.

III. His adjungo POSTULATUM, *quod creditor ac debitor in diem futurum certum, de pecunia nondum cædua, nunc statim inter se contrahere possint velintque, ita ut totum negotium simul ac semel inter ipsos (& quidem sine alterutrius læsione,) finiatur.* Itaque creditor, qui centum post decennium debita, nunc anticipat, eoque nomine quovis anno decennii proxime futuri, deberet quinque solvere, ut ea molestia se debitoremque liberet, totumque negotium finiat, potest pati, ut sibi nunc statim de ipsis centum detrahatur aliquid usurarum futurarum nomine, & quidem non integra 50 seu decies quinque, nondum enim *cædua* sunt, seu nondum dies eorum venit; sed paulo minus aliquid. Proinde minus quam centum accipiet, & quod detrahi sibi patitur, ipsissimum est *interusurium* nunc determinandum.

IV. Ex his jam ducetur CONCLUSIO PRIMA: *si usura legitima sit vicesima sortis, valor præsens unitatis post annum debitæ erit:* $\frac{1}{1}-\frac{1}{20}+\frac{1}{400}-\frac{1}{8000}+\frac{1}{160000}-\frac{1}{3200000}$ &c. *in infinitum:* sive generalius, loco 20 assumendo numerum quemcunque v, qui quoram usurariam exprimat, $\frac{1}{1}-\frac{1}{v}+\frac{1}{v^2}-\frac{1}{v^3}+\frac{1}{v^4}-\frac{1}{v^5}$ &c. *Demonstratio* simul & explicatio: statim post annum finitum mihi debebis unitatem seu 1, (*ex facto*) unum verbi gratia aureum, aut unam decadem aureorum, vel unum centenarium, &c. Hanc unitatem sive sortem si mihi nunc solvas, ejus nomine tibi usuram post annum finitum debebo, nempe vicesimam unitatis seu $\frac{1}{20}$ (*per suppositionem artic. 1*) quoniam vero placuit, ut negotium inter nos nunc statim finiatur, (*per postulatum artic. 3*) ideo tu vicissim postulas, ut ego tibi hanc summam $\frac{1}{20}$ nunc solvam anticipando. Solutio autem hæc fieri potest per compensationem, si tantundem mihi detrahi patiar de summa, quam a te accipere debeo (*per suppos. artic. 2*) accipio ergo 1 minus $\frac{1}{20}$ seu $1-\frac{1}{20}$. Sed quia ita tu quoque summam $\frac{1}{20}$ post annum demum cæduam, nunc accepisti; eo nomine & tu mihi post annum finitum debebis usuram (*per artic. 1.*) nempe vicesimam de $\frac{1}{20}$ hoc est $\frac{1}{400}$ Et cum negotium statim inter nos sit finiendum (*per artic. 3*) ea mihi nunc statim dabis præter summam præcedentem, quæ

erat

erat $1-\frac{1}{10}$: dabis ergo mihi nunc $1-\frac{1}{10}+\frac{1}{100}$ Verum ita mihi quoque istam summam $\frac{1}{100}$ post annum demum cæduam nunc statim anticipando dedisti, itaque eo nomine vicissim tibi post annum finitum debebo usuram (*per artic. 1*) nempe vicesimam de $\frac{1}{100}$, hoc est $\frac{1}{1000}$; & cum negotium statim inter nos sit finiendum (*art. 3*) hanc usuram anticipando statim nunc tibi solvam, salva rursus anticipationis consideratione. Solvere autem potero per compensationem (*artic. 2*) seu statim $\frac{1}{1000}$ a te detrahi patiar de summa præcedente, quam mihi solvere debes, quæ erat $1-\frac{1}{10}+\frac{1}{100}$ itaque solves mihi $1-\frac{1}{10}+\frac{1}{100}-\frac{1}{1000}$. Et sic in infinitum calculum continuatum fingendo semperque anticipando (ut negotium statim finiatur) nullius que anticipationis resegmentum negligendo (ut neuter lædatur) patet, te mihi solvere nunc debere summam seriei infinitæ prædictæ: cujus termini sunt progressionis Geometricæ subvigecuplæ, semper enim sequens est vigesima pars proxime antecedentis: Signa autem $+$ & $-$ alternantur.

V. LEMMA ex calculo infinitorum: *fractio* $\frac{v}{v+1}$ *est æqualis toti seriei infinitæ* $1-\frac{1}{v}+\frac{1}{vv}-\frac{1}{v^3}+\frac{1}{v^4}-\frac{1}{v^5}$ &c. *Demonstratio* simul & explicatio: posito v esse 20, ostendendum est fractionem $\frac{20}{21}$ idem esse quod infinita series $\frac{1}{1}-\frac{1}{20}+\frac{1}{400}-\frac{1}{8000}+\frac{1}{160000}-\frac{1}{3200000}+\frac{1}{64000000}$ &c. Nimirum fractio $\frac{20}{21}$ multiplicata per 21, dat 20, ut patet: & series ista infinita, multiplicata per 21 dat etiam 20, ut mox ostendetur. Jam quorum æquimultipla sunt æqualia, ea ipsamet sunt æqualia; æquatur ergo fractio & series. Superest tantum ut ostendatur seriem multiplicatam per 21 seu per $20+1$, dare 20. Operatio ita stabit:

Multiplicetur per $\left|\begin{array}{l} +1-\frac{1}{20}+\frac{1}{400}-\frac{1}{8000}+\frac{1}{160000}-\frac{1}{3200000}\ \&c. \\ 20 \end{array}\right.$

fiet $\odot$ $\quad 20-1+\frac{1}{20}-\frac{1}{400}+\frac{1}{8000}-\frac{1}{160000}\ \&c.$

Multiplicetur per $\left|\begin{array}{l} +1-\frac{1}{20}+\frac{1}{400}-\frac{1}{8000}+\frac{1}{160000}\ \&c. \\ 1 \end{array}\right.$

fiet $\mathrel{)}$ $\quad +1-\frac{1}{20}+\frac{1}{400}-\frac{1}{8000}+\frac{1}{160000}\ \&c.$

Ergo $\odot+\mathrel{)}$ æqual. $20+\ *\ +\ *\ +\ *\ +\ *$

VI. CONCLUSIO SECUNDA: *Valor præsens* unitatis seu *sortis post annum debitæ est* $\frac{v}{v+1}$ posito v esse numerum, quotam usu-

usurariam experimentem: seu si v sit 20, hoc est si usuræ sint quinque unces, sive vigesima fortis, erit $\frac{20}{21}$ seu *subsesquivigesupla fortis* sive $\frac{100}{105}$ de Sorte. Nam valor ille præsens est $=\frac{1}{20}+\frac{1}{400}-\frac{1}{8000}$ &c. (*per artic.* 4) id est (*per artic.* 3) $\frac{20}{21}$ seu $\frac{100}{105}$, quod probandum erat. Si vero usuræ essent 6 in 100, tunc numerus valeret $\frac{100}{6}$ seu $\frac{50}{3}$ & valor præsens sortis foret $\frac{100}{106}$ seu $\frac{50}{53}$ de Sorte. Eadem conclusio adhuc alia ratione inveniri & demonstrari potest, sine serie infinitorum, hoc modo: post annum debebis mihi summam S: quæritur quantum mihi solvi æquum sit nunc, ut res eodem recidat. Ponamus te mihi solvere nunc debere Y; itaque debet summa Y esse talis, ut anno finito usura cum sorte æquetur ei, quod mihi debes. Nam dedisti mihi Y nunc indebita, ergo debeo tibi Y, & anno finito, debebo tibi Y una cum vicesima ipsius Y seu $Y+\frac{1}{20}Y$, quæ si æquentur ipsi S, summæ quam post annum mihi debes, compensatione facta, debitum tunc ipso jure mutuo tolletur *per artic.* 2, & negotium inito inter nos finitum intelligi potest, quod desideratur *art.* 3. Quoniam ergo $Y+\frac{1}{20}Y=S$, erit $Y=\frac{S}{1+\frac{1}{20}}$ seu erit $Y=\frac{20}{21}$ de S, ut supra. Nam si $\frac{20}{21}$ mihi nunc indebite solvas, post annum inde usuras debebo $\frac{1}{21}$: ergo post annum in summa tibi debebo $\frac{20}{21}+\frac{1}{21}$ seu $\frac{21}{21}$ sive 1. Sed post annum tu quoque mihi debebis 1, unitatem nempe sive sortem. Ergo compensatione facta apparet, si pro 1 nunc debendis nunc solvas $\frac{20}{21}$ neutrum alteri quicquam amplius debiturum. Licet autem hæc via in hoc casu sit facilior priore, tamen priorem magni momenti esse judico, quia exemplum præbet Analyseos memorabilis, ab Algebra in eo diversæ, quod Algebra, ut in posteriore via patet, assumat quantitatem incognitam, tanquam cognitam & inde regredi ens, eamque cum cognitis æquans, valorem ejus quærit. Prior vero *Analysis per meras cognitas* procedens, valorem incognitum directe obtinet. Quod magnum usum habet, quando impossibile est obtineri valorem incognitæ rationalem per Algebram, tunc enim ea nihilominus hac via obtineri potest per seriem infinitam.

VII. CONCLUSIO TERTIA. *Iisdem positis valor præsens unitatis seu sortis post biennium debita est* $\frac{1}{1}-\frac{2}{v}+\frac{3}{v_2}-\frac{4}{v_3}+\frac{5}{v_4}-\frac{6}{v_5}$ &c. *Demonstratio:* debebis mihi 1, biennio abhinc: quod si mihi nunc solvas tanti-

1 anticipando, inde tibi debebo usuræ nomine post annum $\frac{1}{20}$ post biennium rursus $\frac{1}{20}$ in summa $\frac{2}{20}$; quæ si statim mihi detrahas *per articulum 3*, dabis mihi tantum $1-\frac{2}{20}$: Sed cuia hoc modo tu quoque priora $\frac{1}{20}$ uno anno, nempe *primo*, & posteriora $\frac{1}{20}$ duobus, nempe *primo & secundo*, anticipasti; ideo usuram mihi post annum primum tam ob priora quam ob posteriora $\frac{1}{20}$ primo anno anticipata debebis, nempe bis $\frac{1}{400}$, seu $\frac{2}{400}$; & post annum secundum ob posteriora $\frac{1}{20}$ secundo anno anticipata debebis mihi $\frac{1}{400}$. Ergo summa $\frac{3}{400}$, quæ si rursus anticipando mihi solvas, dabis mihi $\frac{1}{1}-\frac{3}{20}+\frac{1}{400}$. Sed jam ita ego rursus priora $\frac{1}{400}$ anticipavi anno primo, posteriora vero $\frac{1}{400}$ anno primo & secundo; unde usuram tibi debebo, quæ anno primo finito de prioribus $\frac{2}{400}$ erit $\frac{2}{8000}$; de posterioribus $\frac{1}{400}$ erit $\frac{1}{8000}$, summa $\frac{3}{8000}$; anno secundo vero de posterioribus $\frac{1}{400}$ usura erit $\frac{1}{8000}$; & summa usurarum anni primi & secundi $\frac{3}{8000}$, quam si rursus anticipando mihi detrahi patiar, dabis mihi tantum $1-\frac{2}{20}+\frac{3}{400}-\frac{3}{8000}$. Sed jam ita tu priora $\frac{1}{8000}$ rursus anticipasti anno primo, posteriora $\frac{1}{8000}$ anno primo & secundo, unde usuram mihi debebis, quæ anno primo de prioribus $\frac{2}{8000}$ est $\frac{2}{160000}$, de posterioribus $\frac{1}{8000}$ est $\frac{1}{160000}$, summa $\frac{3}{160000}$; anno secundo de posterioribus $\frac{1}{8000}$ est rursus $\frac{1}{160000}$, summaque usurarum anni primi & secundi $\frac{5}{160000}$; quam si mihi statim solvas anticipando (salvo in continuatione calculi anticipationis resegmento) dabis mihi $1-\frac{2}{20}+\frac{3}{400}-\frac{3}{8000}+\frac{5}{160000}$: & ita calculum in infinitum continuatum fingendo, prodibit series infinita quam posuimus.

VIII. CONCLUSIO QUARTA. *Pro triennio iisdem manentibus Nominatoribus & signis, Numeratores erunt Numeri Triangulares, pro quadriennio Pyramidales, pro quinquennio triangulo-triangulares, & ita porro* pro pluribus annis, altiores numeri, quos figuratos vocant, ego ob usum combinatorios appellare soleo, in infinitum. Hoc cum ad eundem modum ostendi possit, quo præcedentem conclusionem demonstravimus, prolixe hic deducere supersedeo. Numeri ipsi tales sunt:

Numeri figurati seu Combinatorii.	Valor præsens sortis debitæ.								post ann.
Unit.	1. 1. 1. 1. 1.	$\frac{1}{1}+\frac{1}{20}+\frac{1}{400}+\frac{1}{8000}+\frac{1}{160000}$ &c.	=	$\frac{20}{21}$					1
Natural.	1. 2. 3. 4. 5.	$\frac{1}{1}+\frac{2}{20}+\frac{1}{400}+\frac{3}{8000}+\frac{1}{160000}$ &c.	=	$\frac{400}{441}$					2
Triang.	1. 3. 6. 10. 15.	$\frac{1}{1}+\frac{3}{20}+\frac{6}{400}+\frac{10}{8000}+\frac{15}{160000}$ &c.	=	$\frac{8000}{9261}$					3
Pyramid.	1. 4. 10. 20. 35.	$\frac{1}{1}+\frac{4}{20}+\frac{10}{400}+\frac{20}{8000}+\frac{35}{160000}$ &c.	=	$\frac{160000}{194481}$					4
Triang. triang.	1. 5. 15. 35. 70. &c.	$\frac{1}{1}+\frac{5}{20}+\frac{15}{400}+\frac{35}{8000}+\frac{70}{160000}$ &c.	=	$\frac{3200000}{4084101}$ &c.					5 &c.

IX. Ad inveniendos adhuc aliter hos valores præsentes, assumo LEMMA: *valor præsens valoris futuri, est valor præsens ipsius summæ.* Exempli causa, sub finem anni 1685 seu post biennium debebis mihi aliquam summam: Vellem nosse quis nunc sub finem anni 1683 ejus summæ sit valor præsens; itaque primum quæro, quis summæ post biennium, seu sub finem anni 1685 cæduæ futurus sit valor post annum, seu sub finem anni 1684, is utique erit $\frac{20}{21}$ de summa (*per art. 6*) quia unus tantum annus intercedit. Itaque si post biennium mihi debeas unitatem, perinde est, quantum ad hunc calculum, ac si post annum mihi debeas $\frac{20}{21}$. Sed rursus, si post annum mihi debes $\frac{20}{21}$ perinde est (iterum *per art. 6*) ac si mihi deberes nunc $\frac{20}{21}$ de illa summa, seu $\frac{20}{21}$ de $\frac{20}{21}$ hoc est $\frac{400}{441}$. Itaque si post biennium mihi debes aliquid, valor præsens erit $\frac{400}{441}$ de illo, seu quadratum numeri $\frac{20}{21}$, acceptum de illa summa tanquam unitate. Et eodem modo apparebit, valorem præsentem unitatis post triennium debitæ, esse $\frac{20}{21}$ de $\frac{20}{21}$ de $\frac{20}{21}$, seu cubum numeri $\frac{20}{21}$, id est $\frac{8000}{9261}$. Et ita porro. Atq; hoc Lemma nihil aliud est, quam subsumtio illius axiomatis notissimi, quod æqualia uni tertio sunt æqualia inter se; nam $\frac{400}{441}$ nunc æquantur ipsis $\frac{20}{21}$ cæduis post annum, & hæc æquantur unitati cæduæ post biennium. Ergo & hæc unitas æquatur ipsis $\frac{400}{441}$ cæduis nunc. Inde jam patet

X. CONCLUSIO QUINTA. Si numerus quotæ usuriæ sit v (id est 20, *positis usuris quincuncibus* seu vigesima sortis) *erit valor præsens summæ post aliquot annos cæduæ, ad ipsam summam, in ratione* v ad v † 1 (id est *subsesquivigecupla*, seu 20 ad 21) *replicata secundum numerum annorum.* Hoc est summæ cæduæ post annum unum valor præsens erit simpliciter $\frac{20}{21}$ de summa, seu erit ad summam in ratione

20 ad 21. At valor præſens, ſummæ cæduæ poſt duos annos erit $\frac{20}{21}$ de $\frac{20}{21}$ ſeu $\frac{400}{441}$ ſummæ: ſeu erit ad ſummam in ratione duplicata 20 ad 21 ſeu ut 400 (quadratum de 20) ad 441 (quadratum de 21.) Et valor præſens ſummæ cæduæ poſt triennium erit $\frac{20}{21}$ de $\frac{20}{21}$ de $\frac{20}{21}$ ſummæ, ſeu $\frac{8000}{9261}$ ſummæ: ſeu erit ad ſummam in ratione triplicata 20 ad 21, ſeu ut tertia dignitas ſive cubus de 20, ad cubum de 21; & ita porro. Idque generaliter exprimendo, ſit præſens valor Y, ſumma debita S, numerus annorum a, & quotæ uſurariæ numerus v, quibus poſitis, erit $Z = S, \text{multipl. per } \left[\frac{v}{v+1}\right]^{a}$. Sit v 20, & S, unitas, erit unitatis cæduæ

poſt annos	unum,	duos,	tres,	quatuor,	quinque,	&c.
valor præſens,	$\frac{20}{21}$	$\frac{400}{441}$	$\frac{8000}{9261}$	$\frac{160000}{194481}$	$\frac{3200000}{4084101}$	&c.
id eſt,	latus.	quadratum.	cubus.	biquadratum.	ſurdeſolidum.	&c.

qui numeri vel multiplicando, vel tantum eorum logarithmos addendo, continuari poterunt ad quotlibet annos: utileque erit fractiones decimaliter enuntiari. De uſu horum in quibusdam juris quæſtionibus apud egregios autores non ſatis recte definitis, æſtimandisque reditibus ad vitam, (ubi *Intereſſurio compoſito* locus eſt) alio ſchediſmate diſſeremus.

Cæterum ut Meditationis hujus uſus ſit in promptu: operæ pretium, ipſo præſertim Nobiliſſimo Autore invitante, facturos nos rati ſumus, conſtructa Tabella, in qua (poſita ſorte 100000, & uſura vicenaria) quantum pro quoque annorum (ad quadraginta usque) numero, deducto legitimo intereſſurio relinquatur, ſive quanti ſors anticipato æſtimanda veniat, exponeretur; unde porro, beneficio regulæ proportionis, quamcunque ſortem datam, ad quantamcunque anticipationem æſtimare planum foret: Cum alias calculus futurus eſſet longe impediti ſſimus; iis ſaltim qui Logarithmorum deſtituuntur præſidio.

Tabu-

Tabula sortium anticipato accipiendarum, posito debito

100000.

Ann.	Sors anticip.	Ann.	Sors anticip.
1	0. 95238	11	0. 58468
2	0. 90703	12	0. 55684
3	0. 86384	13	0. 53032
4	0. 82270	14	0. 50507
5	0. 78353	15	0. 48102
6	0. 74622	16	0. 45811
7	0. 71068	17	0. 43630
8	0. 67684	18	0. 41552
9	0. 64461	19	0. 39573
10	0. 61391	20	0. 37689

Ann.	Sors anticip.	Ann.	Sors anticip.
21	0. 35894	31	0. 22036
22	0. 34185	32	0. 20987
23	0. 32557	33	0. 19987
24	0. 31007	34	0. 19035
25	0. 29530	35	0. 18129
26	0. 28124	36	0. 17265
27	0. 26785	37	0. 16444
28	0. 25509	38	0. 15661
29	0. 24294	39	0. 14915
30	0. 23138	40	0. 14205

Metho-

METHODUS

Datæ figuræ, rectis lineis & Curva Geometrica terminatæ, aut Quadraturam, aut impossibilitatem ejusdem Quadraturæ determinandi, Auctore D. T.

HÆc ut breviter & perspicue simul rerum harum peritis aperiam, notandum.

I. Sit in figura præsenti spatium A C B, Curva Geometrica A F B, axi A C & ordinatim applicata B C terminatum; Intelligatur jam spatium A C B æquale esse rectangulo A E D C, item spatium A G F, æquale rectangulo A I H G; si jam idem concipiatur ubique, proveniet hinc Curva seu linea aliqua A H D. Hæc vero vel erit Curva Geometrica, vel Mechanica: si sit Curva Geometrica, spatium A C B, tam quoad totum, quam omnes suas partes, erit Geometrice quadrabile, atque ideo Quadraturam talem possibilem voco; Si vero sit Curva aliqua Mechanica, spatium A C B tam quoad totum, quam omnes suas partes, erit Mechanice quadrabile, seu quadratura hujus Geometrice non poterit inveniri: Atque ideo Quadraturam talem impossibilem voco.



II. Fiant jam sequentes æquations

$by + ca = o$ $\quad byy + cay + eaa = o$ $\quad by^3 + ca'yy + eaay + ha^3 = o$:
$+ dx$ $\quad + dxy + fax$ $\quad + dxyy + faxy + iaax$
$+ gxx$ $\quad + gxxy + kaxx$
$+ lx^4$

Atque sic porro quousque placet.

De his vero æquationibus notandum:

Quod omnes Curvas Geometricas AHD, earumque omnes relationes posſibiles ad lineam rectam exhibeant:

Quod litera x repræſentet omnes abſciſſas AC;

y vero omnes ordinatim applicatas CD.

b,c,d,e,f,g, &c. deſignant quantitates cognitas his terminis præfixas, quibuscunque ſignis ſint affectæ.

Quantitas vero a, loco unitatis eſt, ad efficiendas dimenſiones æquales, in omnibus terminis harum æquationum.

Quo autem abſque prolixo calculo explicem ſequentia Theoremata, quæ datæ curvæ Geometricæ quadraturam, aut ejus impoſſibilitatem demonſtrant, ſit porro

$c = ca + dx$ $\quad i = ca + 2dx$

$d = eaa + fax + gxx$ item $k = 2eaa + 3fax + 4gxx$

$e = ha^3 + iaax + kaxx + lx^3$ $\quad l = 3ha^3 + 4iaax + 5kaxx + 6lx^3$

III. Sint ulterius Curvarum Geometricarum AFB omnes abſciſſæ AC æquales x, ordinatim vero applicatæ BC æquales z, tunc ponatur

1 $B = bz + i$ & erit primum Theorema, $B = o$

2 $\begin{cases} B = 2bz + i \\ C = cz + k \end{cases}$ & erit ſecundum Theorema, $BBd - BCc + CCb = o$

3 $\begin{cases} B = 3bz + i \\ C = 2cz + k \\ D = dz + l \end{cases}$ & erit tertium Theorema,

$B^3ee - BBCde + BCCce - C^3be + CCDbd - CDDbc + D^3bb = o$
$\quad - 2BBDee + 3BCDbe - 2BDDbd$
$\quad + BBDdd - BCDcd + BDDcc.$

Hæc ſuo loco ulterius extendam, quod jam ob nimiam prolixitatem evitandam omittere cogor.

IV. Uſus jam horum Theorematum duplex eſt. Primo hinc expedite admodum, infinitæ imo omnes Quadraturæ posſibiles Curvarum Geometricarum determinantur. Aſſumpta enim quacunque Curva Geometrica AHD, invenitur ſtatim ope Theorematum modo exhibitorum quadratura ſpatii ACB, Curva Geometrica terminati: cumque æquationes annotatione ſecunda omnes Curvas earumque omnes posſibiles relationes ad lineam rectam exhibeant

beant; etiam hisce Theorematibus omnia possibilia spatia, Curva Geometrica terminata, quadrantur; quod unico exemplo illustrasse sufficiat. Sit Curva AHD Circulus, cujus natura hac æquatione explicatur $yy=2ax-xx$, seu $yy-2ax+xx=0$: jam in æquatione, quæ ejusdem gradus, annotatione secunda

$$\begin{array}{rl} byy+cay+caa=0 & \text{erit } b=1,\\ +dxy+fax & c,d,e,=0\\ +gxx & f=-2\\ & g=1 \end{array}$$

Unde in secundo Theoremate $BBd-BCc+CCb=0$ (quod eligendum, quia assumpta æquatio duarum dimensionum) erit

$$\begin{array}{lll} c=0 & i=0 & B=2x\\ d=-2ax+xx & k=-6ax+4xx & C=-6ax+4xx \end{array}$$

Quæ omnia si restituantur, obtinetur $zz=\frac{9aax-12axx+4x^3}{2a-x}$ curvæ AFB explicans naturam, cujus omnia spatia ope Circuli quadrantur; spatium siquidem AGF semper æquatur rectangulo AIHG. Eadem ratione alia ac alia assumpta Curva Geometrica AHD, alia ac alia Curva Geometrica AFB invenitur, & quadrabilis; unde sic quidem patet, qua ratione hæc Theoremata omnes quadraturas possibiles includant.

V. Usus alter horum Theorematum, non minus illustris, hic est, ut data Curva Geometrica, non alterius cujusdam quadratura inveniatur, prout modo explicatum, sed ipsius datæ seu propositæ Curvæ, aut Quadratura exhibeatur, aut ejusdem impossibilitas demonstretur; quod duobus exemplis declarabimus: sit etenim I. datæ Curvæ AFB natura hac æquatione expressa $zz=\frac{9aax-12axx+4x^3}{2a-x}$ Quæritur jam, num hujus Quadratura detur nec ne? & quidem ex annotatione quarta constat, ejus Quadraturam dari: verum supponatur hoc nobis nunc incognitum esse, & notetur Processus quæsitum determinandi.

1. Quia ordinatim applicata z ad duas dimensiones ascendit, secundum Theorema eligendum (si tres dimensiones habuisset, tertium Theorema fuisset assumendum, & sic porro) Theorema autem illud sequens est

$BBd - BCc + CCb = o$

2. Restituantur in hoc Theoremate quantitates B & C item b, c & d, & erit

$$bzz + caz + caa - dde + ceg + bff - cdf - 4beg \text{ multiplicatū in } aaxx + 2dxz + 2fax + 4gxx = o$$

$$\frac{4beaa + 4bfax + 4bgxx - ccaa - 2cdax - ddxx}{}$$

3. Fiat jam comparatio omnium horum terminorum Theorematis hujus, cum omnibus terminis (ubi x eandem compositionem utrobique obtinet) æquationis quæ datæ Curvæ naturam explicat, & hinc orientur aliquot æquationes novæ, ope quarum invenientur quantitates b, c, d, e, f & c. & invenitur $hicb = \frac{1}{4}cde = o$; $f = -\frac{1}{2}$; $g = \frac{1}{4}$ quæ omnia cum nihil absurdi involvant, Curvæ datæ quadratura datur (si aliquid impossibile includerent, aut si omnes æquales essent nihilo, eadem quadratura impossibilis foret.).

4. Si jam ex æquationibus annotationis secundæ assumatur ea, quæ duas dimensiones obtinet, prout talis est

$$byy + cay + caa = o \text{ (quia datæ Curvæ quantitas } z \text{ quoque ad duas} + dxy + fax + gxx \text{ dimensiones ascendit.)}$$

& in hac restituantur modo inventæ quantitates b, c, d, e, f, erit $\frac{yy}{4} - ax + \frac{xx}{2} = o$; seu $yy = 2ax - xx$, proprietas Curvæ AHD cujus ope data Curva quadratur. Adeoque determinatum jam, quod Curva proposita quadraturam admittat, & cui spatio noto sit æqualis. Quod erat faciendum.

Secundi exempli loco sit Curva data Geometrica AFB Circulus, cujus proprietas $zz = 2ax - xx$. Quæstio jam est, num quadratura ejus possibilis nec ne? ut hoc detegatur, quia quantitas z ad duas dimensiones ascendit, eodem Theoremate hic, ac in antecedenti exemplo, utendum: sique jam omnes termini datæ æquationis (quæ Curvæ datæ naturam exprimit) cum omnibus terminis Theorematis illius, juxta notas leges comparationis, inter se adæquentur, invenientur b, c, d, e, f æquales o, seu nihilo. Et per consequens nulla Curva Geometrica AHD datur, ope cujus Circulus quadretur: ac proinde Circuli quadratura eo sensu, ut vulgo desideratur a Mathematicis, impossibilis est. Idem prorsus invenietur, si hyperbola assumatur

natur quadranda, ejusdem nimirum quadraturam non possibilem esse. Ex his vero abunde constabit, qua ratione ope similium Theorematum, quorum quædam annotatione quarta tradidi, datæ Figuræ Curva Geometrica terminatæ, aut quadratura possit exhiberi, aut ejusdem impossibilitas demonstrari (cum idem processus circa omnes Curvas Geometricas institui possit, eo modo ac explicavi in hisce exemplis) quod meum propositum erat hac vice aperire. Notandum vero

VI. Quod quæ modo ostendi, nullatenus contraria sint Quadraturæ circuli & hyperbolæ, quam nobis exhibuit Actorum horum Anno primo, Mense Febr. Ingeniosissimus *Leibnitius:* dum etenim spatii alicujus Geometrica non datur Quadratura, tunc ultimum remedium est, ut eadem per seriem numerorum, in infinitum decrescentium exprimatur. Nec mihi persuadeo simpliciorem posse inveniri arithmeticam expressionem, quadraturæ circuli aut hyperbolæ illa, quam nobis hic Vir, qui credo, paucos æquales in hisce & omni studiorum genere habet, publicavit. Quoad Curvas Mechanicas A H D vero, & quæ natura sua simplicissimæ videntur, ut horum ope circulus & hyperbola, imo omnes Curvæ, quæ Geometricam quadraturam non admittunt, possint Mechanice quadrari, illas determinandi suo tempore exhibebo Methodum: ubi constabit, quantam affinitatem habeant cum Curvis Geometricis, cum semper spatia harum æqualia sint spatio Curva Geometrica terminato. Verum hæc alio tempori reservantur, ubi ad sufficientiam (quam prævideo hic quoque desiderari posse a perspicacioribus ingeniis) explicata erunt. Jam vero hoc invento me multo majus quid præstitisse, quam si ipsam circuli aut hyperbolæ quadraturam Geometricam exhibuissem, absque dubio rerum harum periti & æqui Judices æstimabunt. Etenim si hæ quadraturæ possibiles essent, ea ratione ac desideratur ordinarie a Mathematicis, eadem methodo easdem exhibuissem, cum hinc omnes quadraturæ possibiles determinentur: Cum vero id non sit possibile, impossibilitatem quoque earundem demonstravi. Sed idem non solum de hyperbola aut circulo, sed circa omnes Curvas Geometricas quæ infinitæ sunt numero, ope hujus inventi præstatur; quod qui bene considerabit, judicabit utique, nos hoc seculo Antiquorum inventa in Geometricis longissime prætervexisse, imo & ipsa Recentiorum inventa, hisce incredibili ratione aucta esse.

PREJUGEZ LEGITIMES CONTRE LES Calviniſtes. Troiſieme edition, augmentée de deux additions conſiderables, contre M. Claude dans ſa defenſe de la Reformation.

id eſt,

Præjudicia legitima contra Calvinianos. Editio tertia, aucta duabus additionibus notabilibus, adverſus defenſionem Reformationis Joh. Claudii.

Juxta Exemplar Pariſienſe, Bruxellis 1638, in 12. apud E. H. Frix.

ANni ſunt plus minus duodecim, cum liber hic editus fuit, magno cum Romano-Catholicorum applauſu. Autor, licet nomen in titulo omiſerit, vix alius eſſe poteſt, quam *Antonius Arnaldus*, Doctor Sorbonicus, ob defenſam Janſenii cauſam celebris, idemque, qui adverſus Claudium volumen ingens, in materia Euchariſtica a ſe compoſitum, Pontifici, non diſſimulato nomine ſuo, anno 1668 dedicavit. Eundem enim iſtius operis, & horum Præjudiciorum autorem agnoſcunt Epiſcopi Condomenſis & Gratiopolitanus in approbatione Præjudiciis præfixa. Refutavit autem hæc, prolixo ſatis ſcripto, quod hoc ipſo anno recuſum mox referemus, modo dictus *Claudius*, Theologus & Eccleſiaſtes Carentonenſis, diuque ſine reſponſo dimiſſus eſt. Id ne Reformati deſperationi cauſæ tribuerent, in repetita hac Præjudiciorum editione Typographus introducitur, autorem excuſans, quod replicare ſuperſederit: tum quod dignum reſponſione Claudii librum non æſtimaret; tum quod aliis diſtractus eſſet laboribus. Attamen additiones duas ſubjunxit, quibus Claudii defenſionem, dum nova ejus editio ſub prælo eſſet, prævertit, & quædam ex illa iteratis argumentis aggreſſus eſt. Occaſio ex novis hi additionibus nata nobis fuit, utrumque librum in Acta hæc referendi, accedente præſertim magnorum virorum hortatu, qui utriusque autoris eruditionem, acumen & diligentiam animadvertentes, materiam de Juſtitia reformationis in negotio religionis ſuperiori ſeculo

seculo in Germania & Gallia susceptæ, plenissime & fere decretorie tractatam esse judicarunt.

Enucleaturis autem ea, quæ pro & contra scripta sunt, non potuit non in mentem venire, quod eodem reformationis tempore *Georgius Cassander* ad Art. VII Aug. Confessionis, qui est de Ecclesia, breviter & vere notavit: *Ex hoc articulo*, inquiens, *omnis hæc distractio, quæ hodie est in Rep. Christiana, originem ducit.* Ita enim cordati & accuratissimi quique statuunt, quicquid inter Romano-Catholicos & Protestantes, per sesquiseculum, & quod excedit, disputatum est, hærere & sisti in quæstione de autoritate Ecclesiæ, sive Pontificia. Mirandum itaque minime est, si illarum partium scriptores id maxime & lubentissime agunt, ut evitata de articulis fidei disceptatione, in qua Protestantes ad sacrarum literarum testimonia provocant, autoritatem opponant, quam jure divino niti dicunt, omniumque controversiarum finem & decisionem dare. Pertinet huc institutum autoris Præjudiciorum, quod summatim in præfatione exposuit. Quæstus enim primum de humani ingenii, etiam in acutissimis & doctissimis, imbecillitate, & dissentiendi, aut præconceptis opinionibus insistendi libidine, tum summa in rebus, ad religionem pertinentibus, difficultate, earumque copia & amplitudine, hominum vero circa infinita pene alia negotia occupatione; autoritatem tanquam portum & arcem veritatis & salutis ostendit, eamque in Romano-Catholica Ecclesia eminenter conspici, multis rationibus adstruere vult. Hac fieri dicit, ut ex S. Scripturæ & Traditionum norma scrupuli omnes amoveantur, ejusque sententiæ tum simplices, tum docti acquiescere, & in unione Ecclesiastica contineri queant. Errare vero omnes, qui huic se non submittant, sed suo examini capita religionis subjiciant. Licet enim non difficile putet, in singulis articulis errores eorum confutare, idque compositis a se circa duas magni momenti quæstiones tractatibus, nempe de *Justificatione* & de *Transsubstantiatione* præstitisse confidat; utilius tamen & facilius esse statuit, generalia quædam præjudicia, ab externis Reformatorum defectibus desumpta proponere, quorum intuitu, absque discussione articulorum controversorum, rejici secta Calviniana possit & debeat, atque sic labore disputandi supersederi. Nolle tamen se nunc directo infallibilitatem Ecclesiæ probare; id enim alios præstitisse; sed natu-

rali

rali quodam & ſenſui communi congruo modo oſtendere, nulli Catholico, neque nunc, neque olim, fas fuiſſe, aut eſſe, ab Eccleſia ſecedere, & doctores ſequi, de quibus ſperari non poſſit, quod ad veritatem docendam a Deo ſint conſtituti. Sequi inde, cum tale non ſit Miniſterium, nec cœtus Reformatorum, deferendum eum eſſe omnibus, qui ſalvi eſſe velint. Deficere autem ei notas externas veræ Eccleſiæ, ut adeo opus non ſit, de veritate interna disquirere. At veræ Eccleſiæ externa teſtimonia adeſſe: ita enim Deum adminiculo miraculorum & ſanctitatis primitivam Eccleſiam ſpectabilem feciſſe, eandemque gratiam, ſi non omni, aliquo tamen modo, Romanæ conſervaſſe. Satius itaque fore, etſi intrinſeca veritas capitum, quæ creduntur, non minus probari poſſit, externa argumenta præmittere, & evitare dogmatum diſcuſſionem, quæ pauciſſimorum captui conveniat. Quod ſi gratificandum ſit Reformatis, & ad disceptationem de articulis controverſis deſcendendum, utile tamen eſſe, urgeri & premi eos his præjudiciis, ut ad ea removenda, & dogmata ſua adſtruenda, non niſi apertiſſimis argumentis pugnare poſſint. Catholicos autem his præjudiciis facilime in fidei ſuæ profeſſione firmari, etſi non diſcutiantur dogmata. His ſubjungit excuſationem, quod de autoribus reformationis, zelo religionis & indignatione adverſus ſchiſma, quod tanto cum Eccleſiæ damno fecerint, commotus, durius ſoquatur; licet in Reformatos, qui nunc vivunt, utpote in ſchiſmate natos & educatos, mitiori ſit animo, eorumque ſalutem animitus cupiat.

Tractatus ipſe capitibus 21 abſolvitur. *Cap. I* obteſtatur Reformatos, ut ſecundum ſua principia diligentiſſime ſinguli in examen, omni præoccupatione ſepoſita, vocent cauſas & rationes, propter quas ab Eccleſia Romana ſeceſſerint. Ut autem id recte faciant, *cap. II* mente concipere eos vult ſtatum, qui fuit ſuperiori ſeculo, cum tota eccleſia occidentalis, exceptis Valdenſium aut Huſſitarum reliquiis, ſub obedientia Romanæ Eccleſiæ quieſceret, ſolus vero Lutherus & Zvinglius nova dogmata proponerent. Conſiderare igitur jubet, an auſcultandos eos putaſſent, Lutherum maxime, qui ex diaboli inſtructione ad Miſſæ ſolitariæ abrogationem permotum ſe eſſe diceret. Externa autem omnia, quæ primi Reformatorum Doctores habuerint, ita fuiſſe comparata *cap. III* innuit, ut nihil boni

& ad

& ad ædificationem profecturi promitterent, cum nulla sanctitate ornati essent, miracula non ederent, imo impuritate vitæ, & castitatis atque virginitatis contemtu, scandalosi essent, ad rebellionem etiam homines concitarent; quod Lutherus fecerit, cædem Pontificis & Cardinalium suadens. Inquiri itaque *(cap. IV)* in eorum missionem seu vocationem debuisse, obligatosque fuisse, ut de ea fidem facerent. At *(cap. V)* de extraordinaria vocatione gloriari non potuisse, etsi id Beza statuerit, eandemque jactet Confessio Gallicana Art. XXXI, & Synodus Gapensis Anno 1603: nam præterquam, quod a Deo non promissa sit extraordinaria missio, præcipue obstare huic asserto certamina Lutheri & Zuinglii, ex quibus sequatur, alterutrum a Deo non fuisse vocatum. *Cap. VI* etiam ordinariam vocationem illis abjudicat, eum caruerint ordine presbyterii, aut eum apostasia amiserint, vel nulliter a plebe acceperint. Itaque *(cap. VII)* notorie schismatis reos esse; tanto magis, quia non contenti secessione negativa, (quæ concedi potuisse videatur) iis cultus publici partibus, quibus conscientiam lædi putabant, abstinuerint, sed illicito prorsus modo separatos cœtus & nova ministeria instituerint. Atqui, ut *cap. VIII* probare nititur, nunquam fas esse ab Ecclesia visibili & Catholica, nec ob mores nec ob dogmata secedere; quod evincere vult per tradita ab Augustino contra *Donatistas*. Ergo sufficere, quod constet, ab Ecclesia separasse se Reformatos, nec ullam disputationem necessariam esse, juste ne an injuste communionem ruperint. *Cap. IX* ulterius contendit, nulli Ecclesiæ nisi Romanæ characterem universalitatis & perpetuitatis competere; itaque nec Reformatæ, nec veteribus illis hæreticorum, quibus succedere voluerit, cœtibus. Summæ proinde temeritatis accusat *Cap. X* Lutherum, Zvinglium, Calvinum, qui schisma fecerint, religionis judicium Magistratibus & plebi detulerint, & ministros ex laicis eligi permiserint, ut Lutetiæ factum ait. Ob hanc ergo temeritatem statim rejiciendos, nulloque modo audiendos fuisse. Idem eos mereri *(cap. XI)* ob calumnias, quibus Romanam Ecclesiam oneraverint, afflictis ei dogmatibus & erroribus, quos nunquam habuerint, aut motis frivole controversiis, quas jam ipsi agnoscant, non de re sed verbis fuisse; quod in articulo de justificatione nuper fassum esse scribit ex Reformatis *Ludovicum Blancum*, *Professorem Sedanensem*, cujus scriptorum hoc anno recusorum supra

pag. 420 ſqq. meminimus. Aliam (*cap. XII*) rejiciendi eos cauſam eſſe, ab ingenio & conſilio politico, mereque humano; quia non alio reſpectu cum Lutheranis contra Catholicos ſe conjungant, & apud hos Lutherum pro vero & divino Doctore habeant, etſi ab illo & ſectatoribus ejus vehementer diſſentiant, quod ex Hoſpiniani libris potiſſimum probare vult. *Cap. XIII* dogmata quædam enormia, ſtatum Chriſtianorum ſubruentia, v. g. de baptiſmi licita omiſſione, & de peccatis, electorum ſaluti non obſtantibus, a Reformatis proferri, ob quæ ſtatim ſint repudiandi, nec ulla auſcultatione circa alios articulos digni; inprimis *cap. XIV* ridiculam & impoſſibilem eſſe ſcribit viam & methodum, quam Reformati ad inſtruendos in veritate homines, ex ſolis Scripturis, rejecta autoritate Eccleſiæ, proponant. Refutat *cap. XV*, quæ Claudius in reſponſione ad tractatum Arnaldi de perpetuitate Eccleſiæ pro perſpicuitate ſacrarum literarum attulerat. Tum *cap. XVI* diſſenſiones in explicandis locis Scripturæ, qui pro clariſſimis habentur, inter Lutherum & Reformatos allegat, & quomodo Calvinus etiam agnoſcentibus ſociis, in interpretationibus enormiter erraverit, utque patres Eccleſiæ, quos Reformati non improbant, longe aliter Scripturam explicent: unde efficere vult, claram & perſpicuam non eſſe Scripturam, tot interpretamentis obnoxiam. *Cap. XVII* ſtatuit, Claudium ex hypotheſi ſectæ, de baptiſmi ſui validitate conſidere non poſſe, indeque ſequi principia illa falſa, & Reformatos non eſſe Eccleſiam Chriſti. Ait enim baptismum infantum & aſperſionem immerſioni ſubrogatam, ab Eccleſiæ traditione dependere, nec ex Scriptura probari poſſe: repudiata ergo autoritate Eccleſiæ, fidei Reformatæ principium in hoc articulo, atque ita in tota religione nullum eſſe. *Cap. XVIII* Calvinianos ipſos methodi ſuæ legem non ſequi, neque ex Scripturis fidem ſuam ſtabilire, aut contradicentes refutare poſſe tradit, ſed ad Doctores plerumque provocare, injuſte itaque exigere ab aliis, quod ipſi non præſtent. Talibus (*cap. XIX*) tantisque præjudiciis oneratos minime omnium habendos fuiſſe pro Reformatoribus, qui a Deo deſtinati eſſent, ad Eccleſiam in articulo ſuæ Euchariſtiæ informandam. Idque *cap. XX* pluribus, ex diſcrepantibus de hoc articulo opinionibus Proteſtantium deducit. Et denique *cap. XXI* ablegat lectores ad librum Arnaldi, i. e. ſuum, quem ſupra jam nominavimus, *de Perpetuitate*, ubi præjudicia

dicia alia demonſtraverit, ob quæ omnem diſputationem de dogmatibus cum Reformatis recuſare jus fasque ſit. Subjungit nihilominus, etſi hæc ita ſint, nolle ſe tamen quidquam omittere, quod ad converſionem errantium facere poſſit, & aliis libris de articulis fidei acturum, ne Catholicis argumenta veritatem probandi deeſſe videantur.

Iſta ſunt libri de Præjudiciis capita, quorum contenta pluribus recenſere nimis longum & præter propoſitum noſtrum foret. Sed Autori ea fuit induſtria, ut cum tertia editio Claudianæ defenſionis ſub prælo eſſet, eodem tempore ſuus quoque hic liber recuderetur, cui additiones quasdam, ad refutandum in aliquibus locis Claudium ſubjecit. Verum de his commodior referendi locus erit, cum de Claudii libro prius dixerimus.

LA DEFENSE DE LA REFORMATION contre le Livre intitulé: Prejugez legitimes contre les Calviniſtes; *par Jean Claude, Miniſtre de l' Evangile en l' Eglise de Paris qui ſe recueille a Charenton.*

id eſt,

Joh. Claudii, Miniſtri Evangelici Eccleſiæ Pariſienſis, quæ Carentoni congregatur, DefenſioReformationis adverſus librum, cui Titulus: *Præjudicia legitima contra Calvinianos.* Editio tertia, purgata a plurimis mendis ſecundæ editionis.

Amſtelodami 1683, in 12. apud Tim. ten Hoorn.

SIſtimus Præjudiciorum autori Antagoniſtam, ut promiſimus. Diſtribuit vero is opus ſuum in partes IV. *In prima, cap. I,* inverſo argumento adverſarii, de dogmatum veritate prius quæri, & ab hac ad Eccleſiæ infallibilitatem concludi debere, non vice verſa, generaliter monet. Dein quatuor deducenda ſibi præfinit: (1) quod jus habuerint majores Reformatorum examinandi ſtatum religionis

& Eccleſiæ. (2) quod reformationem juſte inſtituerint. (3) quod fas illis fuerit diſcedere a communione Romanæ Eccleſiæ. (4) quod licuerit, cœtus & miniſterium ſibi conſtituere. Sed antequam hæc aggrediatur, ſibi quoque permitti debere contendit, ut prædicia prædiciis opponat, & ex Scriptoribus Romano-Catholicis referat, quis fuerit religionis & Eccleſiæ ſtatus, quo tempore reformatio fieri cœpta eſt. Itaque *cap. II & III* plurima & præcipua recenſet, quæ vel ad regimen Eccleſiæ, vel ad doctrinam, vel ad mores pertinent, unde corruptionis indicia facile cognoſci a Reformatoribus potuerint; quæque juſtam examinandi cauſam dederint. Collegiſſe enim ex illis *(cap. IV)* non impoſſibilem eſſe Eccleſiæ corruptionem; accedente exemplo Iſraeliticæ ſub idololatris, & Chriſtianæ ſub Arianis, quo tempore etiam Pontifices & concilia manifeſto erraverint. *Cap. V* Infallibilitatis prætenſæ dogma acrius examinat, conſenſu univerſali ſtabilitum negat, & Eccleſiæ Gallicanæ contradictione infringi ſtatuit. Ad dicta Scripturæ, quibus infallibilitas & viſibilitas atque eminentia Eccleſiæ adſtrui putatur, reſpondet; neque pro ea quidquam quod jactatur, probari poſſe exiſtimat, ſed id modo tradi, quod conſervanda ſit vera Eccleſia, quæ ex fidelibus & electis eorumque interna unione conſiſtat, & inter medias etiam corruptelas durare debeat: cœtum enim ſemper fuiſſe & futurum, de quo dici poſſit, in eo ſalvari fideles, quia Deus media ſalutis nunquam plane ſuſtulerit, etſi errores & zizania admiſceri veritati patiatur. *Cap. VI* autoritatem Prælatorum tantam non fuiſſe, nec eſſe debere ſtatuit, cui cœca obedientia præſtanda fuerit; ſed omnibus & ſingulis Chriſtianis ſcrutinium & judicium de veritate, ex doctrina & præcepto Chriſti & Apoſtolorum incumbere. *Cap. VII* abſurda elicit, quæ ex dominatu & abſoluta Sacerdotum poteſtate ſequantur. Ita enim Iſraelitas culpandos fore, qui ſpreto Sacerdotio per idololatriam corrupto, Regibus reformantibus paruerint; dein Judæos excuſandos, quod Synagogæ interdicta, Chriſti & Apoſtolorum doctrinæ præpoſuerint; autoritatem, antiquitatem, numerum, ſplendorem, felicitatem, ab heterodoxis quoque & gentilibus atque Turcis jactari; veritatem unicum Eccleſiæ Orthodoxæ characterem eſſe. *Cap. VIII* reſpondet ad objectiones, eam inprimis, quod ſublata Hierarchia non poſſint ſchiſmata & hæreſes præcaveri. Remedium enim ejusmodi externum

a Deo

a Deo non esse provisum, nec revelatum; neque id in primitiva Ecclesia usitatum, aut hæreses eo modo impeditas fuisse. Nihil etiam autoritate effici contra Atheos & Pyrrhonianos. Itaque Arnaldi consilium Christianismo adversari, cum dicat, oculis sacerdotum videndum, & vestigiis eorum insistendum esse; neque quidquam ab eo demonstratum, quod conscientiæ obligationem ad reformandum solverit.

Part. II, cap. I, Reformationem sub initium superioris seculi sperari a Romana Hierarchia non potuisse, ex historia Pontificum, qui proxime ante Lutherum fuerunt, & quomodo desideria Principum & populorum, pro reformatione doctrinæ & morum, eluserint, ostendit. Idem *cap. II* ex actis cum Luthero firmat, cum is adversus indulgentias disputare cœpisset, usque ad Ann. Chr. 1520. Unde consequi tradit *cap. III*, incubuisse iis, qui tunc vivebant, ut peremta spe æqua impetrandi a Pontifice & clero, ipsi conscientiæ consulerent; allegatq; ex Theodoreto exemplum Aphraatis monachi, qui Valenti Imperatori Arianismum foventi, solus contradicere ausus fuerit, incendium ab unoquoque restinguendum esse dictitans. Singulis autem Christianis, absque novo aut extraordinario titulo, jus esse errores corrigendi, *cap. IV* deducit, & præscriptionem temporis contra divinæ veritatis æternam autoritatem, in rebus fidei locum habere negat. Itaque *secula ignorantiæ & vias gentium* ab Apostolis vocari, quæ præcesserint Evangelii prædicationem, Act. XIV, 6. Cap. XVII, 30. Respondet *Cap. V* ad objecta Reformantibus vitia, tum quod pleraque per calumniam impacta iis fuerint, tum quod dato, non caruisse eos nævis, nihilominus vera docere potuerint. Constare id ex dictis & exemplis S. Scripturæ, & esse, qui sanctitatem vitæ non minus allegare possent, quam Prælati Romanæ Ecclesiæ. Defendit inde Lutherum a crimine rebellionis, & diabolicæ informationis in articulo S. cœnæ; dona ejus divina agnoscit & laudat; quæ acerbius dixerit, aut ubi non satis magnum lumen habuerit, excusat. Castitatem & virginitatem a clero falso jactari dicit, nec in matrimoniis contrahendis peccatum a Luthero aut aliis agnoscit. Continentiam enim singulare Dei donum esse, non omnibus impertitum; neque tamen Abrahamum, Moysen, Aaronem, Petrum & plerosque Apostolos minus præstitisse, in concreditis

fibi operibus divinis, quod mariti fuissent. *Cap. VI* Carolostadii, Zuinglii & Calvini apologiam facit. Principibus & Magistratibus jus cognoscendi de religione asserit. Nec ob levia aut speculativa sed maxima, & practica, discessum esse a Romana Ecclesia, deducit objecta de Justificationis Articulo ex *Lud. Blanci* libro elidit, & de æquivocatione vocabulorum agi dicit. *Cap. VII* ad alias objectiones respondet: Lutherum & reliquos negat novos prophetas fuisse: certamina inter illum & Zuinglium ac socios veritati Evangelicæ non putat officere. Paulum *ex invidia & contentione* Christum prædicantes tulisse Phil. I, 15, & *ministros Christi* vocare, 2 Cor. XI, 23, quorum errores paulo ante v. 13 acerrime taxaverat. *Hospiniani* virulentiam adversus Lutherum non probat. Salomonis, cujus libri Canonici extant, & regum, qui reformationem legitimam fecerint, vitia recte scriptis & gestis non nocere docet. Jansenistarum & Jesuitarum dissidia objicit, ut & Canonizationem Sanctorum quorundam in Romana Ecclesia, v. g. Catharinæ Senensis, Petri Lucenburgici, Vincentii Ferrerii, qui in schismate, Antipaparum tempore, vixerint, & oppositos Pontifices pro Anti-Christis habuerint. *Cap. VIII* pro autoritate S. Scripturæ ex patribus multa adducit, & testimonium egregium ex præfatione Montensium in versionem nuperam N. T. opponit, Arnaldi judicio plane contradicens, nullumque judicem controversiarum excogitari aut dari posse monstrat, quam sacras literas; itaque quæ de Pontifice, conciliis, & populi consensu jactantur, rejicit. *Cap. IX* objecta diluit, & ad primum principium, nempe Scripturam, ex quo & traditiones stabiliri debeant, recurrendum esse ostendit, quasque difficultates Arnaldus lectioni & electui Scripturarum opponit, & propter quas ridiculam & impossibilem methodum religionis stabiliendæ, ex Scriptura sumi contendit, longe majores in traditionibus & consensu Ecclesiæ, si quis his pro principio uti velit, reperiri judicat. Sufficere tamen, ait, fidelibus simplicioribus ideam credendorum articulorum generalem, ex qua errorum rejectio sequatur, quod per exempla cultus Sanctorum, & dogmatis de transubstantiatione explicat. Ad perfectiorem autem gradum majorem diligentiam & scientiam requiri. Peccare vero, qui vera ex Scripturis non agnoscant, & falsa statuant, ut Ariani & Sociniani.

Parte

Parte III, cap. I sufficientes & justas causas separationis habuisse statuit majores Reformatorum, posito, quod in controversiis recte senserint. Firmat autem jus separationis exemplo Christianorum, qui a Judaica, & Orthodoxorum, qui ab Arianorum Ecclesia, utut numero & autoritate prævalenti, secesserint. Admitti ergo debere Reformatos ad probationem causarum, quæ non leves aut personales, quales Novatiani & Donatistæ prætenderint, sed gravissimæ & de maximis fidei articulis fuerint. Sequi porro *(Cap. II)* juste etiam a ministerio seu clero Romano, & ab ipsa sede Pontificia discessionem factam esse. Obediendum enim pastoribus esse, si loquantur verbum Dei, Hebr. XIII, 7; fideles Christo immediate jungi, non per pastores. Id urgere Paulum, 1 Cor. I & III. Exemplum Orthodoxorum adducit, soli fere Athanasio adversus Episcopos ipsumque Pontificem Liberium, Arianis cedentem, adhærentium, & cum Novatianis potius, quam cum publico Ecclesiæ ministerio, utpote errore infecto, conjunctionem tentantium, idque non Episcoporum nec Concilii Nicæni, sed Scripturæ autoritate, quod ex *Augustino* probat. Restitisse etiam *Victori & Vigilio*, aliisque Pontificibus totas nationes Christianas, nec damnari posse, quos isti excommunicaverint. Sublata Synagoga & omnium gentium discrimine, Col. III, 11, non substitutam esse Romam, sed *cælestem Hierosolymam, liberam, matrem nostram*, Gal. IV, 26. Inter munia Ecclesiastica a Deo instituta, & a Paulo enumerata, Eph. IV, 11, non reperiri Pontificatum, nec Christum pro *Samariæ aut Hierosolymorum monte, Capitolinum* nominasse, *Joh. IV, 24*. Tacuisse de tanta re, capite visibili & subalterno, quis crederet Paulum? cum de eo ipso disceptantibus *Corinthiis, 1 Cor. I, 12 & c. III, 22*, Petrum ostendere potuisset. Testatur tamen, si antiquam fidem restituat Pontifex, promtos ad obsequendum ei fore Reformatos. Ut vero appareat, non frivole nec præcipitanter ad separationem a sede Romana proruisse majores, *cap. III* prolixe ex historicis refert, quid actum sit ab anno 1520 usque ad exitum concilii Tridentini, & objectam comparationem *Reformatorum* cum *Donatistis* refellit. Prosequitur hoc *cap. IV*, & quæ ex Augustino opponuntur, examinat, Donatistas vero non ob dogmata, sed ob causas mere personales schisma fecisse refert, ob quas tamen separatio nunquam fieri debeat, si doctrina pura servetur; atque cate-

eatenus recte Auguſtinum objeciſſe Donatiſtis ſingularitatem & paucitatem. Negat tamen dilatationem Eccleſiæ Romanæ per totum orbem, & licet Reformatos multitudine vincat, nihil id referre exiſtimat; cum Eccleſiæ veritas & unitas, in fidei puritate, non in numero aut locorum ſpatiis quærenda ſit. Cætera ab Arnaldo oppoſita *cap. V* diſcutit, & Reformatos nunquam ait ſtatuiſſe, quod tota Eccleſia ante Lutherum plane interierit. Negat etiam reſtrictam veram Eccleſiam ad *Valdenſes* aut *Huſſitas* fuiſſe, aut ad ſolos infantes, ſed pro membris veræ Eccleſiæ, iſto obſcurationis & corruptionis tempore, etiam haberi debuiſſe, qui ſimplici fide Deo adhæſerint, & merito Chriſti innixi fuerint. Sic leniendum eſſe, ſi quid a Proteſtantibus Theologis de ſeculis illis calore diſputationum, durius dictum ſit, quod & Patribus acciderit.

Parte denique *IV* Miniſterii Reformati jus & legitimum ſtatum adſtructurus, *cap. I* ex eodem præſuppoſito veræ doctrinæ, (quam probare Reformati parati ſint) licitum & fas fuiſſe deducit, ſeparatos cœtus ab Eccleſia Romana conſtituere. Allegat promiſſam gratiam & præſentiam Chriſti, *Matth. XVIII, 19*, etiam duobus aut tribus in nomine ſuo congregatis: nec dubitari poſſe, ſi ſocietas pia & legitima ſit, quin pium & legitimum etiam ſit miniſterium, quatenus eſt divinum munus, & quin quilibet cœtus jus habeat omnia ordinandi, quæ ad pietatis exercitia requiruntur, & collective a cœtu expediri non poſſunt, ſed a certis perſonis. Apoſtolorum quidem miſſionem immediatam neceſſario præcedere debuiſſe, at quoniam ex ſcriptis eorum & toto ſacro codice de fide conſtet, nihil vetare, quo minus a cœtu, humano jam jure conſtituantur, qui doceant. Novæ ergo Eccleſiæ nomen Reformatæ non competere *(cap. II)* quæ purgata ſaltem ſit; ideo nec novos miniſtros, & novatores dici poſſe paſtores reformatos, qui retentis eſſentialibus miniſterii functionibus, prædicatione verbi, Sacramentorum diſpenſatione, & regimine cœtus convenienti, rejecerint tantum per accidens aut male addita. Eſſentialia vero illa conſervata in corruptionibus fuiſſe, ſicut ipſos electos ſtatuit, quanquam de modo conſervationis & propagationis liquido non conſtet: manſiſſe etiam omnibus & ſingulis jus & facultatem diſcernendi corruptelas, v. g. verum cultum ab idololatria, veram Euchariſtiam a ſacrificio miſſæ, excuſatos fuiſſe ſimpli-

simpliciores, sed melius edoctos ad profitendam veritatem obligatos ex verbis Christi *Joh. XV, 22.* Speciatim *cap. III* legitimam ministrorum vocationem defendendam sumit. Distincta vocatione ad reformationem, & ad ministerium: illam omnibus, hanc iis competere dicit, qui ab Ecclesia jam reformata vocantur. Nullum speciale jus ad hanc vocationem probari debere, sed derivari & sequi sua natura ex jure societatis, sive Ecclesiæ. Pastoribus vero solis, ut pastores alios constituant, tribui non posse, inter alia hoc argumento: quia ministerium proprie ad vere fideles sive electos pertineat, quos in toto cœtu reperiri dubitari non possit, sed de personis pastorum, quod vere pii & electi sint, atque ita cœtum repræsentare valeant, constare non posse. Itaque jus cœtui competens ad singulos, multo minus ad unum, deferri non debere, ne in manus profanas incidat. Interventum vero cœtus in electione Apostoli Matthiæ, & Diaconorum, probat ex *Act. I, 15 & C. III, 3.* Argumentatur etiam ab excommunicatione, quam Paulus juncto sibi Corinthiorum cœtu exercuerit. *1 Cor. V, 4.* Frustra objici, cœtum dare ministerium non posse, quod ipse non habeat. Habere enim eminenter seu virtualiter, atque ita formaliter conferre posse & debere; sed non inficiatur, ad pastores jus examinandi & ordinandi recte translatum, & si quæ ab initio reformationis aliter facta sint, ad exemplum non esse trahenda, nec tracta. Ad Arnaldi denique quæstionem, ordinaria ne an extraordinaria fuerit reformationis autorum vocatio, *cap. IV* respondet, extraordinariam, eo modo, quo Apostoli vocati fuerint, non fuisse, quanquam ita dici possit ob alias temporum & personarum circumstantias, inprimis ob egregia & singularia sive heroica dona, a Deo in eos collata; atque ita explicari debere confessionem *Gall. art. 31*, & *synodum Gapensem*, quam alia *Rupella* anno 1607 habita, declaraverit, itemque quæ Beza & alii scripserint. De ordinatione multa habet, & Episcopis solis, (cum distinctio horum a presbyteris non sit juris divini) tribui eam debere negat. Casum ponit, si totum ministerium aut (quamvis id ob promissionem divinam futurum non sit) tota Ecclesia intercidat, an non per librum Scripturæ, si servatus fuerit, restitui possit? Refert exemplum prædicati *seculo quarto* apud *Indos* a duobus juvenibus Edesio & Frumentio Christianismi, *ex Theodoreto.* Rejicit necessitatem miraculorum,

cum nova doctrina non fuerit prædicata. Reordinatos ab initio apud Reformatos non fuisse, qui in Romana Ecclesia ordinati erant, faretur; potuisse enim ordinatione sua ad essentialia ministerii uti, & quamvis præter ordinantium intentionem, ex impulsu conscientiæ, errores abjicere. At confirmato postea, præsertim per decreta Tridentina, schismate, & ordinatione Romana ad ea dogmata jam pertinente, rectius nunc reordinari. Baptismum infantum defendit ex *Act. II, 38. 39*, & asperſionem sive lotionem, ex locis, ubi baptismus eandem significat, *Marc. VII, 8, Luc. XI, 38*, provocans ad nuperam versionem *Montensem*. Validum vero baptismum in Romana Ecclesia esse statuit, quia substantialia retenta sint, nec beneficium, quod a Deo Ecclesiæ datum est, ministrorum vitiis aut abusibus corrumpi posse; allegans *Augustinum adversus Parmenianum & Donatistas id evincentem*. Epilogum addit, in quo deplorat Christianismum indies magis ruentem, & non leve vulnus ab iis accipientem, qui contra autoritatem Scripturæ tam aperte disputent. Reformatæ vero Ecclesiæ puritatem, & disciplinam commendat.

Cæterum in additionibus, quatum in relatione *Libri de Præjudiciis* mentionem fecimus, objicitur Claudio audacia, cavillandi artificium, & mala fides, in referendis Arnaldi dictis, omisisse etiam defensionem arguitur ad præjudiciorum *cap. XV*, respondet enim putat ad omnia debuisse. In specie vero allatas a Claudio responsiones pro Luthero vehementissime exagitat, & Hospiniani maxime testimoniis apparitionem diabolicam & instructionem de Missa datam *Addit. I, cap. 1* evincere satagit. *Cap. 2* eodem fervore etiam alterum convitium de concitatis ad cædem Pontificis & Cardinalium, Principibus & populis, adstruere laborat. *Cap. 3* accusat Claudium omissæ clausulæ, qua Arnaldus de Caroloſtadio loquens usus fuerit, quod nempe non simpliciter, sed tempore seculi XVI primus fuerit, qui præsentiam Christi realem in sacra cœna negaverit. *Cap. 4* negat se concessisse, quod Reformati licite segregare se a Pontificiis potuerint separatione negativa, & cavillatorie id sibi imputari valde queritur. *Additione secunda, capitibus tribus*, deprehensos esse putat Reformatos in mendacio, quia nunc Reformatoribus suis extraordinariam vocationem ipsi adimant, quibus tamen eam antehac confidenter tribuissent, atque sic missionis & reformationis jus omne,

amisso

amisso titulo, amiserint. Nostrum non est replicantium partes suscipere, aut, an non ex Claudii defensione responderi his novis objectionibus possit? judicare: Facient id fortassis, quorum propius interest. At non possumus non queri de recoctis obsoletis illis adversus B. Lutherum calumniis, quas partim ipse, dum viveret, partim Theologi eum secuti, tam evidenter & solide refutarunt, ut æquis & piis mentibus omnino satisfactum esse debeat. Si quid tamen denuo regeri opus & operæ pretium esse videbitur, non defuturos speramus, qui id cum successu præstituri sint.

TRAITTE DU MOUVEMENT ET DU ressort, par le R. P. C. F. M. De Chales de la Compagnie de Jesus,

id est,

Tractatus de motu locali & elaterio, Autore Cl. Fr. Milliet Dechales Patre Jesuita.

Lugdun. 1682. in 8. apud Anissonium.

SCripti hujus eruditus Autor ex insigni opere Mathematico tribus voluminibus comprehenso dudum notissimus est. Postquam is ante hos quinque, & quod excedit, annos vivere desiit, repertum est inter ejus manuscripta hoc opusculum, quod publica luce dignum suo merito judicatum fuit. Evolvit enim accurate & feliciter materiam, quæ alias quidem tantum pene molestæ difficultatis, quantum jucundæ delectationis habet, ac suppeditat rationes quorundam naturæ effectuum, quos admiramur. Motuum etiam particularium regulas hic invenimus, quibus experientia apprime ac constanter respondet, nisi nonnunquam ex accidenti natura impediatur; quod quoties & qua ratione fiat, ab Autore ipso diligenter monitum est.

Tractatus totius quinque sunt partes, & methodo mathematica per propositiones exhibentur. Prima harum partium physica est & quasi præliminaris, quæ notioni *Elaterii* intelligendæ serviat, & lucem quandam regulis motuum conciliet. Absolvitur quatuordecim

propositionibus, quarum sex priores negativæ Cartesii, Epicureorum, Peripateticorum & Aristotelis varias sententias de causa continuationis motuum recensent ac destruunt. Septima experimentis quibusdam in vulgus notis evincit, a potentia resiliendi, quam corpora pleraque obtinent, motus nonnullos continuari, & inde colligit fieri posse, ut alii etiam effectus eandem causam agnoscant, id quod sibi in sequentibus Autor investigandum proponit. Reliquæ propositiones hujus partis de natura virtutis elasticæ tractant, eamque aliam in corporibus duris, aliam in liquidis esse observant. Durorum corporum vis elastica dicitur potentia reassumendi figuras sibi proprias, quoties ipsas aliorum corporum occursus immutavit. Corporum autem perfecte liquidorum, quibus hujusmodi potentia competere non potest, (eo quod, juxta simplicissimam notionem, quam de ipsis philosophi tradunt, figuram propriam non habeant, sed cuivis alii facile se accommodent) vis elastica in rarefactione h. e. sola facultate sese extendendi ponitur, in qua explicanda quidem Autor Aristotelem sequitur. Inter dura & liquida corpora quædam esse intermedia monet, quæ scilicet perfecte liquida non sint, sed constent filamentis exiguis, quæ adhibita vi flectantur, sua sponte vero postmodum resurgant.

Pars altera seu liber secundus magis mathematicus, elaterii proprietates 29 theorematibus pertractat. Ex his priora duodecim ad vim elasticam corporum duorum potissimum pertinent; sequentia tria aerem concernunt, ac ostendunt, quo pacto is impulsu corporis duri condensetur, ac postea iterum expansus idem corpus in parte opposita impellat. Reliqua de corporum illorum motu agunt, quæ vel ob mollitiem suam, vel ob duritiem ac inflexibilitatem elastica illa virtute expertia sunt, ac inquirunt, quid accidat, quoties vel hujusmodi corpora sibi mutuo obviam fiant, vel alterum alteri tardius procedenti superveniat, vel denique motum unum in aliud quiescens feratur.

Librum tertium autor de motu accelerato inscripsit, isque pari theorematum numero cum secundo absolvitur. Post præmissa duo generalia de augmento motuum demonstratur, corpora projecta, simulac a virtute movente extrinseca fuerint separata, omnem suam celeritatem obtinere, nec eam per gradus paulatim acquirere.

Inde

Inde a theoremate quarto usque ad undecimum inquiritur in causam accelerationis, quam in corporum gravium descensu observare licet. Quæ vero porro usque ad finem libri sequuntur de proportione, quam spatia confecta & tempora, velocitates itidem ac momenta corporum motorum ad se invicem obtineant, ea maximam partem jam in Cursu authoris Mathematico (t. 1 Stat. l. 2) pertractata sunt, quo non obstante Autor ista hic repetere voluit, tum quod ad integram materiam motus localis ac elaterii plenius intelligendam facere viderentur, tum quod hic tractatus Gallico sermone, Mathematica vero opera illa latino conscripta essent.

Libro quarto titulus est de percussione, cujus naturam Autor, priusquam ad particularia nonnulla de vi elastica descenderet, investigandam credidit, quoniam percussio vim illam corporum provocat, & in actum deducit. Hujus libri postremæ sex decem propositiones, quæ de motu gravium in planis inclinatis, ut & de pendulorum vibrationibus agunt, jam in Statica Autoris l. III maximam partem, forma tamen nonnihil immutata, inveniuntur. In propositione omnium ultima Autor sub finem monet, se sententiam quandam Domini Hugenii olim in Statica sua refutasse, sed ex experimento minus accurate instituto, unde semet corrigit, & ubi error commissus lateat, ingenue ostendit. Priorum 19 theorematum pars de percussione ejusque impetu, ac impetus talis collatione cum gravitate, seu impetu corporis gravis quiescentis; pars de æquali divisione motus, quam habet linea in gyrum acta; pars denique de centro percussionis in quavis figura aut corpore inveniendo tradunt. Est autem centrum percussionis autori illud punctum, in quo momenta simplicia partium in æquilibrio ponuntur, ita ut ibi maximum impetum in quodvis corpus occurrens faciant, & ut momenta composita sint æqualia. His propositionibus interspersæ sunt de ratione ponderum nonnullæ, quæ in staticis vulgo negliguntur. Applicant enim ad corpora mota illas regulas, quas statica de solis quiescentibus, & propter ponderositatem naturalem, non propter motus impetum gravibus proponit.

Liber quintus motum reflexionis principalem effectum virtutis elasticæ exhibet, ejusque causas ac circumstantias cum cura investigat. Priores tres propositiones sunt generales, ut & quarta,

quæ licet vulgariter nota sit, ab Autore tamen singulari modo tractata ac demonstrata est, cum plerumque a Philosophis inter postulata referatur. In iis, quæ sequuntur, speciales quidam casus circa potentiam resiliendi corporum proponuntur, ubi tamen fatetur Autor (prop. 10) vix ita a se difficultatibus satisfactum esse, quin remanserint nonnullæ, quas ipse aliis harum rerum studiosis solvendas reliquerit. Cæterum uti liber secundus corporum elastica vi carentium varios occursus persequitur, ita liber ultimus inde a 7 theoremate usque ad finem tradit, quæ de corporibus vi tali pollentibus, quando ista sibi obviam feruntur, observari debent.

NOVA THEORIA VISIONIS, Regiæ Anglorum Societati exposita per Wilhelmum Briggs. M. D.

Ex Collectionibus Philosophicis Anglicanis num. 6, Anno 1682, p. 167 sqq. excerpta.

CUm observasset Theoriæ hujus clarissimus Autor, non minus aliorum de doctrina visus hactenus edita scripta, quam suam anno 1676 in publicum emissam *Ophthalmographiam* imperfectione adhuc notabili passim laborare; potissimum cum hanc anatomice tantum tractasset, sine ullo modum visionis explicandi tentamine: pro defectu hoc aliquatenus supplendo, circa Nervorum Opticorum conformationem peculiaria & ab aliis nondum observata recenset, & ea *ingeniose* delineat, & diversa, difficilia æque ac jucunda, problemata, ab Opticis alias minus sufficienter explicata, per eandem Theoriam declarat. TAB. XI

Et *primo* quidem exortum horum Nervorum singularem ex hoc evincit, quod, dum reliqui ex plana magis cerebri basi emergant, hi altius & ex duabus promberantiis (*Tab. XI* ll. ll.) quas thalamos Nervorum Opticorum appellant, prodeant; ita ut fibræ illorum super thalamos hos tractæ chordarum citharæ super ponticulum flexuram, quæ pariter eminens & convexa est, commode referant. Sicut autem in duabus citharis paris magnitudinis, ac fidium æqualium, chordarum super ponticulum extensarum supremæ magis,

TAB. XI. *ad A. 1683.*
pag. 454.



BIBL. JAGA

magis, reliquæ quo ab his remotiores sunt, eo minus tensæ deprehendantur: ita fibras illas binas, quæ in apice aut Zenith quasi dictorum thalamorum existunt, maxima; binas in Nadir, seu parte opposita omnium minima tensione, propter minorem inflexionem gaudere: intermediarum vero tensionem proportionaliter differre statuit, prout aut summo, aut imo sint viciniores; cum hac tantum exceptione, quod fibræ laterales internæ sub laxiore tensione concipi debeant quam externæ, ideo quod hæ posteriores magis inflexæ sint, ut conspicere liceat, si in *Figura Tabulæ XI, d d* comparetur cum *g g*.

Superiores ergo ex utroque thalamo ad superiorem oculi partem productas fibras, per literas *a a, b b, c c*, indigitatas, *concordes* vocat, quæ unisonis in duabus citharis respondeant, eoque *fibræ homotonæ* dici quoque possint. Has a cerebro, seu thalamis nervorum opticorum, tanquam illius moleculis peculiaribus emanantes, ut concordent, sub exortum sui uniri haud necessarium esse, cum situ & tensione sibi quam exactissime respondeant: inferiores pariter, & inferioribus oculorum partibus implantatas, quia minore, eaque æquali tensione gaudeant, utpote minus inflexæ, probe congruere: denique, intermedias, media ratione se habentes, sibi itidem conformes existere docet. Unde eluceſcat, fibras binas parallelas, seu eundem situm & tensionem obtinentes, nempe duas summas, duas infimas, duas laterales externas, duasque internas, in singulis thalamis esse quasi symphoniacas: ita ut impressio objecti externi utramque fibram movens, non magis duplicem sensationem præstet, ac fides unisonæ duarum citharum simul pulsatæ duplicem excitent sonum.

Atque hunc fibrarum parallelismum magis confirmari putat per sequens phænomenon; nempe quod *secundo* fibræ nervorum opticorum ordinem & positum distinctum observent, quem connexio eorum, æquilibrium magis firmans, non parum juvet. Quod enim nervi hi se invicem decussent, uniantur, aut eorum fibræ confundantur, concipi haud debere; sed eas, quæ thalami dextri sunt, distinctim quoque ad oculum dextrum; quæ sinistræ, ad sinistrum ferri; prout in diversis piscibus evidens sit, ubi nervi hi duo per simplicem tantum contactum jungantur; quod & ex Chamæleonte, in quo eos plane non coire, communis ferat opinio, ac in homine ex

observatione *Vesalii de corp. hum. fabr. l. 4, c. 4* colligere liceat, qui in fœmina, cujus oculus dexter a prima infantia minor & emaciatus, sinister perfectus ac sanus extitit, nervum dextrum toto sui tractu exiliorem sinistro deprehendit.

Præterea hoc æquilibrium, quod connexio illorum nervorum præstet, multum juvari suspicatur per singularem musculorum conspirationem, quatenus obliquus inferior ex peculiari orbitæ foramine exsurgat, reliquis omnibus ex fundo ejus emergentibus: & hinc æque inferius per musculum hunc, ac superius per trochlearem, oculi distorsionem inhiberi; i. e. per trochleam in parte una, & per hujus musculi obliqui inferioris situm in altera, oculum firmum & rectum teneri, ut nec ad externum, neque internum canthum magis declinare queat. Atque hunc quidem peculiarem musculi exortum, (cujus ætiologiam nullus Scriptorum determinarit) negotio huic maxime necessarium putat: quia si cum reliquis ex fundo orbitæ prodiret, oculus perpetuo strabismo laboraturus esset, trochlea sola huic incommodo declinando haud sufficiente: potissimum cum musculus obliquus superior intervenient hac trochlea, (quæ justa principia mechanica ejus potentiam intendat) semper potentior foret, adeoque oculum nimis versus canthum internum moturus esset, nisi inferior illi potentia æqualis hoc impediret: utpote qui superiore crassior, licet brevior, a crassiore ossis parte oriatur, & deprimentis tendinem transgrediatur, ne ab hoc in sua actione turbetur; dum ille longior existat, & robur majus a trochlea recipiat, sub tendine vero attollentis decurrat, adeoque exacta utriusque, rata proportione, potentiæ libratio sit. Pari modo attollentem ac deprimentem musculum proportione æquali gaudere perhibet: ita ut, quamvis prior paulo crassior existat, quia tamen minus robur ad deprimendum quam elevandum oculum requiratur, eorum potentia æqualis sit: Idemque in lateralibus musculis situm atque crassitiem eandem obtinentibus, adeoque æquilibrium, quod ad consensum fibrarum concordium necessarium supra dixerat, observantibus contingere asserit.

Imo *tertio* hæc confirmari putat, per fibrarum nervi optici in oculum insertionem illam, qua hæ distinctas illas, quibus oriuntur, retineant series. Quemadmodum enim illius membranæ sclleroticam

ac

ac uveam forment, ita ejus fibras medullares retinam constituentes in hac parallelismum, in principio observatum, & ad visum necessarium, distincte satis continuare.

Ex qua hypothesi diversa problemata explicare satagit, alias vix solubilia: nimirum 1 *cur duplici oculo contingat visio simplex?* Scilicet quod fibræ nervi utriusque optici concordes (quemadmodum superius dictum) instar unisonarum fidium in chely se habeant, adeoque simul feriantur. In quo problemate Gassendum de *Apparenti magnitud. Solis humil. & sublim.* tantam difficultatem reperisse refert, ut distinctam & accuratam visionem uno tantum oculo fieri persuasum habuerit: cum nihilominus certum sit, nos unum objectum semper duobus oculis intueri, nec (propter consensum nervorum motoriorum, circa originem combinatorum, & per consequens quoque musculorum, in quos abeunt) unum oculum versus aliquod punctum converti posse, quin alter eo simul feratur; cumque sensibus obvium sit, quod visio ambobus oculis perfectior, quam uno, contingat; dum, si quis modo uno, modo utroque oculo remotiorem paulo scripturam legere tentet, utroque oculo literas evidentiores & claras, uno obscuras, deprehendat. Quod vero de sclopetariis urgeri soleat, qui pro accuratiore ad metam collimatione alterum oculum claudant, assertum hoc minime evertere, multo minus communem illam sententiam confirmare, quod spiritus visivi oculi clausi ad apertum derivati hujus spiritus augeant; cum fibræ singulorum nervorum opticorum adeo distinctæ atque ordinatæ observentur, ut unus cum altero haud communicet: sed contingere hoc, quia granulum sclopeti collimatorium ita collocatum sit, ut utrumque axem visorium per illud ad metam dirigere haud liceat; adeoque commodius sit, alterum oculum claudere, quam eum vacillantem violenter ad metam intendere.

2. Hinc quoque constare docet, *quomodo alterutro oculo depresso objectum simplex videatur geminum?* Nempe quod radii hujus in fibras discordes, hoc est, tales incidant, quæ ratione superius explicata sibi haud respondeant: ita ut hic duæ distinctæ sensationes sint, & objecti species una vera, altera falsa; una altior, altera profundior appareat. Quod enim hoc non, ut communis fert sententia, ab optici aut refracti coni in duas partes scissura eveniat, quæ duo

distincta retinæ loca in depresso oculo feriant, hinc elucescere, quod geminatio hæc mox evanescat, modo (quod a nemine alias Scriptorum observatum) oculus non depressus occludatur. Per chartam equidem perforatam objectum totuplex conspici, quot sunt in illa foramina, quæ instar vitri polyedri objecta multiplicantis, tot distinctos conos forment, in discordes ejusdem retinæ fibras incidentes, & quidem oculo etiam altero clauso: ast hoc dictam solutionem haut evertere, cum illud contingat per interpositionem alterius corporis simili fere modo, ac in vitro multiplicativo; non vero nudo oculo, ut in modo exposito casu: potissimum cum similis generis extent observationes, quæ duplicem sensationem a turbato illo parallelismo, eadem ratione ac in depressione oculi, fieri evincant. Ita quando *Borrichius Actor. Hafn. vol. 2 obs. 80* refert, ægram quandam, paulo ante mortem (ubi spiritus vacillare ac tremiscere, simili ratione ac in ebriis, solent) omnia duplicia vidisse: causam hujus phænomeni hanc tradit, quod spiritus animales serie haud stabili, sed interrupta utrumque nervum motorium, hinc utriusque oculi musculos, irradient, & per consequens illum parallelismum, quem ad distinctam visionem necessarium supponit, destruant; quatenus nulla humoris crystallini alteratio concipi possit, quam autores in ejusmodi casibus alias inculpant.

Similiter dum in *iisdem Actis vol. 3 obs. 20* paris symptomatis mentio fit, quod fabrum lignarium, nicotianæ fumum sugentem, subito invaserat: illud repentinæ ad nervum alterum defluxioni acceptum refert, hunc laxanti, ejusque tonum alterius tono inæqualem reddenti. Quod idem in milite illo Parisiensi, quem *Forestus l. 11 obs. 39* in scenam producit, dextro oculo humidiore & quasi prolapso, nisi hic clauderetur, cuncta objecta duplicia videnti, solisque exsiccantibus & cephalicis restituto, locum habuisse putat; quatenus nervis motoriis ac musculis ab humorum decubitu laxatis, oculi hujus cum altero æquilibrium fuerit destructum, ita ut hic quasi depressus extiterit, hincque objecta duplicia apparuerint; remedia vero dicta humiditatem præternaturalem consumpserint, adeoque nervo & oculo pristinum robur ac tonum, per consequens parallelismum illum, reddiderint. Tandem etiam eandem ætiologiam casui illi rariori, quem *Aquilonius Optic. p. 346* refert, applicat, ubi juvenis quidam

dam objecta propinquiora simplicia, remotiora autem gemina vidit, in cujus tamen oculis nihil præternaturalis, excepta humiditate extraordinaria, deprehensum fuerit: nimirum, quod laxato musculorum tono in observandis remotioribus, quæ majorem oculi firmitatem postulant, oculum firmum & stabilem continere haud potuerit; quæ nihilominus laxatio vicinorum inspectionem haud turbarit.

Quo vero uni & alteri objectioni satisfaciat, ac Theoriæ suæ omnem ambiguitatem præcidat, primo ratione figuræ, in qua fibræ nervi optici se non decussant, monet, in asello molliore, & aliis forsan quibusdam piscibus, decussationem quidem hanc deprehendi, in pluribus autem piscibus secus; ac in homine illam per superius allegatam Vesalii observationem refelli. Imo nec hanc in asellis conspicuam decussationem opinioni suæ aliquid derogare, sed eam potius confirmare: quandoquidem tonus nervorum æqualis in protuberantiis Thalamorum opticorum concipi queat, sive decussentur, sive non. Deinde ait, se per *parallelismum* non tam pupillarum ad se invicem habitudinem, quam hoc intellectum velle, quod fibræ correspondentes retinæ singulorum oculorum eandem relationem ad objectum habeant: hac enim si destituantur, res geminas apparere, quamvis unus oculus altero humilior haud sit. Et si oculus ad latus alterutrum prematur, (*contradicente quamvis Aristotele & Galeno*) objecta pariter gemina conspici, ideo scilicet, quod figura oculi mutata fibrarum quoque retinæ situm mutari necesse sit.

Denique concludit, quando æquilibrii destructione res geminari asserat, se certum hujus destructionis gradum supponere, talem scilicet, quo tota imago aut hujus maxima pars fibras discordes feriat; cum exilis & levis oculi pressura objectum non magis geminum reddat, quam strabismus connatus aut exigua oculi torsio: cum contra in strabismo a spasmo aut paralysi musculorum motoriorum, ubi distorsio major & violentior contingit, res simplex semper duplicetur. Simili modo, si æquilibrium per ebrietatem aut phrenitidem corrumpatur, interdum res geminas videri, interdum non; prout scilicet corruptio illum gradum attingat, vel non. Perinde ac inter digitos, non aliquatenus tantum, sed probe & sufficienter decussatos, globus ultro citroque actus geminus sentiatur.

Figuræ Explicatio.

aa, *bb*, *cc*, *dd*, &c. ſunt fibræ concordes nervorum opticorum, prout a thalamis opticis *ll ll* emergunt, & ad partes oculi ſibi oppoſitas ſub iisdem characteribus feruntur: ita ut *aa* ſint binæ ſuperiores, & majore flexura gaudeant, quamvis in plano hæc earum flexura ita exhiberi nequeat. *bb*, *cc*, *dd*, Fibræ laterales externæ; *ee*, *ff*, *gg* laterales internæ. *ll*, *ll* Protuberantiæ cerebri, thalami nervorum opticorum appellatæ. *bbbb* Partes cerebri pone has collocatæ. *ii* Optici nervi, majores paulo, pro fibris eorum commodius explicandis.

✣ Locus, ubi coeunt, a quo aliquantum ſeparati concipiuntur, quo diſtincta illorum fibrarum ſeries melius conſpiciatur.

Literæ *aa*, *bb*, *cc*, &c. oculorum ſingulorum retinæ fibras concordes monſtrant, prout a thalamis continuo tractu feruntur: quamvis harum plures in ſpatiis intermediis ſupponi debeant, non adeo commode in ſchemate literis exprimendæ. *mm*. ſunt oculi ſclerotica & uvea exuti, quo fibræ Retinæ, quæ in proceſſus ciliares terminatur, manifeſtiores reddantur. *nn* Proceſſus ciliares, mox ſub Iride ſiti, quæ in figura, qs. reſecta concipi debet. ○ Pupillæ.

Nota, quod quemadmodum *aa* ſuperiores, & *bb*, *cc*, laterales fibras concordes ſuperioris oculi hæmiſphærii ſiſtunt, ita earum aliæ ſupponendæ veniant in inferiore hemiſphærio haud demonſtrabili, quarum omnium infimæ fibris *aa* diametraliter ſint oppoſitæ.

MONUMENTUM ROMANUM IN EPISCOpatu Angliæ Durhamenſi repertum, deſcriptumque a Martino Liſtero.

Ex Transactionibus Philoſophicis Anglicanis

10. Mart. 168$\frac{3}{4}$ no. 145.

INter tot monumenta Romanæ Antiquitatis a Smetio, Grutero, Reineſio aliisque antiquariis magno ſtudio collecta, loco principe non abs re collocantur Aræ, Diis Deabusque pro ſalute Imperii & Imperantium, aliarumque honorabilium perſonarum dedicatæ. Nobis ex ordine tot Imperatorum Romanorum, quorum pro ſalute aræ olim ſunt poſitæ, commemorandus nunc venit *L. Septimius Severus*. Nam uti hic victis Peſcennino Nigro & Clodio Albino Rempubli-

ca

TAB. XII. *ad A. 1683. pag. 461.*

Fig. 2.



Fig. 5.



Fig. 1.



Fig. 3



Fig. 4



BIBLIOTECA



cam, quam turbatam acceperat, pacatam reddidit, ita dignissimus præter cæteros fuit habitus, cujus pro salute atque incolumitate Diis Deabusque aræ sacrarentur. Id vero honoris non Septimio tantum datum, sed & filio *M. Aurelio Antonino, Caracalla* vulgo dicto, quos & in pluribus ararum pro salute erectarum inscriptionibus v. g. apud Gruterum p. 12, 32, 46, apud Reinesium p. 211 conjunctos videas. Patre post deinceps fatis functo *M. Aurelius* solus monumenta id genus meruit. Pro salute namque ejus ara posita *Jovi opt. max. & Junoni Reginæ* apud Gruterum p. 6 & 7, *Herculi invicto* p. 46, *Marti Augusto* p. 57, ut alias plures nunc prætervehamur. Atque his accensenda venit & Ara illa, quæ in Episcopatu Angliæ Durhamensi, paucis abhinc annis ad ripam fluvii Tine Australem reperta, Oxonium postea a doctissimo Viro *Martino Listero* missa, & *Eliæ Ashmolio*, famigerabili antiquitatum promocondo, dono data est, sic referentibus Philosophicis Regiæ Societatis, quæ in Anglia floret, Transactionibus. Est illa, si Listerum jam laudatum audias, ex rudiori confecta lapide, nec nisi pedes quatuor alta, cumque quatuor habeat veluti facies, in anteriori aliquid inscripti, in reliquis aliquid insculpti repræsentat. Atque ut a posteriori incipiamus parte, insculptam illa ollam sistit herbæ cujusdam caules aliquot continentem; secunda cultrum inciforium & securim; tertia urceolum & spatham; quarta quæ pars prior est, & quinto loco, (post planum, figura IV expressum, quod pelvim utrinque ansatam simulat) in imagine ænea notatur, inscriptionem latinam. Hæc novem constat lineis, sed mutilatis oppido & corrosis, ut Oedipo aliquo omnino habeant opus. Hunc ut præstet, Listerus sic legit: *Dis Deabusque matribus pro salute Marci Aurelii Antonini Augusti Imperatoris votum solvit lubens lubens merito ob reditum.* Neque multum abludere a scopo is videtur. Nam M. Aurelius Antoninus mortuo apud Eboracenses patre Septimio Severo, bello Britannico præfuit solus, repressisque Caledoniis, qui post murum illum longissimum a patre structum habitabant, tanquam victor ad matrem, & fratrem Getam, quem socium alias in Imperio habuit, teste Dione ejusque epitomatore Xiphilino, rediit. Cum autem varie exponi posse videatur hæc inscriptio, in sententiam quoque *D. Johnsonii de Pomfret*, celeberrimi Antiquarii, non invitus concedit Listerus. Is vero inscriptionem de apotheosi seu consecratione Septimii Severi, abs Herodiano fuse descripta, in-

TAB. XII.

telligit, priores duas lineas sic legens: CONSERVATORI B. PRO S &c. & quoad reliqua Listero consentiens.

* * *

Nos quanquam Palæmonis partes nobis hac in re haut sumimus, Listerianam tamen priorem præ posteriore sententia, quæ & Johnsoniana est, longe magis censemus esse plausibilem. Neque enim ulla literarum primæ lineæ cum voce CONSERVATORI est convenientia; ut taceamus Septimium Severum non in Britannia, ubi diem suum obiit, sed Romæ demum, quorsum & cineres ejus fuere transportati, solennissime consecratum esse ac divis accensitum. De cætero quamvis non ignoremus, compluscülas repertas esse aras *DIS Deabusque matribus* inscriptas, legeremus tamen, si & nobis divinare quid licet, *DIS Patriis & Marti Britannico*. MAR enim restat in prima linea, non MAT. Deinde cum Caledonii, Britanniæ populus, ab Aurel. Antonino non minus, quam a patre subacti fuerint, non *deabus Matribus*, sed *Marti* vel maxime, præter Deos Romanorum alios, pro salute Principis extruenda ara videbatur. Et *Marti* quidem *Britannico*. Pro locorum enim diversitate alia atque alia cognomenta Mars æque, atque Dii cæteri, est indoptus. Atque hinc talia in Inscriptionibus diversis legas epitheta: *Marti Augusto*: *Marti Ciradino*: *Marti Segomoni*: *Marti Leucetio*: *Marti Camulo*: *Marti Britovio* &c. Accedit, quod Septimius Severus non tantum *Parthicus*, *Arabicus* & *Adiabenicus*, sed & *Britannicus* fuit celebratus, testibus tot Inscriptionibus, ut & Ælio Spartiano in ejus vita sic dicente: *Persarum Regem Abagarum subegit*, *Arabas in ditionem accepit*; *Adjabenas in tributarios coegit*; *Britanniam (quod maximum ejus imperii decus est) muro per transversam insulam ducto, usque ad finem Oceani munivit, unde etiam Britannici nomen accepit.* Huic igitur Britannico Imperatori cum adfuerit filius Antoninus, Britannicumque bellum post patrem feliciter consummarit, ecquid vetat, quo minus in ara, quæ in Britannia pro salute & reditu Antonini erecta est, *Martem Britannicum* intelligamus? *Mars* certe *Britannicus* melius exsculpi ex literis superstitibus potest, quam *Conservator Britanniæ*. Quod si admittere & interpretationem Johnsonii velimus, per eundem Martem Britannicum Septimius Severus

jam

jam defunctus posset intelligi. Solebant enim Imperatores, quorsum & Listerus cum Johnsonio respexit, a populo abblandiente etiam ante consecrationem, imo & vivi adhuc inter divos numerati. Quod lineas VI & VII attinet, quarum literæ non tam corrasæ, quia ne una quidem litera comparet, quam violenter excisæ videntur, eas nomina dedicantium, qui abblanditi hoc honore Imperatori, sed occisi postidea fuerint, præ se tulisse, una cum verbo votum exprimente, Listerus conjicit. *Domesticos* enim *seos partim dimisit*, post obitum patris Caracalla, *partim occidi jussit, in quibus*, ut Dio & ex eo Xiphilinus refert, *Evodus, educator ipsius, & Castor, uxorque Plautilla cum Plauto fratre ejus.* Et sane eorum, qui ad mortem ignominiosam damnati sunt, vel jussu Magistratus, vel a vulgi intemperie, expungi solent nomina. Sed unicum fuisse dedicatorem, non plures, numeri singulares *lubens lubens* vel *lubens libens* nobis facile persuadent, quocunque etiam fato obliteratum nomen ejus fuerit. Quid quod ipse Listerus legit *votum solvit*, non *solverunt*. De cætero non *pro salute* tantum, sed & *ob reditum* hanc aram fuisse positam, res ipsa loquitur. Sed *reditum a salute* divulsum videas in hac Inscriptione. Mirum id quodammodo videtur Listero. Sed *pro salute ob reditum* quid aliud est, quam *pro salute itus & reditus*, vel *pro salute, itu & reditu*, quas formulas in inscriptionibus aliis animadvertimus? In plano alias aræ, & ipsi focum agnoscimus; in latere secundo duo instrumenta mactandis hostiis adhiberi sueta, cultrum nempe ferreum, vel ut Festus appellat, secespitam & securim; in tertio duo itidem vasa apud Romanos in sacrificiis usitata, sympuvium puta seu capedunculam aut capedinem, ut Cicero in Paradoxis vocat, & ligulam seu cochlear rotundum atque concavum, aut discum, in quo assæ carnes reponebantur. Nymphæam herbam in prima figura exhiberi non tam facile induci possumus, ut Listero assentiamur; uti eam nec libero sculptoris arbitrio, sed exquisitæ sacerdotum curæ adscribendam esse existimamus. Neque enim promiscuus herbarum in sacrificiis fuit usus; uti nec omnes pro sacris fuere habitæ. Verbena autem præ cæteris sacra dicta, Græce περίφων ἱερός, a Festo *Sagmen* quasi sacrum germen. Nam ea in expiationibus suspensa, & tanquam amuletum quoddam fuit commendata, imo verrendis etiam Jovis aris adhibita, unde & nomen vide-

rur accepisse. Sed quæ in olla repræsentatur herba, uti nihil quicquam verbenæ habet, ita nec nymphæa est. Sagittaria autem videtur nobis, tum ob foliorum formam tricuspidem, & telo similem, tum quia contra telorum ictus conducere, vulneraque sanare fuit credita. Sed & ista conjectamus tantum, facile aurem rectiora monentibus docentibusque præbituri.

THE METHOD AND MEANS OF ENJOYING health, vigour, and long live, by Ev. Maynvvaringe M.D.

i. e.

Methodus modusque sanitate, vigore, & longævitate fruendi, auctore E. Maynvvaringo M. D.

Londini 1683. in 8. apud D. Nevvman.

Libellus hic, bis jam olim sub titulo *the preservation of health and prolongation of life* editus, tertium hoc anno, sed multo auctior, ex prælo prodiit. Ejus summa hoc est. Quemadmodum via in sanitate considerandæ veniunt, ejus nempe ratio ac causæ, effectus item atque commoda, media denique eam conservandi: ita primum de sanitatis natura ac effectibus agit auctor, inde morbos ac statum valetudinarium ejusque molestias exponit, tandemque methodum sanitatem tuendi aggreditur. Et hanc quidem in rerum non-naturalium potissimum moderamine, seu usu naturæ legibus congruo consistere supponens, eum primo generaliter describit; hinc ad specialiora descendens, aëris varias conditiones recenset, harumque selectum commendat, ita quidem, ut e. g. iis qui affectibus thoracis laborant, eum mutare suadeat, simulque cur nonnunquam civitates magnas deserere & ruri vivere cogantur infirmiores, disquirat. Quo facto, ciborum variam substantiam, quantitatem, tempus eos assumendi &c. explicans, de eorum condimentis, variisque generibus prolixe disserit. Potulentorum diversa genera postquam enumeravit, aquam illorum omnium optimum, ac naturæ nostræ maxime conveniens quinque argumentis nititur evincere; vinum non ut potum ordinarium & quotidianum, sed mentis exhilarandæ corporisque roborandi causa tantum propinans. Decoctum Coffée quid præstet, & quibus subjectis conveniat, declarat; ad quæstionem vero, num interdum e. g. singulis mensibus inebriari conducat, negative respondet. De motu & quiete, somno & vigiliis, excretionibus & retentionibus limitandis temperandisve ubi egit, quædam de constitutionum ac temperamentorum varietate immiscet, quæ quia a dieta & digestionibus diversis dependent, secundum eorum differentiam dietam mutare jubet. Hinc ad passiones animi progressus, modum quo ab iis corpus afficiatur determinat, earumque in hoc varios effectus enumerat.

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipsiæ
Calendis Novembris, Anno M DC LXXXIII.

ΑΡΠΟΚΡΑΤΙΩΝΟΣ ΛΕΞΙΚΟΝ ΤΩΝ ΔΕΚΑ ΡΗΤΟΡΩΝ,
HARPOCRATIONIS LEXICON DECEM ORATORUM, cum latina versione & Philippi Jacobi Maussaci ac Henrici Valesii Notis editum a Nicolao Blancardo.

Lugduni Batavorum 1683. in 4. apud J. a Gelder, & J. A. de la Font.

VAlerius Harpocration Rhetor Alexandrinus inter alia monumenta ingenii studiique, quæ injuria temporum interciderunt, *Lexicon* posteritati reliqvit: collectis in unum e decem præstantissimis Græciæ oratoribus, Antiphonte, Andocide, Lysia, Isocrate, Isæo, Æschine, Lycurgo, Demosthene, Hyperide & Dinarcho, præcipuis eorum loquendi generibus; ubi simul supremorum Atticæ magistratuum monumenta, ritus & leges exposuit, deque jure Athenienſium & Lacedæmoniorum civili ac sacro, de variis item totius Atticæ locis, gentium moribus institutisque, & nominibus virorum propriis, in quorum manibus diu rerum Atticarum administratio fuit, quæ alibi non reperiuntur attulit. Insigne hoc Græcæ eruditionis monumentum primus Venetiis sub initium superioris seculi luce donavit Aldus Manutius, idemque post elapsos, a prima editione, res & viginti annos, cum Asulano eam iteravit: nec repertus est intra integrum quasi seculum quisquam, qui mendis, trajectionibus & lacunis, quibus utraque Aldina laborabat editio, auctorem liberaret, donec eruditissimus juvenis Philippus Jacobus Maussacus gemino codice, altero

manuſcripto, altero excuſo quem Pithœus variis lectionibus e Vaticano (ubi & ipſe codices excuſos contulit, ut e Diſſert. Critica p. 379 apparet) peritis inſigniverat, adjutus, ingenio autem felicissimo & ſtudio inexhauſto fretus, medelam corrupto inique plurimis mendis eubanti operi tulit, ſanumque ac integrum textum conſtituit, emendationis & reſtitutionis omiſſorum, corruptorum, disjectorumve locorum rationem in Notis reddens; & ſic adornatum Lexicon hoc Pariſiis anno 1614 in publicum emiſit, adjecta *Diſſertatione critica* perquam erudita, in qua de auctore hujus Dictionarii, & de vera antiquis uſitata conſcribendorum Lexicorum ratione, primis eorum auctoribus & generibus, quid ea a Gloſſis differant, de Oratorum lexicis & eorum collectoribus, cumprimis vero hoc Harpocrationis opere: perro de Grammatica ejusque variis diviſionibus & nobiliſſima parte Critice copioſe & eleganter disquirit: variorum auctorum, Tertulliani, Demoſthenis, Capitolini aliorumque loca illuſtrat, Scriptores quosdam recentiores notat, & de Etymologico magno, Heſychii item, Suidæ & Varini Phavorini Lexicis lectorem inſtruit. *Notæ* in emendatione ipſius Harpocrationis & ejus æque ac aliorum veterum Scriptorum illuſtratione, depravatorumque locorum reſtitutione occupantur: ad quas anno ſequenti 1615 *appendicem* attexuit, & Salmaſio dedicatam Notis ad Plutarchi de fluviorum & montium nominibus, ac Pſelli de lapidum virtutibus libellos Toloſæ excuſos ſubjecit. Quam ipſis Notis textui ſubſtratis inſeruit, latinamque interpretationem quam ipſe primus adornaverat, eidem adpoſuit, Indicesque adjecit, qui Harpocrationem denuo edidit Nicolaus Blancardus: ſeorſim in poſtremam operis partem ſeponens doctiſſimas *Henr. Valeſii* ad Harpocrationem & notas Mauſſaci *annotationes;* quas a doctiſſimo Jacobo Gronovio ex Bibliotheca Guilielmi Prouſteau ſuperiori anno editas in Actis ſextilibus iſtius anni p. 250, 251 enarravimus.

LA GNOMONIQUE, OU L'ART DE TRACER des Cadrans ou Horloges ſolaires, &c.

Hoc eſt,

Gnomonica, ſive ars ſuper quacunque ſuperficie diverſis praxibus deſcribendi ſciaterica:

Au-

Autore Domino de la Hire, Regiæ ſcientiarum Academiæ.

Pariſiis 1683. in 12. apud Stephanum Michalet.

QVæ pro varia planorum ſuorum ad planum Horizontis inclinatione varie, ſed prono in errorem notabilem lapſu, conſtruuntur Sciaterica, ea Clariſſimus Autor, nullo declinationis habito reſpectu, ſuccincto hoc Tractatu indifferenter univerſaliterque deſcribere docet.

Partes operi duas, duo linearum, ex quibus Horologia hæc conſtant, genera fundamentalium & horatiarum faciunt: quarum utraque Problemata ſua ex diverſis datis diverſimode deducit, adjunctaque ubivis demonſtratione praxin ipſam firmat.

Prima pars exordium ſumit a Definitionibus circulorum Sphæræ, qui conſtructioni Horologiorum inſerviunt: poſt partibus Sciaterici breviſſime deſcriptis, modos exhibet ducendi lineas, horizontalem, ſubſtylarem, æquinoctialem, meridianam; centrum item Sciaterici, axem, punctaque ſex horarum ſuper linea æquinoctiali & horizontali, ponendi aut determinandi.

At cum omnes hæ operationes, ab umbræ puncto, quod ſtyli ſuper plano Sciaterici erecti extremitas ſive apex deſignat, tanquam a primo principio procedant; idem vero hoc punctum exacte definire ob penumbræ fallaciam res plane ſit ardua: difficultati huic tollendæ duplex commendat remedium. Horum primum ſimpliciusque eſt, ut applicato extremitati ſtyli centro laminæ rotundæ, plano Sciaterici parallelæ, centrum umbræ a lamina fuſæ pro exacto umbræ puncto accipiatur.

Quo porro cum delectu modi ſupra memorati adhibendi, Autor Lectorem a limine Partis ſecundæ inſtruit: in qua deinceps circa lineas horarias, Aſtronomicas, Italicas & Babylonicas, arcusque ſignorum Zodiacalium ducendos, & Horologium reflexum delineandum occupatur. Deſinit tandem in tradendo uſu Tabularum binarum adjectarum, quarum prima declinationes ſolis ad ſingulos annorum 1681, 82, 83. & 84 dies; altera latitudinem Urbium celebriorum & longitudinis a Pariſina differentiam exhibet.

Subnectitur opuſculo brevis recenſus operis abſoluti de ſectionibus Conicis, typorum operas jam fatigantis: in quo Autor præter ea,

quæ huc usqve circa hoc argumentum ab aliis detecta sunt, nova sua plurima, quorum gustum publico subinde dederit, peculiari præcipuarum demonstrationum methodo, cujus specimen ab anno 1675 jam extet, per novem libros digesta, promittit. Seriem operis & summa librorum singulorum capita B. Lector inde petet; pleniorem vero ex Actis futuris relationem, quamprimum luci publicæ expositum, juris nostri futurum est.

LA CRITIQUE DE L'ORIGINE DE L'AUGUSte Maison de France, par le R. P. Adrien Jourdan, de la Compagnie de Jesus.

i. e.

ADRIANI JORDANI SOC. JES. CRITICA, de origine Augustæ Familiæ Regum Galliæ: dedicata Ser. Principi Condæo.

Paris. 1683. in 12. apud Sebastianum Cramoisy.

QVæ difficultates studio Genealogico ex defectu veracium & accuratorum Historicorum, & per fraudes falsa documenta supponentium objiciantur, questi jampridem sunt docti & sinceri Autores, qui summorum Principum stirpes enarrandas sumserunt. Inter hos non contemnendum locum ob eruditionem & diligentem veterum monumentorum perscrutationem sortiri censendus est, qui Criticam hanc disquisitionem composuit, & Historiam Galliæ an. 1679 a se editam, cujus summa in *Diario Eruditorum Parisiensi 3 & 24 illius anni* exhibetur, adversus dissentientes circa Regum Genealogiam defendit. Inter hos honorifice nominat Ducem Espernonium, qui de vera origine tertiæ Regum familiæ librum *Diario Paris. 6, a. 1680* recensitum, Gallice edidit, ejusque comitatem celebrat, quod cum refutare sententiam suam decrevisset, argumentorum consignationem sibi communicaverit. Eo itaque, ut sperat, non ægre ferente, ad dubia respondet, & judicium Condæo Principi, non minus ob acre de studiis, elegantioribus judicium, quam armorum gloria eminenti submisse defert. Quæstionis capita duo sunt; tot etiam tractatus partes. Agitur primo de majoribus *Arnulphi*, quem *Sanctum* vocant, a quo per

Pipi-

Pipinum secunda Regum Galliæ stirps, nempe *Carolina*, communi fere consensu Gallicorum scriptorum, deduci solet. Dein de majoribus *Roberti* Comitis Andegavensis, cognomento *fortis*, disceptatur, ex quo Hugo Capetus, Regum, qui nunc Gallis imperant, progenitor descendisse creditur. Variatum esse de utriusque, Arnulphi nempe & Roberti origine, mirum videri nemini potest, qui & barbariem illorum seculorum considerat, & scriptorum, ex quibus historia eruenda est, ruditatem, aliosque defectus, in quibus examinandis accuratus & sedulus est Jordanus; ut & in allegandis & conciliandis eorum dictis, quos pro sua sententia, quam rejectis aliis stabilire intendit, facere arbitratur. Summa est: Arnulphum ex prima Galliæ Regum familia ortum habuisse, quæ ante Carolinos imperavit, & vulgo *Merovæa* dicitur; Robertum vero ex eodem Arnulpho descendisse; Unde conficitur, unam eandemque stirpem esse, quæ jam per quindecim secula Regno Galliæ potita est, quam gloriam nulla toto orbe regnans familia sibi asserere possit. Argumenta quibus isthæc adstruit, & quomodo refutet objecta, enarrari per compendium non possunt, nisi haud multo brevius ipso tractatu facere vellemus. Adscribemus tamen seriem Regum & Principum, quam a se erutam aut comprobatam Autor fini tractatus subjunxit, & singulis ubi opus est, adjiciemus observationes quasdam ex tractatu excerptas.

FRANCUS. Ita Francorum Rex aut Dux, eodem nempe, quo gens, nomine vocatur, qui tertio a nato Christo seculo Gallias invasit, imperantibus Valeriano & Gallieno.

GENEBAUDES. Maximiani & Constantini tempore.

MALLOBAUDES. Constantii, Valentis & Gratiani;

PRIAMUS. Valentiniani & Theodosii:

MARCOMIRUS. circa eadem tempora.

PHARAMUNDUS. Hunc, quem extitisse recentiores quidam dubitant, multis rationibus & vixisse, & Marcomiri filium fuisse statuit, quem juvenem pater Honorio Imp. obsidem dederit, cuique post occisum ab Honorii Duce Castino Theodemarum, Francorum in Belgica regnum delatum sit. Firmat hæc ex Chronico Prosperi (alius a S. Prospero,)

no,) cujus fidem adversus Duc. Espernonium defendit,& Petri Bibliothecarii,ex quo contraria adducuntur, elevat. Ex eodem Prosper, digressione facta, de hæresi *Prædestinatianorum* quædam inserit, suæ Societatis gratia, adversus æmulos, quos Jansenistas vocant.

CLODION. Tempore Valentiniani III. Huic successisse plerique scribunt *Meroveum*,a qvo *Merovingii*, prima Regum stirps nomen sortita est,nec dissentit autor, sed filium Clodionis fuisse negat,privignum tamen facit,qui filio Clodionis impubere extruso regnum occupaverit,Romanorum Duce Aetio, cui contra Attilam suppetias tulit, adjuvante.

SIGIMERUS. Hic Sidonio Apollinari, illustri viro, & Arvernorum, cum senex esset, Episcopo (cujus libri extant,) memoratus, ab Autore dicitur Clodionis filius fuisse, & uxorem duxisse filiam Tonantii Ferreoli Præfecti Prætorio Galliarum, qui genererat Imp. *Aviti*. Alii Sigimerum hunc Burgundum aut Visigothum faciunt, quos refellit Autor, & sententiam suam ex *Prisci Rhetoris*,aliisque testimoniis, & argumentis adstruit; silentium vero Autorum, qui regnante & præpollente Meroveo, ejusque liberis, metu aut neglectu tacuerint, utcunque excusat.

FERREOLUS. Huic nomen ab avo materno, ut sæpe fit, contigisse ait, uxorem vero Clodovæi Gallorum Regis filiam, dein secundo matrimonio aliam Romanæ,ut conjicit,stirpis Deuteriam sive Ætheriam. Alii, & ex recentioribus Buchetus, Ferreolum hunc, Ferreoli Tonantii filium faciunt.

ANSBERTUS. Ferreoli (ut autor asserit) filius ex secundo matrimonio,qui tamen Imperatoriæ stirpis fuisse dicitur, sed ut autor existimat, non ex paterna linea, verum ob aviam, Aviti Imperat. neptem.

Fra-

Fratres habuit *Aigulphum* Metensium, & *Firminum* Uticensium in Aquitania, Episcopos, sanctitate celebres. Uxorem ei assignat, idque prolixe adversus dissentientes tuetur, Blitildem Clotarii I. Gall. Regis filiam, ex qua natus sit *Ferreolus Episcopus Uticensis*, hic quoque sancti cognomentum adeptus.

ARNOALDUS. Sigeberti I & Guntrami Gall. Reg. tempore claruit, uxoremque habuit *Odam*, illustrem ex Suevis fœminam, qua mortua, Episcopus Metensis factus est, in locum S. Aigulphi patrui.

ARNULPHUS. Clotarii II. & Dagoberti temporibus vixit. Rejicit autem autor Chifletii, Bucheti, & aliorum opiniones, per quas Arnulphus vel ex Meroveo deducitur, vel ex Gallica, non Francica stirpe, contra decus Francorum gentis: ostendit etiam falsitatem Chartarum, quas Leodii & Divione nuper inventas quidam allegarunt. Hæc parte prima habentur; sequentia in secunda.

ANCHISES. Arnulphi filius, qui nomen ex occasione fabulæ de Trojana Francorum origine traxerit, (rectius fortasse Ansegisus scriberetur.)

PIPINUS. *De Heristallo* cognominatus, magister Palatii regii Gallis scriptoribus illius ævi satis memoratus.

HILDEBRAND9. Multa de hoc dubitatio est. Chifletius Longobardum fuisse tradit, quem acriter refutat Jordanus, & hunc Hildebrandum Caroli Martelli fratrem, Pipini, qui Caroli M. parens fuit, patruum, fuisse asserit.

NIBELONGUS. Comes *Matricensis*, (locus nunc ruderibus & oblivione sepultus in Neustria) Caroli M. tempore.

THEODEBERT9. Ludovici Pii tempore vixit, & secundum autorem uxorem duxisse fertur, Pipini Regis Aquitaniæ filiam Ingeltrudim.

ROBERTUS. Hic demum est, qui Caroli Calvi tempore Co-

Comes Andegavenſis fuiſſe, & ob bellicam virtutem *Fortis* cognomen meritus eſſe dicitur, cui primam uxorem *Agaven* Comitis Bituricenſis filiam autor aſſignat; alteram vero *Adelaidem*, viduam *Conradi*, qui frater erat *Juditha Imperatricis*, ex qua *Odonem* & *Robertum* genitos, tradit, qui Reges Galliæ fuerunt. Rejicit diverſas opiniones, præcipue eam, quam plerique aſſeruerunt, quod Robertus hic Saxonici generis fuerit, a *Witechindo* Magno ortum habens. Minime id probabile eſſe ait, quod in tanta Illuſtrium Francorum eo tempore multitudine, externæ originis homo, ad eam claritatem pervenerit, ut ejus filii ad regnum Francicum eveherentur, neque peregrinitatem hanc ab adverſariis ſilentio tranſmiſſam fuiſſe credi poſſe, cum alia objicerent. De origine erroris conjecturam affert, de *Saxiaco* in Biturigibus tradu, cujus dominium ad Robertum forte pervenerit. Probato igitur, (ut probaſſe ſe arbitratur Jordanus,) quod Robertus ea quam referimus progeniitorum ſerie, ex Arnulpho, & hic ex Pharamundo genus paternum habeat, neque dubitetur, quod Roberto filius *Robertus* Galliæ Rex, nepos *Hugo* comes cognomento *Magnus*, pronepos *Hugo Capetus* fuerit; demonſtratum utique erit ab autore, quod demonſtrare voluit, nempe Regiam, quæ nunc floret, ſtirpem eandem eſſe cum Carolina, & hanc eandem cum Merovæa, adeoque falſa eſſe, quæ alii ſive ex autoribus erantibus, aut male intellectis, ſive ex chartis ſuppoſititiis (quales multas in ſcriniis reperiri, aut hodie quoque fingi queritur) ſcripſerunt aut crediderunt.

DOUTES DE MR. BERNIER SUR QUELques uns de principaux Chapitres de ſon Abregé de la Philoſophie de Gaſſendi.

Dubia Dn. Bernier, de principalibus quibusdam capitibus ſuæ Epitomes Philoſophiæ Gaſſendi.

Pariſiis 1682. in 12. apud S. Michallet.

SUnt quædam Philoſophiæ capita tot tantisque difficultatibus obnoxia, ut iis ſe vix quisquam, quantumvis ingenio & experientia rerum naturalium plurimum pollens, ſatis feliciter expediat. In horum numerum referri debent celebres illæ Phyſicorum controverſiæ de ſpa-

Spatio, Loco, Motu, Tempore ac similes, quas dum pertractamus, facile quidem est, in aliorum placitis, quid displiceat invenire, difficillimum autem eadem corrigere, quin rursus aliorum censuram incurramus. Quod cum Eruditissimus Gallus *Dn. Bernier*, qui ante aliquot annos Epitomen Gallicam Philosophiæ Gassendi edidit, agnovisset, iisque difficultatibus ne quidem per Epicurea Gassendi principia satisfieri inveniisset, voluit is, antequam latinam Epitomes suæ versionem literato orbi offerret, dubia quædam proponere, ac Eruditorum super ista sententiam scripto publico rogare. Monet autem in præfatione ad Lectorem, ista dubia non concernere Philosophiæ Epicureæ fundamentum (quod ipse pro immoto ac fixo habet, ut credat, neminem physicorum alii hypothesi, nisi isti de atomis & vacuo corporibus interspersо, satis firmiter inniti posse) sed tantum certas quasdam materias, quæ nihilominus in rerum naturalium contemplatione accuratius considerari mereantur.

In ipso opusculo hunc ordinem Autor servat, ut post propositum quodque caput, dubiam primo Gassendi sententiam, deinde argumenta, quæ istam evertant, proponat. Initium fit a *Spatio*, quod Gassendus, uti aliunde notum est, tanquam infinite extensum, æternum, immobile ac incorporeum, ita ut ejus dimensiones penetrabiles, in partes tamen divisibiles sint, describit. Cumque ex his sequatur, spatium a DEO independens ac increatum esse; absurdum autem sit, rem ullam præter summum ac immutabile Numen a seipsa existere: hinc asserit porro idem Philosophus, spatium tale nec substantiam esse nec accidens, imo nec positivum quid, esse tamen rem veram suo modo, quæ negative vel exclusive concipi debeat, interim non dependeat a sola imaginatione, sed ante omnem humanæ mentis actum existat. Post enarratam hanc Gassendi sententiam, profert Autor quasdam rationes, quæ persuadeant, spatium esse non nisi merum nihil. Quia vero de his e celebri controversia de spatiis imaginariis inter Conimbricenses, Fonsecam, & Suarezium, ac inter nostros etiam Theologos dudum agitata constat, hinc eas speciatim hic enumerare supervacaneum fuerit. Difficulter certe res præter Deum æterna, independens, immensa ac incorruptibilis admittitur; absurde eadem incorporea, & in partes tamen divisibilis dicitur. Physicum denique non decet admittere ens, quod ipse nec videt nec palpat, nisi ra-

tiones sat evidentes id demonstrent. Haec fere sunt momenta eorum, quae Gassendo ab Autore opponuntur.

Finita consideratione *spatii*, pergitur ad *Locum*, quem Gassendus vocat *spatium, quod a quovis corpore occupatur*. Dn. Bernier vero in dubiis annexis Aristotelis sententiam propugnat, ceu clariorem & faciliorem. Rejicit tamen Peripateticorum commune assertum, quod locus sit immobilis, ac ostendit nullam esse absurditatem, si res immota mutare locum dicatur, modo aliter definiatur motus, ac vulgo fieri solet. Pro inconveniente etiam non habet, affirmare, quod, si res quaepiam extra mundum in vacuo esse concipiatur, ea in loco omnino non sit.

Inde fit ad *motum* progressio. Eum Gassendus dicit *translationem rei ex loco uno in alium*. Dn. Bernier generatim probat, & inutile, & periculosum esse modos rerum definire. Inutile, quia modi sint satis per se clari ac evidentes, & in explicanda rei cujuslibet natura pro notioribus habeantur. Periculosum, quia modorum definitio facile quempiam seducat, ut rerum modos cum rebus ipsis confundat, & modis esse quoddam verum ac positivum affingat. His praemissis, speciatim Gassendi, Aristotelis, & Cartesii descriptiones motus aggreditur, &, quid quaeque incommodi secum ferat, ostendit. *Celeritatem ac lentorem motuum* Gassendus ab interspersis & admixtis morulis deducit. Bernier ad id, quod modo de affectionibus entium non definiendis dixerat, recurrit, motumque & quietem obliquitati ac rectitudini rerum comparat, quibus intelligendis non opus sit descriptione. *Motum corporum projectorum* idem explicatu haud difficilem esse affirmat, quippe cum modus sit aut certa ratio existendi, quam res quaevis tamdiu servet, donec ab alio corpore eadem privetur. *Percussionem duorum corporum* ita interpretatur, ut cum iis, quae vulgo afferuntur, satis conveniat. Quomodo autem globulus ferreus incudi incidens resiliat, id accuratius sibi explicandum sumit. Negat enim tributi hunc affectum debere partibus incudis & globuli, quae vehementia casus inclinatae postmodum cum impetu instar arcus resiliant ac se invicem impellant, cum experientia probet, follem distensum atque aere plenum, si manu contra tabulam marmoream prematur, nunquam resilire, quantacunque celeritate digiti inde referantur. Potius igitur globuli illam reflexionem ita contingere colligit, ut particula A, quae in extremitate globuli esse, ac prima

omnium

omnium incudem tangere intelligitur, pressa retrocedat, ac eo ipso moveat partem alteram B, hæc rursus aliam C, donec ad ultimam Z perveniatur, quæ communicato ab aliis partibus impetu resiliat, omnesque partes totius globi secum quasi ligatas abripiat, ut ita globus sursum feratur. *Actum resiliendi* corporum, quæ prius vi incurvata fuerant, velut baculi, laminæ ferreæ, aut arcus, Gassendus ita explicat, ut statuat, unicum esse eorum motum ex inclinatione & reflexione compositum. Autor vero huic sententiæ opponit casum, quo corpus v.g. baculus per duas tresve horas ita teneatur inclinatus, vel alligetur etiam, ut nonnisi post aliquod tempus relaxetur: & inde colligit, quum hoc pacto motus inclinationis a motu reflexionis tempore separatus sit, non posse motum quendam ex utroque compositum admitti.

Pertractatis omnibus, quæ de *motu ejusque speciebus* dici possunt, devenitur ad *tempus*. Huic *Gassendus* easdem proprietates tribuit, quas antea *spatii* esse dixerat, & in eo solo unum ab altero distinguit, quod *temporis* partes sibi invicem succedant, *spatium* autem omnes simul habeat. Hoc sensu *tempus* ipsi est *extensio incorporea successiva*. *Bernier* facto inter *durationem* & *tempus* discrimine, negat *istam* definiri vel posse vel debere, eo quod vox ipsa significatum suum satis clare exprimat, modum videlicet rei cuilibet essentialem, & ab ejus existentia inseparabilem. *Tempus* autem vocat *aliquam durationem determinatam, quæ tanquam cognita & evidens pro mensura serviat, alias durationes longiores & minus notas exacte cognoscendi*. Unde infert, si nullus omnino motus in hoc universo daretur, & nihil præter rem unicam immobilem esset, illam quidem rem duraturam, nullum tamen tempus fore, quod hanc ejus durationem actu metiatur. Interim non negat, facta ista hypothesi, rei istius in mundo unicæ durationem talem concipi debere, ut potuerit respondere tempori finito, si aliquando cœpisset, aut infinito, si ea semper durasse supponeretur. *Æternitatem Gassendus* vocat *durationem mensuratam, quæ initio & fine caret*, nec alia ratione vult eam a tempore distingui, nisi quod æternitas infinita sit, *tempus* autem, juxta vulgarem hujus vocis acceptionem, ejus tantum aliqua particula. *Autor* noster *durationem DEI* seu continuatam ejus existentiam putat æternam dici, non quod ipsa e temporibus infinitis componatur, seu iis-

dem respondeat, cum ante mundi creationem nullus fuerit motus, adeoque nullum etiam tempus, sed quod talis sit ad differentiam rerum creatarum, ut, si infinitæ fuissent durationes, ipsa his potuisset mensurari.

Sub opusculi finem Autor dubiorum par subjicit, quorum unum atomos concernit, alterum vacua atomis interspersa. Primo dubitat, an *celebri & ordinaria objectioni, qua atomorum existentia impugnatur, recte a se sit satisfactum?* Objectionis illius hæc est summa: *Particula atomi A, quæ Orientem spectat, non est ista B, quæ Occidentem versus est. E. hæ particulæ sunt realiter distinctæ, & per consequens separabiles.*

Hic Autor negat separabilitatis verum ac genuinum signum recte dici realem partium distinctionem, & asserit, id omne inseparabile esse, cujus partes, utut realiter distinctæ, vi separanti non cedant, sed ita duræ ac compactæ sint, ut eidem resistant.

Ad instantiam, quod partes atomi possint, si non per alterius corporis introductionem, quam atomi durities impediat, saltim per diversos motus partium, quibus una huc, altera illuc trahatur, separari, respondet Autor distingui debere corpora contigua a continuis; falsum esse, quod non nisi contigua in mundo dentur; motum quoque velocissimum non esse semper separationis causam, cum pulvis adamantinus, ut ut raptissime motus, nunquam dissolvatur. Ultimo loco Autor vulgare argumentum Lucretii a motu desumtum, *quod ad probanda vacua illa spatiola inter corporum partes solidas intercepta* urgetur, affert, idque Eruditorum censuræ subjicit.

Quæ omnia, utut maximam partem, e disputationibus hoc seculo inter Philosophos summa contentione habitis, nota sint, prolixius tamen hic referenda putavimus, quoniam Autor Doctos invitavit, ut suum sibi judicium de rebus propositis communicent, ac decernant, num dubia ejus rationi & naturæ rerum satis sint consentanea.

LES IMAGINAIRES, & LES VISIONNAIRES. Traité de la foy humaine. Jugement equitable tiré des œuvres de S. Augustin. Lettre de M. Nicolas Pavillon Eveque d'Alet, a M. Hardouin Perefixe, Archeveque de Paris.

id est,

id est,

Epistolæ Imaginariæ & Visionariæ. Tractatus de fide humana. Judicium æquum ex operibus S. Augustini extractum. Epistola Nicolai Papilionis Episcopi Aletensis, ad Hardovinum Perefixum Archiepiscopum Parisiensem.

Coloniæ 1683, in 8.

QUæstionem summa vehementia inter Jesuitas & Theologos quosdam Lovanienses primum, dein Parisienses, eosque omnes Romano-Catholicos, de libro *Cornelii Jansenii Episcopi Yprensis*, post mortem tamen ejus edito, cui titulus est *Augustinus*, plurimis annis agitatam, neque decretis Pontificiis, neque Regiis, sopiri hucusque potuisse, semperque in nova inter partes odia erumpere, notum est omnibus, qui non ignari sunt rerum, quæ in Republ. sacra & literaria geruntur. Prævaluerunt eatenus Jesuitæ, qui sibi SemiPelagianismum a Jansenio imputari ægerrime ferebant, ut & quinque propositiones Jansenio imputatæ, a Pontifice Innocentio X damnarentur, & formulæ a Pontifice & Episcopis Galliæ præscriptæ proponerentur, ad quarum subscriptionem sub excommunicationis pœna, doctores & pastores, etiam monachi & monachæ, testandæ erga Pontificium decretum obedientiæ causa, adigebantur. Maluere tamen quidam Theologi, & ex sacris virginibus illæ, quæ Lutetiæ monasterium *Portus Regalis* incolebant, extremum censurarum rigorem pati, quam formulis illis subscribere, non quod circa dogmata dissentirent, sed quod quinque propositiones in Jansenii libro non reperiri, atque adeo Pontifici in iis excerpendis fucum factum esse contenderent. Agitabatur itaque controversia jam non solum de *gratia sufficienti, efficaci, necessitante*, aut de disciplina Ecclesiastica a Confessionariis exercenda, quam relaxari a Jesuitis querebantur Episcopi & Pastores ordinarii; neque de *probabilitate*, qua conscientiis consultum putant Jesuitæ; sed vel maxime de infallibilitate Ecclesiæ, sive Pontificis, quam utraque pars in dogmatibus suo modo agnoscit, sed in quæstionibus facti, Theologi, totusq; præter Jesuitas, Clerus Gallicanus, negant. De prioribus controversiis plurima extant partium scripta, inter

quæ maximam offensam concitarunt *Literæ Provinciales*, quibus moralis Jesuitarum disciplina exagitatur. At aliæ de infallibilitatis quæstione tractantes, editæ sunt jam olim anno 1664, 1665, & 1666 singulatim, sed in unum volumen aut nunc congestæ, aut recusæ, quibus *Imaginariarum* & *Visionariarum* titulum autor fecit, sive is *Antonius Arnaldus*, ut plerique putant, sive alius sit, doctus certe & facundus.

Distributæ autem sunt in duas partes. Prima est *Imaginariarum*, quas ita nominat autor, quia de hæresi imaginaria, sive falso imputata queritur. *Epistola prima* ostenditur, futilem & levissimam esse controversiam, utrum nempe propositiones illæ quinque in Jansenii libro reperiantur, nec ne? Comparat cum hac lite illas, quæ de *cuculli Franciscani* mensura, & de proprietate panis, quem monachi illi comedunt, & de qua constitutiones *Joh. XXII* inter *extravagantes* leguntur, superioribus seculis, magna mole, nec sine sanguine actæ, at nunc vel obliteratæ vel risui expositæ sunt. Unde conjicit autor, totam hanc de Jansenio concertationem brevi tempore eodem modo expiraturam.

Secunda Ferrerio Jesuitæ Tholosano opposita est, qui de *Idea Jansenismi* tractatum ediderat.

Tertia originem & progressum disceptationum inter Theologos & Jesuitas enarrat, ab Anno 1626 usque ad Annum 1664. Nempe *Garassi* Jesuitæ & *Abbatis Sancyrani*; tum inter *Smithum*, quem *Urbanus VIII* Pont. in Angliam Episcopum miserat, & Jesuitas illius regni, de hierarchia seu Episcoporum autoritate, & de Sacramenti, quod vocant, Confirmationis necessitate. Refertur etiam, quemadmodum pro Episcopis scripserit *Petrus Aurelius*, vel ut creditum est, sub hoc nomine, *Sancyranus*, approbante *Clero Gallicano:* damnati vero fuerint, qui contrarium tuebantur, Jesuitarum, *Celoti* inprimis, libri. Porro, ut edito ab *Arnaldo*, pro *Sancyrano*, & ad improbandam Jesuitarum circa disciplinam & absolutiones methodum, libro *de frequenti communione*, tota fere Societas excitata, hæreseos inculpaverit autorem, calamumque acerbe strinxerint *Brisacerius*, *Seguinus*, *Meynerius*; damnati tamen Romæ fuerint *Biroti* Jesuitæ, & *Caramuelis* Episcopi, *Apologetici* pro *Casuistis*; approbati vero libri *Antonii Merendæ* Bononiensis, & *Prosperi Fagnani* Prælati Romani, in quibus probabilitas,

babilitas, a Jesuitis defensa, pro commento diabolico traducitur. Narratur denique, ut librum Jansenii primo *Lovanienses* Jesuitæ, dein *Habertus* quidam, concionator Parisiensis, aggressi sint, & 40 hæreticas propositiones in illo contineri jactaverint, quæ tandem ad quinque, & quoniam ne hæ quidem monstrari in Jansenii opere potuerint, ad nihilum redierint. Superesse autem jam unicam rixandi ansam, de hac ipsa *quæstione facti*, an nimirum reperiantur damnatæ illæ quinque propositiones in libro Jansenii, nec ne? Negant autem reperiri, nisi primam, (sed in antecedentibus & consequentibus orthodoxe explicatam) & ad inspectionem libri provocant *Jansenii* defensores. Unde efficiunt, Pontifici qui eas inesse decrevit, & condemnavit, subreptum, illumque falsum fuisse, quod impium dictu nunc putent Jesuitæ, obstante licet omnium Theologorum sententia, qui infallibilitatem ad dogmata restringunt. Allegatur exemplum non damnati, examinati licet, ab inquisitionis Tribunali, libri *Georgii Laudensis*, anno 1660 Neapoli editi, in quo Lateranensis concilii decretum contra libellum *Abbatis Joachimi*, de Trinitate, erroris in facto arguitur, quod imputasset Abbati, quæ non scripserit aut senserit.

Epistola *quarta* dubitandum non esse ostendit, quin Jesuitæ, etsi P. *Annatus*, Regi tunc a confessionibus, subtilius loquatur, infallibilitatem Pontificis, etiam in quæstionibus facti, tribuant. Allegat theses & libros, quibus id probatur, cum aperte statuunt, Pontificem tam in quæstionibus facti, quam juris, eandem infallibilitatem habere, quam Jesus Christus habuerit, ideoque ei credendum esse, cum pronunciaverit, quinque Propositiones extare in Jansenii libris; vidisse enim illum oculis Ecclesiæ, & sensum autoris, per illuminationem Spiritus S. penetrasse. Rejiciendum ergo hunc sensum esse, ab iis etiam, qui illum non inveniant, aut capiant. At hanc sententiam, quod Pontifex in factis inspirationes & revelationes divinas habeat, autor epistolæ hæreticam pronuntiat, idque etiam *Eliſaldum* Jesuitam Hispanum, allegato communi doctorum consensu, libro *de natione veræ religionis quarendæ & inveniendæ*, anno 1663 edito, statuere refert.

Epistola *quinta* solatia promit iis, qui formulæ subscriptione recusata, ab Episcopis excommunicabantur, dum injustam excommuni-

municationem non patientibus, ſed inferentibus nocere docet; allegatis plurimis Patribus & Doctoribus, ipſoque Jure Canonico.

Epiſtola *ſexta*, quinto Archiepiſcopi decreto de ſubſcribendo, licet jam omiſſa phraſi, *de fide humana*, mollius loquatur, ſalva tamen conſcientia non magis ac præcedentibus obtemperari poſſe deducit.

Epiſtola *ſeptima* ſanctitatem, licet Gregorii VIII decreto, Pontificibus vi Canonicæ ordinationis tributa ſit, ſucceſſores ipſos ſibi non arrogaſſe monet, veritos, ne cum ſanctitas deficeret, ordinatio in dubium vocaretur; ſed ab adulatoribus aulæ Romanæ inventam poſtea eſſe opinionem, de poteſtate Papæ ſupra concilium in dogmatibus, qua præſidium adverſus Epiſcopos, reformationem in capite & membris poſtulantibus quæſitum fuerit. Jam Jeſuitas, etiam hoc extendentes, infallibilitatem in factis comminiſci, non alio fine, quam ut quidquid ex utilitate ſit, vel ad adverſarios opprimendos conducat, ſtatui poſſit; qua ratione nemo poſthac tutus ſit futurus, quin ſi de verbis convinci nequeat, ex ſenſu, per divinam ſcilicet inſpirationem Pontifici innoteſcenti, condemnari queat. *Bellarminum* opponit, qui expreſſe ſtatuerit, Papam & ſolum, & cum concilio, in controverſiis facti & particularibus errare poſſe. Nec aliter excuſari, quæ objiciantur *Honorio*, *Vigilio*, *Stephano V*, *Sergio III*, qui omnes manifeſte in factis decepti fuerint.

Epiſtola *octava* apologiam habet pro epiſtolis huc uſque editis, quibus objectum fuit, quod contra charitatem peccent, taxando Archiepiſcopum, & alios in eccleſiaſtica dignitate conſtitutos. Summæ enim charitatis opus eſſe ait, injuſte agentes etiam ſuperiores argui, idque exemplo Pauli Petrum reprehendentis, cuivis Doctori orthodoxo licere adverſus Pontificem.

Epiſtola *nona* pro enormi injuſtitia habet, quod virgines *Portus regalis* ex monaſterio ejectæ, carceri mandatæ aliisque modis duriſſime tractatæ fuerint, ab aliis etiam virginibus, quæ lictorum manus in eas exercuerint, ob recuſatam ſubſcriptionem formulæ. Præterquam enim, quod fœminis quæſtio nullius momenti, nec earum captui conveniens, non fuerit proponenda, merito recuſaſſe eas obedientiam in re, quæ divino præcepto, quod falſa aſſeverare vetat, adverſabatur. Hoc enim ſemper præferendum, dictis Scripturæ plurimis firmat, & licet plerique aut omnes injuſtis mandatis obſequantur,

sur, vel unilicere, & summe laudabile esse asserit, si resistat. Confirmat id exemplo *Joh. Caravajalis Cardinalis*, qui *Paulo Secundo* Pontifici, contra juramentum suum & Cardinalium, indebitam subscriptionem exigenti, solus se opposuerit.

Epistola *decima* Christi exemplum proponit, qui non ut Philosophi per argumentorum, quæ paucissimi capiant, ambages & subtilitates, nec per refutationes adversantium opinionum, sed temperamento egregio doctrinam suam ita proposuerit, ut & autoritate sola & nuda non utoretur, Scripturas quippe allegans, atque ita ingenio hominum, qui rationes doctrinæ expetunt, se accommodans: tum debilitati eorum prospexerit, miracula edendo, quibus dicta confirmabat: sic enim a difficillima & impossibili Philosophorum Theologia eos liberasse, & adversus impostura falsorum Prophetarum præmuniviſſe. Inde eodem fere stylo, & argumentorum apparatu, qui in libro *præjudiciorum Arnaldo* tributo reperitur, Ecclesiasticam autoritatem stabilire, & notas quibus vera, id est Romano Catholica Ecclesia, discerni debeat, demonstrare satagit, ut conjectari hinc & ex aliis indiciis possit, eundem harum epistolarum, illiusque libri autorem esse. Monet vero deinde inventa jam semel Ecclesia, ejusque autoritate agnita, non simpliciter credendum esse pastoribus; nam & in media Ecclesia falsos Prophetas extare, idque ad Jesuitas applicare nititur, & condemnatum eos iri tandem a Pontificibus ominatur.

Parte secunda, octo continentur epistolæ, quas *Visionarias* inscripsit autor, quia cuidam nomine *Desmaresis de S. Sorlin*, oppositæ sunt, qui fanaticis opinionibus propalandis famam ante annos hos viginti adeptus est. De hujus libris, & moribus, & quomodo duos Enthusiastas & nugatores alios, Carpium & Morinum, (ex quibus hic supremo supplicio affectus fuit,) secutus sit, dein deseruerit & prodiderit, multa refert, gravi cum querela, quod iste scripta & dicta, manifestæ heterodoxiæ convincenda, impune apud Clerum tulerit, non alia ut putat, indulgentiæ causa, quam quod in *Jansenistas*, & adversus virgines *Portus Regalis*, virulenta convitia sparsisset. Hæc itaque singulatim refellit, præcipue epistola ultima. Sed nec intacta sinit, quæ is impia, aut saltem vana & inepta, in libris suis jactavit, de intimo cum Deo commercio: de exercitu 144000 suæ disciplinæ hominum comparando, quibus victimarum amoris nomen fecit, & per

quos Rex totum fere orbem sub suum imperium & obedientiam sedis Romanæ reducturus sit: item de methodo nova & expedita, scilicet *annihilationis*, qua ad perfectionem vitæ Christianæ & mysticæ perveniri possit. Adversus hæc pie & docte multa commentatus est autor epistolarum, & lectu digna per digressiones tractat, v.g. *Epistola prima* de duplici ratione gratiæ, quam Deus fidelibus suis impertitur, ordinaria & extraordinaria, quam aliqui *orationem mentalem* sive supernaturalem vocant, & de abusu & errore, in quem fanatici veteres lapsi sunt, & novi quotidie incidunt. Addit populari quadam facilitate, *Epistola septima & octava* dissertationes, ex sua hypothesi, *de auxiliis gratiæ*, & quomodo cum his operatio Christianorum in exercitiis pietatis concurrat, in quo rejectis omnibus Enthusiasticis figmentis, tuto & salubriter persisti possit & debeat.

Tractatus de fide humana, decretum *Archiepiscopi Parisiensis*, de quo supra dictum est, plurimis argumentis oppugnat, & distinctionem fidei divinæ & humanæ, aliasque omnes, quibus infallibilitas Ecclesiæ circa facta stabiliri videtur, rejicit. Respondet etiam ad objecta, inprimis ad exemplum *Canonizationis* Sanctorum, quam, etsi diligentissima investigatione peragatur, pia tamen potius præsumtione, quam indubitate credi ostendit, neque hac incommoda Ecclesiæ poscari, aut scandalum hæreticis dari, quemadmodum detur, attribuendo Pontifici & hominibus, quæ solius DEI sunt. Nam quod infallibilitas in dogmatibus Ecclesiæ tribuatur, ex promissione divina, & principiis Scripturæ, & (quod ex sententia Romana addit,) traditionum, pendere, qualis in factis non detur. Neminem itaque ab Ecclesiæ communione repellendum, qui neget non credenda, aut inconsuetam atque intempestivam subscriptionem Formulæ recuset, nec hominum servus fieri velit, assentiendo omnibus, quæ sub talis infallibilitatis a Deo non promissæ prætextu, & per dominationem Episcopis non concessam, obtruduntur. Solis Jesuitis per decreta illa consultum fuisse, ut occasionem haberent persequendi, qui errores eorum in articulo gratiæ, & corruptionem disciplinæ arguerint. Quam facile autem decipi possint Pontifices & Concilia in judicandis factis & personis, exemplis ex historia Ecclesiastica allatis comprobat, neque ante annos decem, id est, antequam Jesuitæ novum de infallibilitate in factis dogma produxerint, ullum fuisse autorem contendit,

dit, qui lapsus illos, v.g. *Honorii*, *Liberii*, & Conciliorum, aliter, quam concessis in facto erroribus, excusaverit. Pluribus dein enarrat, multaque cum libertate, quomodo *Innocentius X* quinque propositiones damnans, tum ignorantia Theologiæ, tum affectibus accusatorum & jussionibus Regiis cedens, deceptus & lapsus sit. Nec veretur dicere, se magis credere in quæstionibus facti, (*Gerson*, olim idem de quæstionibus juris scripserat,) Doctori uni perito & gravia argumenta afferenti, quam Pontifici, ex mala informatione, aut affectibus judicanti. Ita fidem merito se adhibere *Dion. Petavio* Jesuitæ, ob Græcæ Linguæ peritiam, & argumentorum pondera, qui adversus Concilii V, & multorum Pontificum, etiam S. Gregorii, prædecessorum scita bona fide sequentis decreta, *Theodoretum Cyri Episcopum*, a Nestorianismo absolvat, & *Bellarmino*, qui *Eugenii* IV Papæ bullam erroris convincat, qua statuitur, Cardinales non Episcopos, semper locum priorem præ Episcopis non Cardinalibus in Ecclesia habuisse. Invehitur in adulatores, quos diaboli vicem in aula Pontificia præstare dicit, cum eum, attributa infallibilitate in factis, supra humanam conditionem evehunt.

Judicium æquum, brevis est dissertatio, de fugienda temeritate judicandi, sive hæreses & crimina per mendacium, & sine idoneis probationibus, alicui tribuantur, sive defectus minores exaggerentur. Desumta autem fere omnia sunt ex *Augustino*, contra *Donatistas* & *Manichæos* scribenti, ex quo egregiæ sententiæ referuntur, & ad Jansenianam controversiam applicantur, ita tamen, ut in omnibus ejusmodi quæstionibus ad moderationem servandam utilem præstent admonitionem, v.g. cum Augustinus dejis, qui omnia in meliorem partem interpretantur, etsi errent, scribit: *Hic error non modo humanus est, sed & homine dignissimus*. Et de non temere judicando de absentibus & mortuis, atque sic non satis auditis: *Quibus argumentis mortui vel absentis hominis voluntatem ita colligam, ut de illa jurare possim?* item: *Esset ne quisquam tam improbus, qui mihi succenseret, quod bona de homine in re dubia potius existimem, etiam cum male diceret?* & alia plura.

Epistola denique Episcopi Metensis, 7 Novembris 1667 ad Archiepiscopum Parisiensem, decretorum de subscribenda formula autorem, data, breviter & accurate quæstionem de fide humana tractat,

& neminem ad ſubſcriptionem cogendum eſſe ſuadet. Sed notatur, nihil reſponſum ab Archiepiſcopo, multo minus conſilium hoc approbatum fuiſſe. Eſt hic idem Epiſcopus, qui ob Janſenii cauſam, & quod diſciplinam in diœceſi ſua reſtituere, maxime vero eos, qui poſt confeſſionem & communionem ſacram ſtatim in peccata, a quibus abſoluti erant, relabebantur, a Sacramentis arceret, multa paſſus eſſe in tractatu *de fide humana* refertur.

JOH. HEVELII

Hiſtoriola Cometæ Anni 1683.

PLurimi ſine dubio, inprimis ii, quibus Hiſtoria Cometarum non adeo plene cognita eſt, haud parum mirabuntur, quod ab Anno 1680, in tribus ſcilicet annis, tres Cometæ notabiles in cœlo fulſerint; imo ſi accurate loquendum, ſpatio unius anni duo revera exiterint. Nam Anno 1682 a menſe 25 Auguſti ad 17 Septembr. ſatis conſpicuus Cometa luxit; prout ex obſervatiunculis meis, Actis Eruditor. Lipſienſibus menſe Novemb. dicti anni inſertis, videre eſt. Nunc ruſſus priusquam adhuc totus iſte annus effluxit, alius novus exortus eſt, quem a die 30 Julii, ſt. n. ad 4 Sept. ex voto obſervavi, & cujus hiſtoriolam hiſce, amice honorande, brevibus Tibi trado. Verum enimvero non eſt, quod adeo miremur, tres Cometas in tribus hiſce elapſis annis nobis apparuiſſe: cum pluries non ſolum in tribus, vel 4 annis, tres & quatuor illuxerint, ſed etiam ſpatio 5 annorum 5 diverſi, & quidem maxime notabiles: ſicuti ex Hiſtoria mea Cometarum cuilibet patebit. Anno enim poſt natum Chriſtum 837, ad annum 840, tres; (2) ab anno 1312 ad 1315, quatuor; (3) ab anno 1337 ad annum 1340, tres vel quatuor; (4) ab anno 1399, ad annum 1403, quinque; (5) ab anno 1531 ad annum 1533 tres; & (6) ab anno 1556, ad annum 1560 ruſſus quinque in mundi conſpectum venerunt. Inter quos haud pauci horrenda & terribili ſpecie, nec non cauda longiſſima & lucida extiterunt. Inprimis de Cometa Anni 1401 diverſiſſimi Auctores, utpote Lavatherus, Rockenbachius, Eckſtormius, Urſinius & Büntingus referunt, quod fuerit magnus, horrendus, lucidus & clarus; cauda expanſa, ſimili pavonis, comam erectam explicans, ignis flammantis ſpecie, non ſecus ac haſtam radios jaculans; quodque Sole infra

Hori-

Horizontem demerſo propriis radiis effuſis, omnes orbis terminos colluſtrarit, nec aliis Stellis lumen exſerere conceſſerit, aut aerem noctis umbra infuſcari: quod ejus lumen aliorum ſplendorem vinceret, & ad cœli verticem flammam protenderet, quamdiu ſupra Horizontem exſtabat. Sic ut certiſſimum ſit, & alio tempore tres & quatuor Cometas altero ſtatim anno ſe invicem ſubſequutos eſſe, aliudque ſeculum alio, Cometarum multo fuiſſe parcius. Nam plerumque poſt natum Chriſtum, uno Seculo (ſi tantummodo omnes & ſinguli ab Auctoribus fuerint annotati) tantum 10, 12, vel 13 extiterunt; niſi quod ſeculum 13 & 14, Cometas 20 exhibuerit. Hucusque tamen omnium præcedentium ſeculorum nullum plures, quam proxime præcedens, 15 ſcilicet ſeculum, produxit ſtellas crinitas: quippe in quo 40 Cometæ annotati ſunt a fidiſſimis Auctoribus. Hocce vero ſeculum currens 16, hucusque ad menſem Octobr. anni 1683 currentis, tantummodo adhuc 15 ſidera comata nobis in conſpectum dedit. Interea tamen hocce ſeculo inprimis bene notandum eſt, quod intra ſpatium unius ſolummodo anni, quatuor bene conſpicui, utpote Anno 1618 (uti tam ex noſtra, quam aliorum patet Cometarum hiſtoria) apparuerint Cometæ; id quod nullo alio ſeculo unquam extitiſſe legi.

Sed ut ad noſtrum Cometam redeam, atque referam, qua occaſione, quo tempore, & ubinam primum a me viſus, atque obſervatus ſit; ſcias, mi Amice: poſtquam triplicem illam conjunctionem magnam ſuperiorum Planetarum ſatis frequenter, ad Junium usque, cœlo annuente obſervaſſem, accidit ut continuæ pluviæ diesque nubiloſi in menſem usque Julium obſtiterint, quo minus cœlum rite intueri ſæpius potuerim. Die vero 30 Julii aere rurſus depurgato, cum ſpeculam aſcendiſſem, atque ſtellam novam in Collo Ceti quærerem, poſtmodum etiam faciem ad Aquilonem converterem, ex inſperato obtigit mihi nihil tale quid exſpectanti, ut hora veſp. 11. 30′ circiter phænomenum aliquod, eo quidem in cœli loco, ubi nullæ ſtellulæ valde conſpicuæ exiſtunt, nimirum in novo noſtro ſidere, Tigride vel Lynce, quod inter Urſam majorem, Geminos, & Aurigam ſitum eſt, & cujus maxima pars in Cancro conſpicitur, eo in loco in quam Sidus crinitum hic Gedani deprehenderem, caudam haud adeo longam, inter Stellam Polarem, & Caſſiopæam ſurſum cum aliqua inclinatione exporrigens. Conſtituebat lineam rectam cum ſuprema Capitis Auri-

gæ, & dextro humero Perſei, non minus cum ventre Urſæ majoris, & dextro humero Aurigæ; item cum media Caudæ & latere Urſæ majoris. Deinde Tubo 10 pedum arrepto, ſtud y hænomenum contemplatus ſum. Caput quidem ſatis amplum, ſed materia non admodum condenſata erat, ſic ut nullus lucidius nucleus, neque diſtincta corpuſcula, ut quidem alias in plurimis aliis deprehenſum eſt, in eo apparerent. Verſabatur eo ipſo tempore inter tres ſtellulas (ſed Teleſcopio tantum viſibiles,) quæ vix 20 ab invicem removebantur minutis, atque triangulum fere æquilaterum conſtituebant. His annotatis, ſextante diverſas diſtantias iſtius novi Cometæ dimenſus ſum: utpote a lucido latere Perſei, a latere Urſæ majoris, & ab humero Urſæ minoris. Hora 12 fere altitudo ejus erat 19°. 57′: quantæ autem revera extiterint illæ diſtantiæ, hic nimis longum foret recenſere, cum animus tantummodo ſit hac vice breviorem ac generalem hiſtoriolam Aſtrophilis tradere. Reliqua enim omnia, ut & inter quas ſtellulas ſingulis diebus viſus fuerit, in continuatione mearum obſervationum brevi edenda referentur.

Die ſubſequente Saturni, 31 Julii veſp. ab iisdem ſtellis fixis Cometa debite eſt obſervatus, altus cum eſſet hora ſe. 12. 30′, 21°. 28′, qui cum pede Aurigæ & Capella rectam conſtituebat. Cauda erat diluti ſſima ac rarior, quam die heſterna, ſed paulo longior.

Die Solis, 1 Auguſti veſp. hora 11. 30′, Cometa quidem per dehiſcentes nubes Tubo detectus, ſed ob vapores denſiores Inſtrumentis minime obſervatus eſt.

Die Mercurii vero 4 Auguſti mane, rurſus Cometam a Capella, a lucido latere Perſei, a latere Urſæ majoris, & ab humero Urſæ minoris dimenſus ſum; cui 4 ſtellulæ, nudo oculo inviſibiles, adſtabant. Removebatur eo tempore tanto ſpatio a dextro humero Aurigæ, quanto alias diſtat dictus humerus a capite Hædi. Cæterum ſiniſtra Tibia Perſei, Capella, & Cometa rectam referebant. Hac nocte hora fere 2, hoc inprimis notandum occurrit, quod Venus a ſtella fixa 3 magnitudinis, a Ventre ſcilicet Pollucis, non niſi 16′ removeretur Auſtrum verſus, id quod ex Micrometro accurate comperi.

Die 5, 6, mane, item die 11, 12, 14, & 15 veſp. ob Lunæ ſplendorem, nubes, atque vapores non niſi Teleſcopio Cometa obſervatus eſt, accurate tamen omni tempore delineatus, quibus ſtellulis eſſet circum-

cumdatus, & quanto ſpacio ab hac vel illa diſtaret: adeo ut locum Phænomeni nihilominus ex parte cognoſcere potuerim. Cauda vero vix ac ne vix amplius ſub adſpectum veniebat.

Die Lunæ, 16 Auguſti veſp. hor. fere 11, Cometa inter quatuor ſtellulas rurſus verſabatur, quarum una a parte Cometæ ſuperiori, in ipſa conjunctione non niſi 1′ diſtabat; adeo arcte limbo adhærebat: quo tempore ſimul diametrum Cometæ micrometro meo dimenſus ſum, nimirum 6′,5 exiſtentem: inprimis, ut ſucceſſu temporis cognoſcerem, an creſceret, an vero decreſceret? Qua etiam die rurſus diſtantias a Lucida, & ſequente in pede ſiniſtro, nec non a lucido latere Perſei, item a latere Urſæ majoris feliciter impetravi.

Die Mercurii, 18 Auguſti veſp. eædem diſtantiæ ſextante obſervatæ ſunt a Cometa, qui breviſſimam ac rariſſimam caudam inter Capellam, & caput Hædi exporrigebat.

Die Veneris, 20 Auguſti veſp. ex voto iterum diverſiſſimas diſtantias Cometæ a fixis obtinui. Inprimis jucundiſſimum erat, Cometam contemplari inter plurimas, ac lucidiſſimas fixas. Nam utriſque hædo erat viciniſſimus, ita ut cum his triangulum fere æquilaterum conſtitueret, cujus latera fere diſtantiam hædorum (quæ eſt 4,7′ circiter) æquabant. Adhæc Cometa cum Capella & illa in planta dextri pedis Perſei, triangulum æquilaterum, cujus baſis erat diſtantia dictarum fixarum, exhibebat.

Die Martis, 24 Auguſti veſp. capta eſt diſtantia Cometæ a dextro humero Aurigæ, ab Alamac, a lucida in ſiniſtro pede Perſei, & a lucida Tauri: verſabatur inter Capellam & Plejadas, ſic ut a Capella & Plejadibus in eadem fere remotione videretur. Deinde Capella, Cometa, & Plejades; item Alamac, caput Meduſæ, & Cometa; nec non dexter humerus Aurigæ, Cometa, & ſequens ſiniſtri pedis Perſei lineam fere rectam conſtituebant: in hac tamen ultima conſtitutione Cometa paulo infra rectam incedebat.

Die Mercurii, 25 Aug. veſp. eædem antecedentes diſtantiæ obſervatæ ſunt, Cometa exiſtente cum Capella & Capite Hædi in eadem recta.

Die Solis, 29 Auguſti mane, (noctes enim antecedentes erant prorſus nubiloſæ) denuo Cometam contemplatus ſum in ſitu perquam notabili, prope Plejades, ſic ut hora 1. 5′ plurimis minutiſſimis & clariſſimis fixis ſtipatus eſſet, nempe *Stellis Subjeſzanis*, atque a Cuſpide:

ſpide occidentali Plejadum ſurſum verſus, non niſi 42′. 35″ removeretur. Obſervatus inſuper eſt eodem tempore a dextro humero Aurigæ, a lucida Arietis, a lucido latere Perſei, & a Capella.

Eadem die veſperi, 29 ſc. Auguſti, ab iisdem ſtellis Cometa deprehenſus eſt, ſed longe jam promotior contra ſeriem Signorum; ſpatio ſc. 24 fere horarum ad quatuor fere reperiebatur gradus.

Die 30 Auguſti, die Lunæ veſp. Cometa a ſtellula quadam bene conſpicua non niſi 32′. 41″ aberat; & cum Muſca & in Baſi Trianguli, deinde etiam cum præcedente in Pede, et illa in genu Perſei lineam conſtituebat rectam. Adhæc a plurimis fixis Sextante quoque obſervatus eſt.

Die Jovis, 2 Sept. mane, Cometa inter Plejadas & Nodum Lini verſabatur, conſtituens lineam rectam cum Muſca & Lucida Mandibulæ Ceti; & cum infima in armo Tauri, & Mandibula triangulum fere æquicrurum, cujus vertex dicta erat Mandibula. Præterea quoque lineam referebat rectam cum duabus in fronte Ceti, tantoque fere ſpatio ab occidentaliori diſtabat, quanto alias utraque ab invicem removentur. Prout ex obſervatis diſtantiis Sextante captis clarius patebit.

Hac die iterum diametrum Capitis Cometæ Micrometro diligenter dimenſus ſum, ut rite explorarem, an diameter ejusdem adhuc eſſet magnitudinis, an creſceret, an vero decreſceret? Erat autem Cometæ diameter die 16 Auguſti eodem Micrometro obtenta, tantummodo 6′. 5″; hodie vero jam 9′. 7″; ſic ut notabiliter in ſpatio 17 dierum creverit. Nonnemo diceret id factum eſſe, quod in ultima obſervatione vicinior multo fuerit Terræ; atque ideo clarius & lucidius caput exhibere debuerit: præſertim ſi corpus eſſet æternum (ut quidam ſtatuunt) quod rurſus certo tempore, abſoluto ſuo circulo, nobis in conſpectum redit. Sed e contrario caput longe obtuſius. rariusque ultimo extitit, ſic ut diſtinctiſſime notare potuerimus, materiam capitis ſenſim ſeſe diſſolvere: id quod autem multo melius cum noſtra convenit hypotheſi.

Ultimo, die Saturni, 4 Septembr. mane, ex voto Cometam obſervavi. Videbatur in linea exiſtere recta cum illa in fronte occid. Ceti & lucida Arietis, item cum illa in ore & Mandibula Ceti adhæc fere triangulum æquilaterum cum illa in ore, & ad Genam Ceti conſtitue-

ſtituebat. De cætero autem exoptato mihi extitit, quod non ſolum ſufficientes diſtantias pro vero loco ex calculo eruendo, ſed etiam Cometæ altitudinem meridianam in Auſtro, exactiſſimo Quadrante hora videlicet matutina 3. 40′ fere, nimirum 30°. 15′ impetraverim.

Poſthæc, diebus ſubſequentibus, quoties cœlum tantummodo annuit, ſedulo quidem illum quæſivi, ſed ob Lunæ vicinitatem, ejuſq; ſplendorem, vaporesque circa Horizontem crebriores, haud illum amplius deprehendere potui; utut ad 12 Septembr. ſupra noſtrum Horizontem adhuc extiterit: prout ex ſubſequente Tabella ejusque motu diurno liquidum eſt.

Ultimo, mi Aſtrophile, etiamſi graviora ſtudia, quibus quotidie occupatus ſum, haud conceſſerint univerſas meas hujus Cometæ obſervationes calculo ſubjicere, nihilominus, quantum fieri licuit, rudiori Minerva Tibi ſub adſpectum ponam, quo loco, ſecundum longitudinem & latitudinem in quavis obſervatione & die extiterit, & qua ratione motus ejus diurnus contra ſeriem ſignorum creverit; nec non ad certos dies quanta fuerit Cometæ declinatio & Aſc. Recta.

TABULA,

Cometæ Anni 1683 Longitudinem, Latitudinem, Motum diurnum, Declinationem, & Aſcenſionem Rectam, a Die 30 Julii, ad 4 Septembr. exhibens.

Menſ. Dies.	Longitudo. ° ′ S.	Latitudo. ° ′	Mot. diur. ° ′	Declinat. ° ′	Aſcenſ. recta. ° ′
Julii 30	7 0 ♋	29 15 B.		51 30 B.	100 0
31	6 25	29 0	0 42		
Auguſt. 1	5 45	28 45	0 44		
2	5 0	28 30	0 46		
3	4 10	28 15	0 48		
4	3 20	28 0	0 50	51 40 B.	96 0
Auguſt. 5	2 20 ♋	27 45 B.	0 52		
6	1 20	27 30	0 54		
7	0 20	27 15	0 56		
8	29 20 ♌	27 0	0 58		

Mens. Dies	Longitudo. o / S.	Latitudo. o / ♑	Mot. diur. o /	Declinat. o /	Ascens. rect. o /
August. 9	28 20 ♊	26 40 B.	1 0		
10	27 20	26 20	1 2		
11	26 20	25 55	1 4		
12	25 20	25 30	1 6		
August. 13	24 20 ♊	25 0 B.	1 8		
14	23 20	24 30	1 10		
15	22 20	24 0	1 12		
16	21 10	23 20	1 14	46 0 B.	77 0
August. 17	19 20 ♊	22 30 B.	1 19		
18	17 40	21 30	1 25	44 0 B.	73 30
19	16 0	20 30	1 35		
20	14 20	19 15	1 45	41 0	69 30
August. 21	12 20 ♊	18 0 B.	1 55		
22	10 20	16 45	2 5		
23	8 20	15 30	2 15		
24	6 20	14 15	2 25	35 0	60 40
August. 25	3 50 ♊	12 45 B.	2 40		
26	♋ 5	11 0	2 55		
27	28 15 ♉	9 0	3 10		
28	25 15	6 30	3 25	24 30	51 ●
29	22 15 ♉	4 0 B.	3 40	21 30	48 30
30	18 55	1 30	3 55	18 0	45 40
31	16 25	1 0 A.	4 5		
Sept. 1	12 55	3 30	4 20		
2	9 55 ♉	6 0 A.	4 40	10 30	40 0
3	6 25	8 40	5 5		
4	2 35	11 20 A.	5 30	1 30 B.	34 0

Ex quibus nunc suculenter videre est, Cometam hunc continue contra seriem signorum incessisse, ex Lynce videlicet seu Tigride (quod sidus

ſidus ego primum cum aliis 10, in novos meos transtuli Globos) per Aurigam, Taurum, ad Caput usque Ceti; hoc eſt ex 7° Cancri (ubi 30 Auguſti primum a nobis viſus) per Geminos, ad 3° Tauri usq; ſic ut in Ecliptica 63°. 55′, in ſua vero orbita 74 . 35′, (nimirum a 30 Julii, ad 4 Sept.) peragraverit: Sub angulo videlicet orbitæ & Eclipticæ 39 fere graduum; ſub angulo vero orbitæ & Æqvatoris 56°. Latitudo initio 29°. 15′ Borealis, & ultimo 11°. 20′ Auſtralis extitit; adeo ut ad 41° fere gradus eam variaverit. Si Luna non fuiſſet pernox, nec adeo ei vicina ultimo, tum noctes extitiſſent ſerenæ, profectò adhuc diutius, nempe ad 12 Sept. usque illum obſervaſſem: prout ex ejus Altitudine meridiana, motuque diurno, quem in ultima obſervatione exercuit, ſatis ſuperque patet.

De Capite hoc notandum habeo, quod initio, quoad Diametrum, longe minus quam ultimo, e contrario initio longe lucidius, quam circa finem extiterit: nullos tamen diſtinctos & fulgentes nucleos, prout in plurimis videre nobis obtingit, exhibuerit; ſed confuſam materiam, & circa finem multo tenuiorem. Jure hic Cometa (cum plerumque absque omni cauda viſus ſit) inter ſidera comata, vel crinita, ſive inter Barbata & Hircos refertur. Nam non niſi ad 18 Auguſt. breviſſimam & dilutiſſimam caudam ſurſum verſus exporrigebat; quæ poſtmodum vero omnino evanuit.

Quibus ut quam diutiſſime valeas, Amice plurimum Honorande, animitus precor: nihil potius exoptans, quam ut per graviora quædam ſtudia, pro meo modulo a DEO conceſſo, in Aſtronomiæ commodum ac incrementum, Aſtrophilis inſervire poſſim. Dabam Gedani Anno a nato Chriſto 1683 ſt. n. ipſo die Æquinoctii Autumnalis, Sole exiſtente in Meridie alto 35°. 27′. Quadr. parvo Orich.

Tuus

ex animo

J. Hevelius.

DE L'AME DES PLANTES, ESSAT DE *Physique, par M. Dedu, Docteur en Medecine, &c.*

i. e.

De Anima Plantarum Tentamen Physicum Dn. Dedu.

Parisiis, in 12. 1682. apud Steph. Michallet.

INter varia Philosophiæ Naturalis incrementa, quæ seculo huic, ejusque quadræ præsenti, seu ultimæ, illa debet, Phythologiæ Anatomica æque ac Physiologica experimenta, diversorumque Virorum Clarissimorum, v. g. *Grewi*, *Malpighii*, *Mariotti*, *Perraulti*, *Dodarti*, &c. meditationes ingeniosæ observantur: quibus non sine ratione præsentis opusculi tenorem, Animæ Vegetativæ principaliores functiones complectentem annumeramus.

Scilicet *primo*, ortum Plantarum expositurus illius Autor, quædam de Alcali & Acidi natura horumque actione reciproca præmonet, hinc Malpighii hypothesin, Plantam non nisi ex semine gigni, suam facit; illam autem ejus sententiam, qua semen vegetabilis ovum, hujusque capsulas ovaria pronunciat, adeoque simili ratione, ac animalia, ex ovulis plantas produci autumat, haud amplectitur: vegetationis autorem potius externum, quid concipiens, Acidum scilicet partim cum aere, partim cum pluviis, decidens terramque subiens, a radiis solaribus exagitatum ac cum Alcali terræ fermentescens: cujus fermentationis occasione minima illius Acidi multa seminis grana penetrent, hujus particulas sensim & aliquantum divellant; acidum vero semini connatum & intrinsecum dum simul in motum abripiant, motu hoc intestino crassiora grani involucra rumpant, ejusque compagem laxiorem reddant. Quoniam autem cum aliis Neotericis totum Plantæ corpus hujusque partes cuilibet semini actu subesse, exemplo bulbi Tulipæ evincit: infert, illam non tam ex semine formari, quam huic inexistere, & per vegetativam illam particularum exagitationem seu turgescentiam, tantum evolvi ac explicari. Atque hac occasione disquirit, cur non omnis ferat omnem plantam tellus? & qua ratione ex fimo terra fertilescat? prioris phænomeni ætiologiam per aci-

acidi terrei incongruitatem, posterioris per Salis volatilis stercorum activitatem determinans.

Deinde, ubi ad Nutritionem vegetabilium se convertit Autor, in Terræ sinu succorum mineralium ubertatem supponit, qui sub exhalationum forma illorum radices, hinc caules, subintrent, accedente insimul per caulium poros succo magis aereo: per quorum cum spiritu architectonico interno mutuam fermentationem atque combinationem, appropriatum iis præparetur nutrimentum, circulationibus a summo ad imum repetitis magis exaltandum. Similiter enim, ac in animalibus, succum nutritium & hic circulari, argumentis atque experimentis nonnullis evincit, simulque, quæ hypothesi huic aliquam difficultatem parere poterant, dubia declinat: hac tamen sub disparitate, ut, cum primus in animalibus circulationis autor intrinsecus, nempe cor, existat, vegetabilibus extrinsecus magis videatur. Quem quidem non aeris, juxta *Malpighium*, respirando, ingesti elaterem, nec secundum *Perrault*, ambientis pressuram tradit: sed terram potius, a fermentationibus intrinsecis rarefactam, & distensam, postmodum denuo subsidentem, caulem per intervalla comprimere, adeoque hujus alimoniam per truncum ad superiora urgere, suspicatur, pari circiter modo, ac musculi abdominis intestina comprimentes, chylum per totum corpus dispensandum vasis lacteis impellant. Ubi simul, quomodo exile terræ spatium diversas plantarum species enutriat? item cur hic vel ille flos prope aliam plantam optime floreat, prope alteram marcescat, declarat, Peripateticorum vero facultatem attractricem, retentricem &c. quas fibris determinatis tribuunt, irridet.

Tandem rationem accretionis plantarum exponit, & de fructuum productione horumque statu triplici, tam ex hypothesi Philosophorum corpuscularium, quam Chymicorum disserit: cur & quomodo arbores hyeme langueſcant & exsuccæ sint, vere revirescant, & in quo illarum vivacitas, in annos sæpe adeo multos, consistat, rimatur: denique vero, utut ad prodigiosam sæpe molem & proceritatem evehantur, haud tamen in infinitum eas crescere, sed tandem diversis modis corruptioni & morti subjici, concludit.

HISTORIA CONCILIORUM GENERALIUM,

in quatuor Libros distributa, auctore Magistro Edmundo Richerio, Doctore ac Socio Sorbonico.

Coloniæ, 1683. in 8.

QVinquaginta elapsi sunt anni, ex quo diem suum obiit Edmundus Richerius Presbyter Lingonensis & Facultatis Parisiensis Doctor Theologus, qui præter obstetricem animorum, de optimo Academiæ statu libros duos, notas ad Tertullianum de Pallio, libellum de arte figurarum & causis eloquentiæ, item de arte & causis Rhetoricæ, aclia ingenii sui monumenta, tractatum de Politica & Ecclesiastica potestate edidit, cujus hæc est summa ipsi titulo præfixa: *Ecclesia est politia monarchica ad finem supernaturalem instituta, regimine aristocratico, quod omnium optimum & naturæ convenientissimum est, temperata a summo animarum Pastore Domino nostro Jesu Christo.* Hujus libri primum sine Autoris nomine impressi parentem cum se professus fuisset Richerius, Monarchiæ Pontificiæ patronos haud mediocriter offendit. Inventi quippe, qui non solum diatriben hanc de politica & ecclesiastica potestate confutandam susciperent, quos inter Andreas Duvallius Doctor Sorbonicus & Regius Theologiæ in Universitate Parisiensi Professor primarius exstitit, verum etiam coactis Synodis damnarent atque proscriberent, quod Anno Christi 1612 mense Martio Parisiis in congregatione, quam Jacobus Cardinalis Perronius Archiepiscopus Senonensis cum septem suis Suffraganeis habuit, & paulo post mense Majo in simili congregatione Aquensis provinciæ contigit, & inter libros publica autoritate prohibitos referrent, quod adhuc nuperrime in indice librorum prohibitorum jussu Innocentii XI Romæ publicato his verbis factum legimus: *Edmundi Richerii opera. Cujus est etiam liber Anonymus prohibitus & qui denuo prohibetur, inscriptus de ecclesiastica & politica potestate liber unus, &c.* Quamvis autem Richerius, quem regia autoritate a facultatis suæ syndicatu depositum perhibent, tandem omnes libelli sui propositiones earumque expositiones Romanæ ecclesiæ judicio, ut fertur, subjecerit, & hæc declaratio apud Eminent. Card. Richelium 1629 renovata & extremo spiritu apud Confessorem confirmata, & ab hoc Archiepiscopi Parisiensis jussu vulgata fuerit, relicta tamen ab eo conciliorum

rum generalium historia, ut libelli de politica & ecclesiastica potestate defensionem, quam in hac conciliorum historia sæpius allegat, taceamus, satis indicat, quod sententiam suam de regimine Ecclesiastico absolutæ monarchiæ oppositam serio & ex animo nunquam retractaverit. Cum enim in libello de Ecclesiastica & Politica potestate docuisset, concilium esse supra Papam; Ecclesiam canone, non absoluta potestate, regi oportere; atque politicos Principes, tanquam juris Divini, Naturalis & Canonici vindices & executores, autoritate gladii in omnes cives, ambitu & finibus reipublicæ contentos, pollere; hocque jure & titulo Constantinum Magnum, atque alios Imperatores Christianos, velut communes Episcopos & exterioris disciplinæ assertores octo prima Concilia Universalia, pro juris Divini, Naturalis & Canonici vindiciis indixisse & congregasse: & hæc a Card. Perronio, Roberto Hubaldino Nuncio Apostolico, Henrico Gondio Parisiensi episcopo eorumque assectis, non aliter quam erronea, impia, hæretica & seditiosa judicari intelligeret, accuratius ea, quæ de conciliis breviter attigerat, tractare animum induxit.

Quatuor autem libris hæc generalium Conciliorum historia absolvitur: quorum primus jam ante triennium seorsim vulgatus post generalia fundamenta, e quibus cap. 1 Ecclesiæ regimen non pure monarchicum, sed aristocratico temperamento mitigatum esse probat, de concilio Niceno, Sardicensi, Antiocheno, Constantinopolitano I, Carthaginensi VI, Ephesino, Chalcedonensi, Constantinopolitano II & III, Niceno II & Constantinopolitano IV, totidem capitibus agit; in quorum conciliorum historia Autor ita versatur, ut ea potissimum, quæ suis hypothesibus probandis inservivunt, seligat & contra Baronii, Bellarmini, Perronii, Possevini, Binii, Vallii & aliorum, qui conciliorum autoritatem a Pontificis R. nutu dependere asserunt, objectiones & exceptiones tueatur. Ostendit igitur, Niceni & reliquorum, quæ modo nominavimus, conciliorum indictionem, supremam directionem & confirmationem, perperam Romanis episcopis ascribi, cum Constantinum M. Constantem & Constantium, utrumque Theodosium & Valentinianum, Martianum, Justinianum, Constantinum Pogonatum, Constantinum VI, & Basilium Imperatores hæc concilia convocasse iisque cum jurisdictione præfuisse constet; monarchicum P. R. imperium canonibus Nicenis, Antiochenis,

Con-

Constantinopolitanis & Chalcedonensibus explodi; Sardicenses canones, e quibus jus appellandi Romanam sedem Papalis monarchiæ patroni probare annituntur, temporarios & provisorios fuisse, & Zosimum ejusque successores, qui eos pro Nicenis venditarunt, falsi crimine teneri; Antonii Fussalensis exemplum, ex quo Bellarminus & Baronius evincere conantur, quod Episcopi Romani non obstantibus concilii Carthaginensis, quod sextum appellatur, decretis Afrorum causas cognoscere eorumque appellationes suscipere non destiterint, non ad quæstionem juris, sed ad viam facti pertinere, & silentio potius obrui quam allegari debuisse; Episcopos Romanos privilegia sedi Romanæ non jure divino, sed ob urbis & imperii majestatem concessa, & potestatem jure extraordinario & in casu necessitatis quandoque permissam, præter fas & contra jus commune ad opprimendam Ecclesiæ libertatem ampliasse; acta concilii Ephesini a Peltano edita magis consentire moribus & disciplinæ illorum temporum quam Romana, e quibus pro regimine Ecclesiæ Monarchico nonnulla afferri soleant; Vallium & Bellarminum acta concilii Chalcedonensis corrumpentes in legem Corneliam impegisse; falsum esse quod Patres hujus concilii Petrum crepidinem & fundamentum Ecclesiæ, aut Leonem Episcopum universalem & caput universalis Ecclesiæ appellaverint, cum istud tantum a legatis Leonis, meras ampullas projicientibus, & clericis quibusdam Alexandrinis privato ausu factum fuerit; Patres quintæ synodi generalis minime putasse, Papam esse infallibilem Ecclesiæ monarcham, aut a solo Papa autoritatem celebrandorum conciliorum generalium dependere; Justinianum Imperatorem in edicto adversus tria capitula non obscure significare, infallibilem decernendi facultatem non uni sed unitati datam; non deesse causas dubitandi, an epistola Justiniani ad Johannem II, qua declarat Romanum Pontificem esse caput omnium Ecclesiarum, genuina sit, quamvis id Cujacius asserat, & istius epistolæ, si vel maxime genuina sit, hunc esse sensum, quod Imperator controversiam, quæ tum Romanos episcopos cum Constantinopolitanis committebat, tollere voluerit, & hoc ad declarationem potius quam novi juris institutionem pertinere, cum primatus, quam distinctionem Autor in hoc opere frequenter repetit, quoad essentiam juris divini sit, sed quoad usum, extensionem, exercitium & administrationem

tionem juris humani ab Eccleſia limitandi; in ſexta ſynodo generali Agathonem Pont.Rom. ad imitationem Gregorii, qui ſe Imperatoris ſervum jure reipublicæ vocaverat, Imperatorem pro Domino ſuo agnoſcere; Honorium fuiſſe Monotheletam; curiam Romanam, contra praxin veteris Eccleſiæ, poteſtatem capitales pœnas hæreticis infligendi ſibi vindicare; in concilio Niceno II non ſolam Romanam ſedem, ſed alias etiam patriarchales, apoſtolicas vocari; ſynodi octavæ generalis examini, Nicolai Pont.Rom. judicium ſubjectum fuiſſe: ut reliqua, quæ ſingulis his conciliis contra abſolutam curiæ Romanæ monarchiam colligit, brevitatis ſtudio ſileamus. Tandem ultimo capite dictorum compendium, & ſimul gradum ad referendam politiæ Eccleſiaſticæ inclinationem, quæ poſt decimum a Chriſto nato ſeculum contigit, facturus, quam diverſa hic ſit rerum facies oſtendit; cum octo generalia concilia ab Imperatoribus tanquam juris naturalis, divini & canonici vindicibus, & publici ordinis aſſertoribus indicta, directa & confirmata fuerint, illisque temporibus cæteri patriarchæ in Metropolitas & Epiſcopos ſuarum Diœceſium tantumdem juris, quantum Romanus in ſuos, habuerint, & novem primis ſeculis Romanæ Eccleſiæ nomen non alia notione aut ſignificatione, quam pro particulari Eccleſia & membro univerſalis Eccleſiæ, a quoquam acceptum fuerit, omniaque ariſtocratico regimine & jure communi ad normam canonum gubernata & adminiſtrata fuerint: contra vero poſt decimum ſeculum, cum Eccleſia Romana, reliquis patriarchalibus ſedibus jam collapſis, non amplius æquabili earum libramento in officio contineretur, Benedictinorum Cluniacenſium aliorumque monachorum ſtudio omnia in pejus mutata fuerint, quod autor demonſtrat ex 27 dictatibus, ut vocantur, quos Gregorius VII in ſynodo ex aliquot Italiæ Epiſcopis & Abbatibus ordinis Benedictini conflata decrevit; a quo tempore abſolutum Curiæ Romanæ regimen, omnisque diſciplinæ eccleſiaſticæ conturbatio, tanta indies incrementa cepit, ut tandem in concilio Conſtantienſi & Baſileenſi reformandæ Eccleſiæ ratio inita fuerit, qua de re in ſequentibus libris prolixius agitur. Ad quos antequam progrediamur notamus, libro primo formulam jurisjurandi, quo recens creati Pontifices ſe octo generalibus conciliis obſtringunt, ex libro Pontificali, qui diurnus appellatur, excerptam præfigi, & ad calcem appendicem ſubnecti, in qua ar-

gumenta, quæ Card. Perronius in responsione ad epistolam Casauboni, nomine Serenissimi Britanniæ Regis editam, ad absolutam Papæ monarchiam propugnandam, e Patrum scriptis inprimis & historia Ecclesiastica consarcinaverat, ad examen revocantur.

Libro secundo Autor, quæ corruptissimæ regiminis Ecclesiastici immutationi remedia adhibita, quo successu tentata & quibus artibus elusa fuerint, exponit. Exorsus igitur (c. 1.) a schismate inter Antipapas Romanos & Avenionenses, Urbanum VI & Clementem VII eorumque successores agitato, & pessimo Ecclesiæ statu hinc exorto refert, quanta libertate & solicitudine Magistri Academiæ Parisiensis, (quamvis ea res Johanni Russio ad tempus in carcerem conjecto, Petro Alliaceno, Ægidio de Campis, & Johanni Gersonio nonnihil periculi creaverit) teterrimum hoc ulcus & tangere ausi, & sanare conati fuerint, nunc modo nominatum Gersonem ad Benedictum XIII Clementis VII successorem ablegando, nunc seculare Regis sui Caroli VI brachium in subsidium vocando, qui post crebras legationes & irritam Avenionis obsidionem, duobus edictis A. C. 1406 promulgatis, Ecclesiæ Gallicanæ libertatem ab intolerabilibus Romanæ curiæ exactionibus vindicavit, & cæteros Christianos Principes per literas excitavit, ut exemplo suo neutralitatem amplexi, utrique Pontificum de primatu inter se contendentium obedientiam subtraherent, donec non amplius clamor crudelis fœminæ infantem in duas partes dissecari cupientis, sed vox piæ matris infantem integrum servari malentis audiretur. Quibus regis edictis atque literis, variæ Doctorum in diversis Europæ Academiis de potestate Papæ & concilii sententiæ, inprimis ex Gersonis tractatu de auferibilitate Papæ & aliis opusculis excerptæ subnectuntur. His ita prælibatis Richerius (c. 2.) ad concilium Pisanum, quod Christianissimi Regis assiduis obtestationibus fatigati tandem Avenionensis curiæ Cardinales, consentientibus Romanis, indixerunt, progreditur, & Synodi hujus A. C. 1409 a 180 Archiepiscopis & Episcopis, 300 circiter Abbatibus, totidem Juris Canonici ac Civilis Doctoribus, plurimis Theologiæ Magistris, Academiarum Procuratoribus & Principum Legatis frequentatæ acta, cum ea in Suriana, Biniana, (quod de prima editione intelligendum est) ac Romana conciliorum collectione prætermissa animadvertisset, ferme integra exscribit. Inter Theologiæ Magistros, qui huic concilio interfuerunt, fuit Petrus Pla-

Plaoul, Epiſcopus poſtea Sylvanectenſis & Collegii Sorbonici Proviſor, qui d. 29 Maji ſeſſioni decimæ tertiæ deſtinata, pulpitum aſcendit, & ad illa Hoſeæ verba cap. I. verſ. ult. *congregabuntur filii Juda & filii Iſrael pariter & ponent ſibi caput unum*, de eccleſiæ ſupra Papam eminentia juxta omnes cauſas diſſeruit, & ſuam ſententiam publica Univerſitatis Pariſienſis, Andegavenſis, Aurelianenſis, & Toloſanæ autoritate comprobavit. Quo deſcendente alius quidam Epiſcopus Italicus, centum & trium Theologiæ Magiſtrorum, & plurium Licentiatorum & Baccalaureorum, & Univerſitatis Bononienſis opinionem, Pariſienſi Academiæ conformem, publice prælegit. Reliquarum ſeſſionum acta ſingula repetere nec inſtituti patitur ratio, nec operæ pretium videtur. Summa huc redit, quod Petro de Luna, qui Benedicti XIII nomen ſibi aſciverat, & Angelo Corario ſeu Gregorio XII poſt multas citationes papali dignitate privatis, & Petro Philareto de Candia, qui ſe Alexandrum V appellari voluit, ad Pontificatum Romanum electo, inter alia decretum fuerit, ut Piſano concilio interim quaſi ſuſpenſo, poſt triennium ſeu A.C. 412 pro continuanda Eccleſiæ reformatione novum generale concilium idoneo loco conveniret. Sed hoc poſtea anno demum 414 Conſtantiæ contigit, cum jam Alexandro V, qui religioſis mendicantibus immenſa privilegia, a Cancellario Pariſienſi Johanne Gerſone non ſine gravibus querelis improbata impertiverat, & judices nonnullos Apoſtolicos, Caroli VI edicto rejectos & eliminatos, ad convellendas Eccleſiæ Gallicanæ libertates in Franciam miſerat, univerſæ carnis viam ingreſſo, Johannes XXIII ſucceſſiſſet, quem Richerius Academiam & Curiam Pariſienſem multis gratiis, expectativis aliisque privilegiis demereri conatum, de Eccleſiæ corio luſiſſe profitetur.

Sequitur ergo (cap. 3. & ult.) hiſtoria concilii Conſtantienſis, in qua id inprimis Autor agit, ut decreta quartæ & quintæ ſeſſionis, quibus ſanctum fuit, quod concilium generale catholicam eccleſiam repræſentans poteſtatem immediate a Chriſto habeat, cui quilibet cujuscunque ſtatus vel dignitatis, etiam Papalis, in cauſis fidei vel exſtirpandi ſchiſmatis, & reformandæ eccleſiæ obedire teneatur, legitime condita, & quoad praxin ipſius concilii Conſtantienſis tredecim præjudiciis confirmata fuiſſe, ex actorum ſerie demonſtret, eorumque autoritatem contra Bellarmini, Cajetani, Vallii aliorumque ob-

jectiones tueatur. Quod dum facit, etiam reliqua hujus concilii gesta vel breviter indicat, vel paulo fusius exponit. Quo pertinet patrum in certas nationes distributio, eo fine facta, ne Italica ob Episcoporum multitudinem cæteras suffragiis vinceret, & ecclesiæ reformationem in capite & membris impediret; item juramentum, quo Johannes XXIII papatu, si pax Ecclesiæ id exigeret, se cessurum solenniter spopondit, ut cætera taceamus. In ejusdem concilii historia, sententiæ de tyrannicidio licito, a Johanne Parvo cædem Ducis Aurelianensis propugnante propositæ, condemnatio, contra Marianæ cavillationes a Richerio defenditur, & Bellarminus, qui ex monitorio adversus comitem Astensem, clericos Principum legibus non subesse contra Barclajum perperam colligit, refutatur. Inserti quoque actis hujus concilii, Apostoli & responsio apologetica nationis Gallicanæ de annatis non solvendis, minus recte Nicolao de Clemangis attributa, quam jam ante centum annos Parisiis editam, & postea ab Orthuino Gratio rerum expetendarum fasciculo insertam, a pluribus mendis repurgare, & in hac generalium conciliorum historia integritati suæ restituere, Richerio placuit. In actis ultimæ sessionis occurrit censura libri a Johanne Falckenbergio conscripti, qui ut publico Synodi decreto condemnaretur, cum jam per deputatos in causa fidei, & per quinque concilii nationes, & per collegium Cardinalium damnatus fuisset, Regis Poloniæ & Ducis Lituaniæ oratores interposita, ni id fieret, protestatione & appellatione ad futurum concilium postularunt. Suspicatur autem Richerius, librum illum Falckenbergii propositiones quasdam de potestate Papæ in abdicandis & interficiendis Regibus continuisse, quam conjecturam ex Gersonis Dialogo apologetico pro actis Synodi Constantiensis firmare satagit. Quod si quis contra Polonorum provocationem ad futurum concilium excipiat, Martinum V, qui Johanni XXIII post fugam exautorato, in concilio Constantiensi surrogatus fuerat, constitutionem contra appellationes a Papa ad concilium edidisse, respondet Richerius, hæc ad viam facti & ad absolutam Papæ monarchiam pertinere, quam Ecclesia non agnoscat, cum juri Divino, naturali & canonico penitus repugnet. Ultimo loco Richerius refert, Martinum V aliquos judices & nuncios Apostolicos in Franciam, imperante jam Carolo VII misisse, ut jus commune & libertates Ecclesiæ Gallicæ perfringerent, qui cum

passim

passim assererent, sententiam Pastoris etiam injustam timendam & tenendam esse, Cancellarius Parisiensis sæpe jam nominatus assertionem illam peculiari opusculo discussit. Sed nihilominus Martinus V haud quievit, donec Carolus VII magnis Curiæ Romanæ pollicitationibus allectus A. C. 1424, d. 10 Febr. contra libertatem Ecclesiæ Gallicanæ edictum promulgaret, quod quo minus in rem judicatam abiret, Magister Petrus Cousinus cognitor Regius generalis obstitit, ut ex actis Parlamenti a Petro Pithæo editis Richerius annotavit. Cæterum his, quæ de Constantiensi concilio Richerius disseruit, plane contraria post alios monarchiæ papalis assertores nuperrime tradidit Emanuel Schelstratenus, cujus sententiam paucis hic referre placet, tertio interim & quarto Richerii libro ad proximas Deo volente calendas reservato.

ACTA CONSTANTIENSIS CONCILII ad expositionem decretorum ejus sessionum quartæ & quintæ facientia, nunc primum ex codicibus MSS. in lucem eruta, ac dissertatione illustrata per D. Emanuelem a Schelstrate S.T.D. Bibliothecæ Vaticanæ præfectum.

Antverpiæ apud Joannem Baptistam Verdussen, 1683. in 4.

Quamvis jam a longo tempore concilii Constantiensis autoritatem, quoad decreta quartæ & quintæ sessionis, de ecclesiæ & conciliorum generalium supra Papam eminentia, Pontifices Romani eorumque defensores infringere conati fuerint, impedire tamen nullatenus potuerunt, quo minus cordatiores Papistæ ea ipsa Constantiensis Synodi decreta, contra prætensam Romani Pontificis infallibilitatem & supremam potestatem, explosis effugiis strenue urgerent. Clerus certe Gallicanus, quod in recenti omnium memoria versatur, superiore anno Parisiis congregatus articulo secundo statuit: *Sic inesse Apostolicæ sedi ac successoribus Christi Vicariis rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant atque immota consistant Sanctæ œcumenicæ Synodi Constantiensis a sede Apostolica comprobata ipsoque Romanorum Pontificum ac totius Ecclesiæ usu confirmata, atque ab Ecclesia Gallicana perpetua religione custodita decre-*

ta de autoritate Conciliorum generalium, quæ ſeſſione quarta & quinta continentur, nec probari a Gallicana Eccleſia, qui eorum decretorum, quaſi dubiæ ſint autoritatis, ac minus approbata, robur infringant, aut ad ſolum ſchiſmatis tempus Concilii dicta detorqueant.

Ægre id fert Emanuel Schelſtratenus, ac ut hoc Cleri Gallicani ſtatutum elidat, primum ex codicibus nonnullis hactenus ineditis acta quædam Conſtantienſis concilii, quæ ad decreta quartæ & quintæ ſeſſionis explicanda faciunt, excerpit, e quibus poſtea peculiari diſſertatione contra Clerum Gallicanum probare nititur, haud ſpernendam ac rejiciendam eſſe eorum ſententiam, qui decreta iſta Conſtantienſia indubitatæ autoritatis eſſe negant, aut ea juſto valore ac robore deſtitui contendunt.

Hoc ut evincat, primo diſſertationis capite in tres articulos diviſo aſſerit, primum quartæ ſeſſionis decretum a Patribus concilii Baſileenſis, quorum juſſu Conſtantienſis ſynodi decreta A. C. 1442, a duobus Cardinalibus, duobus Epiſcopis, duobus Theologiæ Doctoribus & Archi-Diacono Zagabienſi compilata ſunt, adulteratum fuiſſe, & has Baſileenſium corruptelas, non ſolum in antiquiores Conſtantienſis concilii editiones, qualis eſt Hagenovienſis, quæ juxta apographum Baſileenſis iſtius codicis, a Johanne Hobero Inderdorffio deſcriptum & a Matthia Strinbachio notario publico cum authentico exemplari collatum A. C. 1500 prodiit, & Mediolanenſis, quæ A. C. 1511 typis Gotardi de Ponte impreſſa opera Zachariæ Ferrerii Subaſienſis Abbatis Vicentini lucem publicam aſpexit; verum etiam in recentiores conciliorum collectiones, ne Romana quidem, cui Pauli V bulla autoritatem conciliavit, excepta, emanaſſe. Refert deinde, decreta quartæ & quintæ ſeſſionis ſine debita & ſufficienti deliberatione condita fuiſſe, in quarta ſeſſione, poſt multas Regis Romanorum & Cardinalium & nationum altercationes, tandem inter omnes Divino Flamine inſpirante conveniſſe, ut capitula a Cardinalibus impugnata, quorum præcipuum fuit reformatio eccleſiæ in capite & membris, omitterentur; ante quintam ſeſſionem, cujus decreta reformationis illius mentionem faciunt, & quoslibet cujuscunque dignitatis, etiam papalis, generalibus conciliis obedire decrectâtes pœnitentiæ ſubjiciunt, Cardinales & oratores Galliæ in camera paramentorum ſecreto proteſtatos fuiſſe, quod non animo conſentiendi, ſed ſcandali tantum vitandi cauſa ſeſſioni huic interfuturi eſſent; denique ſi vel maxime de-

me decreta quartæ & quintæ ſeſſionis incorrupta ad nos perveniſſent, & poſt debitam deliberationem nemine reclamante aut proteſtante condita fuiſſent, Patres tamen in his ſeſſionibus congregatos ſufficienter eccleſiam univerſalem minime repræſentaſſe, cum eo tempore Conſtantienſi concilio nondum adhæſerint, qui vel Gregorii XII, vel Benedicti XII partibus addicti fuerant, adeoque decreta quartæ & quintæ ſeſſionis ab una tantum Johannis XXIII obedientia, & ne ea quidem integra, profecta fuerint.

Capite ſecundo diſquirit Autor, quid Patres Conſtantienſes, inprimis poſt trium obedientiarum, ut juxta ſtylum ejus temporis loquitur, unionem de ſenſu & autoritate decretorum ſeſſione quarta & quinta conditorum tenuerint, & ex actis ſuis abunde conſtare exiſtimat, Patres Conſtantienſes aut maximam ſaltem eorum partem, ſacrum ſcilicet Cardinalium collegium totamque nationem Italicam, nec non Hiſpanicam & Gallicam, paucis tantum, quorum nulla fuerit habita ratio, exceptis, poſt ſeſſionem 38 decretum quintæ ſeſſionis ita interpretatos fuiſſe, ut illud non de concilio ſeorſim ſumpto, ſed de concilio, cui verus & indubitatus Pontifex adſit, intelligerent; cum contra Regem Romanorum & adhærentes ei nationes, Germanicam & Anglicam, ante omnia de reformatione Eccleſiæ agendum ratas, ſolenni ſua proteſtatione obtinuerint, ut primum de electione novi Pontificis ageretur. Addit, nationi Germanicæ, cum ægre conſenſum ſuum præbuiſſet, & poſtulaſſet, ut ſtatim poſt electionem Papæ, ante ejusdem coronationem & quamcunque adminiſtrationem, reformatio fieret, reſponſum fuiſſe, quod Papa electus ligari non poſſit. Ex quo reſponſo, quod toti orbi catholico hactenus incognitum fuiſſe fatetur, colligit, decretum quintæ ſeſſionis de Pontifice in caſu contumaciæ puniendo, non ad veros & indubitatos, ſed tantum ad ſchiſmaticos Pontifices ſpectare. Subjicit quoque nonnulla de articulis reformationis ſummi Pontificis judicio, ut putat, reſervatis, & de profeſſione fidei Pontificibus præſcripta, in qua poſt omnium generalium conciliorum enumerationem, ſolius Conſtantienſis concilii mentionem propterea omiſſam hariolatur, quod Conſtantienſe concilium ſeſſione 39 ad decreta fidei a ſe edita Romanos Pontifices adſtringere noluerit, antequam ab ipſo Pontifice approbata & confirmata forent.

Tertio

Tertio tandem capite decreta quartæ & quintæ seſſionis vel eo nomine invalida aſſerit, quod nec a Patribus Conſtantienſibus poſt trium obedientiarum unionem, nec a Martino quinto confirmata fuerint. Id ut probet, adducit iterum nonnulla de 18 articulis ad ſuſcipiendam eccleſiæ reformationem a concilio propoſitis, item de capitulis reformationis, quæ a Labbeo quondam ex codice Capranicenſi edita ſe nunc e duobus codicibus manuſcriptis magis integra in lucem protraxiſſe aſſerit, & non ad ſeſſionem 40, ad quam a Labbeo relata fuerant, ſed ad 43 ſeſſionem pertinere judicat. Inprimis vero narrat, oratoribus Regis Poloniæ Uladislai, & Ducis Lituaniæ Alexandri, publicam & ſynodicam libri a Johanne Falckenbergio editi condemnationem urgentibus, autoritate Martini V ſilentium impoſitum fuiſſe, eundemque Martinum in ultima illa ſeſſione omnia Conſtantienſis concilii in materia fidei decreta confirmaſſe, & hoc ipſo demonſtraſſe, quod ſibi ſupremum in rebus fidei judicium competeret, omniaque concilii decreta confirmatione ſua indigerent. Ne vero admittere cogatur, etiam decreta 4 & 5 ſeſſionis a Martino V confirmata fuiſſe, ea ad fidem pertinuiſſe negat, & Martinum V ea decreta minime approbare voluiſſe exinde ſatis manifeſtum putat, quod A. C. 1418 in conſiſtorio publico conſtitutionem promulgaverit, qua ſancit, nulli fas eſſe a Romano Pontifice appellare, aut ejus judicium in rebus fidei declinare.

Hæc ſunt, quæ Schelſtratenus de Conſtantienſi concilio circa decreta 4 & 5 ſeſſionis contra Clerum Gallicanum produxit, quæ ſi perſpicax Lector cum iis, quæ Richerius in hiſtoria generalium conciliorum paulo ante memorata de eodem concilio retulit, conferat, utri magis credendum ſit, haud difficulter judicabit.

תרגום של דברי הימים

Paraphraſis Chaldaica II libri Chronicorum hactenus inedita & multum deſiderata: nunc vero e codice MS. antiquo membranaceo bibliothecæ Rev. Miniſterii Erfordienſ. A. C. exſcripta & juris publici primum facta, cura atque opera Matthiæ Frid. Beckii Conſ. & Eccleſ. Auguſtanæ Miniſtri.

Proſtat Auguſtæ Vindelicorum apud Theoph. Gœbelium. Anno 1683. in 4.

Qvod

Quod autor chronici Hebræorum Juchaſin non vidit, & ab aliis viſum fuiſſe unquam negavit vir doctiſſimus *Chriſtoph. Helvicus, cap. II de Paraphraſibus*; id videndum jam orbi erudito exhibuit Autor Clariſſimus: Paraphraſin puta Chaldaicam τῶν παραλειπομένων ſeu Chronicorum. Nam cum ante triennium, non ſine magnæ induſtriæ laude *primi libri Chronicorum Paraphraſin* ex memorato codice MSC. ſatis antiquo emiſiſſet in publicum, ſpemque ſimul feciſſet, alterum quoque librum edendi propediem, datam hanc fidem ſuam ipſe liberavit. Equidem ante jam *Chriſtianus Ravius* apud Hottingerum in Theſauro Philologico memoravit, in codice quodam Mſc. Erpeniano in Anglia Paraphraſin Chaldaicam in libros Chronicorum repertam eſſe: & *Edmundus Caſtellus* in præfatione Lexici Heptaglotti affirmat, D. Sam. Clericum ex αὐτοψίᾳ in Academia Cantabrigienſi deſcripſiſſe Paraphraſten Chaldæum in libros τῶν παραλειπομένων, eumque Latinitate donaviſſe, ut publicam aliquando lucem aſpiceret: ſed eum ille nondum, quod ſciamus, typis exſcriptus ſit, operæ utique pretium fecit Clariſſimus *Beckius*, quod hanc interpretationem e tenebris, queis per aliquot ſecula delituit, primum protraxit. De autore hujus Targum ipſe in libri I Chron. præfatione ad lectorem erudite diſquirit, exiſtimans eum aut e poſteriorum paraphraſtarum numero fuiſſe, & vel Tannai hoc eſt Talmudicum doctorem ſeu Gemariſtam, qui ſeculo poſt Chriſtum Natum tertio, quarto & quinto floruerunt; aut certe recentioris ævi Judæum. In præfatione libri hujus II negat, interpretationem hanc Jonathani deberi: mallet illam R. Joſeph, qui juxta Fabrum, Clavis Talmudicæ *Halicoth Olam* p. 20, quarti ſeculi Gemariſta fuit, adſcribere: quanquam nihil in re incerta definit. Laudanda vero Beckii hæc induſtria, quam partim in verſione, partim in notis adhibuit, in quibus LXX interpretum verſionem Græcam ſæpe correxit, Tremellii atque Junii Latinam interpretationem ut plurimum laudavit, Hebræorum commentarios non raro rejecit aut caſtigavit. Annotavit etiam, Paraphraſten hunc textum ſacrum non κατὰ πόδα ſequi, ſed paſſim extravagari, plurimaque vel de ſuo aſſuere, vel ex antiquiori Cabbala acerſita addere; id quod ex libri hujus II. c. III. 1. XIII. 2. XV. 16. XXIII, 11. XXIX. 3. XXXII. 21, 31. XXXIII. 12, 13. inſpectione adparet. Interim vel maxime notatu digna ſunt loca, quæ c. VI. 4. & XXXII. 7. de Divi-

vinarum Personarum Trinitate leguntur. Cæterum nihil in hoc altero libro desideratur, nisi quod alicubi vocabula quædam, scribæ forsan negligentia fuerunt omissa. De quo, ut & codicis hujus MSti antiquitate *Autor* in dedicatoria Epistola libr. I. chron. disserit.

HISTOIRE DE L' HERESIE DE VICLEF, Jean Hus, & Jerome de Prague, avec celle des Guerres de Boheme, qui en ont eſté les ſuites.

sive

Historia Hæreseos VVicleſi, Huſſi, & Hieronymi Pragenſis, ut & bellorum, quæ eam sunt secuta.

Lugduni 1682. in 12. apud Joh. Certe.

SI autorem præfationis, quæ tractatui huic brevi, in duas tamen partes diviſo, præmiſſa eſt, ſequimur, excitari ſe paſſus eſt, Illuſtris quidam & eruditus ſcriptor, ſucceſſu librorum hiſtoricorum, a Maymburgio editorum, ut Wicleſi & Huſſi hiſtoriam componeret; cauſas tamen habuit, ob quas nomen ſuum diſſimularet. Approbatus vero eſt liber *Regii Procuratoris Lugdunenſis* cenſura, ad eundem quippe quo Maymburgiana ſcripta, ſcopum tendens, dum rebellionum & motuum cauſam confidenter Doctoribus iſtis attribuit, & licet violentam reductionem diſſentientium a ſedis Romanæ placitis improbet, & cum *Tertulliano* ſtatuat, *non eſſe religionis, cogere religionem*, laudat tamen artes, quales contra Huſſitas tempore concilii Baſileenſis adhibitæ ſunt, ut potiores permiſſione *ſacri calicis*, evectoque ad Archiepiſcopatum Pragenſem *Johanne Rokezano*, utcunque deliniti, in cæteris controverſiis, Pontificum decreta ſequerentur, refragantes autem ex plebe opprimerentur. Quos hiſtoricos ſecutus ſit autor, obſcurum non eſt ex iis, quæ adverſus illos, quos pro hæreticis habet, compilavit. Mortem tamen Joh. Huſſi ita deſcribit, ut autor *Apologiæ adverſus Maymburgii hiſtoriam Calviniſmi* (de qua in tempore dicturi ſumus,) *part. 1. c. 10.* ſinceritatis encomium ei non potuerit denegare, Nec fraudat militaris fortitudinis inſigni laude, celebrem illum Huſſitarum ducem *Ziſcam*: iniquior tamen *Georgio Podiebradio*, in cujus ad regnum Bohemicum evectione ſcribendi finem fecit.

Accidi

Accidit vero autori quod aliis, qui gentium & locorum, de quibus ſcribunt, non ſatis periti ſunt, ut in nominibus facile errent: niſi Typographi culpa factum eſt, quod e.g. p. 111 pro Erfordia, *Oxfordia*, p. 113 & 114 pro Petro Dresdenſi, *Bresde*, & alia ejusmodi legantur, & *Schlickius* trium Impp. primarius miniſter, atque Illuſtriſſimæ familiæ conditor ſub nomine *Seliqve* vix agnoſcatur.

L' HISTOIRE VERITABLE DU CALVINISME

ou

Memoires hiſtoriques touchant la reformation, oppoſés a l' hiſtoire du Calviniſme de Mr. Maymbourg.

id eſt,

Vera Calviniſmi hiſtoria, ſive memorialia hiſtorica, de reformatione, oppoſita Hiſtoriæ Calviniſmi, Maymburgii.

Amſtelodami 1683. in 12.

PRoduximus jam duos, qui *Maymburgii* hiſtoriam Calviniſmi velitatione tamen potius quam acie aggreſſi ſunt. Tertium nunc damus, qui in velitum ordinem referri ſe, & quæ ſcripſit breviter recenſeri non invitus fortaſſe patietur: dum majoris operis autorem actis hiſce noſtris propediem inſeremus, prolixius ibi quæ hic prætermimus annotaturi. Diſtinctus eſt hic tractatus in libros breviuſculos, ſive capita XVI, variis hiſtoriis, non ſervata ſemper temporum ſerie, ſed ut occaſio materiæ tulit, referta, & digreſſionibus non paucis interſtincta. Sic fidem Maymburgii infirmare; quos ille heroes miris laudibus extollit, ſævitiæ & impietatis accuſare; reformatorum vero Theologos, proceres, & plebem pietatis, doctrinæ, virtutum & Martyrii encomiis ornare autor nititur. Nomen quidem ſuum in titulo libri reticuit, effecit tamen narrando non pauca, de vita fortunaque ſua, memorando etiam patruos ſuos Rocolios, ut id neminem latere poſſit. Ex dogmatibus nihil aut parum attingit: Totus eſt hiſtoricus aut paræneticus adeoque religionis, quam relicta Romana & abdicato, quo potiebatur, Canonicatu, ſecutus eſt, Zelator fervi-

dus. Utitur ut plurimum ad probanda quæ tradit, Hiſtoria Eccleſiaſtica, ſuperiori ſeculo a Reformatis in Gallia publicata, ſæpe etiam *Thuano* & *Mezeraye*, quos ob ſinceritatem & moderationem merito laudat. Lib. I & II Genevenſem Reformationem, ejusque auctores recenſet, interque eos *Franciſcum Bonnivardum*, ex cujus epiſtola ſalubre monitum exſcripſit, cives cohortantis, ut qui profugos urbe ſacerdotes ob ambitionem & luxuriam odiſſent, eadem vitia in ſeipſis corrigerent, nec minus de morum, quam de doctrinæ emendatione ſoliciti eſſent, aut ſi poſtremum hoc nollent, & ſeveriorem diſciplinam averſarentur, ab omni novatione abſtinerent. Lib. III & IV Calvini genus, ſtudia & miniſterium ab inculpationibus defendit. Lib. V idem præſtat Maroto & Bezæ. Lib. VI & VII illuſtrium in Gallia Virorum fœminarumque pro reformata Religione aut contra eam ſtudia & geſta, itemque martyria exponit; multa ſane cum libertate, etiam cum de regibus ſermo eſt. Lib. VIII & parte IX famoſam illam *Cabrienſium & Merindolienſium* cladem, a Maymburgio extenuatam, pathetice ob oculos ponit, dein fautores quosdam reformationis ex ſacro ordine deſcribit. Lib. X & ſequentibus pergit proceres utriusque partis, inde Guiſios & Momorantios; hinc Condæos, Colinios, ipſosque Reges & Reginas laudibus mactare, aut vituperiis inceſſere; bella, prælia, carceres, ſupplicia, tractatus etiam & conventiones, atque edicta referre. Lib. XV de colloquio Poſſiaceno potiſſimum agit. Lib. XVI idemque ultimus in hiſtoria & elogio Guilielmi Auriaci occupatur. Diſſimulare non poſſumus, tot mendis typographicis editionem libri, qua uſi ſumus, ſcatere, ut ſecundam curam omnino requirere videatur, ſi lectoribus tædium, & iis, qui minus periti ſunt, errandi occaſio demi debeat.

NIEU LIGT DER APOTEKERS &c. BENEFfens eenige Ontleed-Genees-en Heelkundige VVarnemingen &c. Door Antonius de Heide M. D.

id eſt,

Novum Lumen Pharmacopœorum, una cum quibusdam obſervationibus Anatomicis, Medicis, & Chirurgicis, Autore Antonio de Heide, D.M.

Amſtelodami apud Hæredes Janſonianos 1682. in 8.

Qui

Qui Chirurgorum trivialium caliginem ac tenebras olim per Facem lucidissimam, seu tractatum, cujus inscriptio, *Nieu-light end Fackel der Heelkonst* discusserat Scriptor, idem vulgi quoque erroribus Pharmaceuticis mederi hoc opusculo alaboravit: evincendo, multorum medicamentorum usualium virtutes, hactenus suppositas, multum adhuc incertitudinis habere, pravisque operationibus ac præparationibus a Pharmacopœis subjici. Prius ut præster, equidem nonnullorum simplicium, v. g. vitri antimonii, purgantium vegetabilium, opiique vires sufficienter innotescere, concedit: plurimorum tamen effectus incertos ostendit, quod per experientiam veram, qua alias rerum potentiæ explorantur, illi nondum comprobati sint. Scilicet dum adæquatæ experientiæ quatuor essentialia concipit requisita, 1 ut de morbi, cujus remedium aliquod simplex dicitur, natura constet, 2 ut illud frequentius ac ut plurimum eundem in illo præstiterit effectum, 3 ut sine aliorum admistione fuerit propinatum, ac 4 ut ejus effectus manifestus & sensibilis satis existat; tentamina autem hæc cuncta sustinuerint aut sustineant pauciſſima usualium; multa, quorum virtus medicamentosa incerta, quotidie præscribi, ac Pharmacopolia plurimis inutilibus medicamentis obrui satis nervose colligit. Atque hæc sua argumenta variis circa specialiora, observationibus dilucidat, v. g. dum de usu Chinæ Chinæ in febribus tertianis egregio, de insulso cichorii contra calorem epatis abusu, de natura febrium, & quod harum formalitas non in calore consistat, de virtutibus opii multivariis, ejusque ac purgantium operandi ratione, de medicamentorum potentiis, ex colore aliisque eorum signaturis illatis disserit. Alterum, id est circa simplicium præparationes commissas ineptias, dum aggreditur, primo insignes illorum compositiones atque farragines culpat, utpote quæ nec palato serviant, nec asservationem medicaminum juvent eorumque corruptionem sufflaminent, nec robur illorum augeant, neque separationem partium activarum ab otiosis juvent; contra loco remedii damnum corpori adferant, v. g. in Mercurio sublimato, actionem medicamentorum incertam reddant, pharmacopœorum denique labores cumulent, ægrorumque crumenas emungant. Deinde in mixturis illis officinalibus congruitatē ac incongruitatem miscibiliū minime attendi, sæpe iis talia addi, quæ compositio-

tionis activitatem vix augeant, v.g. aquis destillatis corallia & margaritas, ac deniq; minus necessariis, ineptis ac damnosis operationibus exponi demonstrat; usitatiora Officinarum composita, v.g. aquas, aceta, Sirupos, electuaria &c. examinando, declarat, occasione vero antidotorum, veneni & alexipharmacorum naturam, ac errores circa theriacam ac mithridatum perpetratos exponit.

Observationes annexæ varii objecti sunt, scilicet de materia calli ossa fracta conglutinantis, quam sanguinem extravasatum esse tradit: de transitu sanguinis ex arteriis ad venas, quem per vasorum anatomoses fieri peraliquot experimenta suspicatur: de sanguine diversorum animalium, Lacte, & Saliva, per Microscopium, & destillationem æque ac affusionem nonnullorum liquorum, lustratis, ubi inter alia curiosa globosam cruoris particularum figuram his non propriam & naturalem esse, sed a fluido forsan seroso & heterogeneo imprimi auguratur, differentiam vero inter serum & salivam notabilem ostendit. Porro ex vulnerum cerebri & meningum chirurgia, & circa hanc adornatis experimentis, porismata nonnulla, physiologica non minus, ac practica, depromit. Puris, Seri hydropicorum & Urinæ varie a se institutæ examina recensèt, simulque Uromantiæ falsitatem atque fallacitatem declarat: Anginæ causam non tam in laryngis musculorum inflammatione, quam Cartilaginum Arytænoidarum & Epiglottidis glandularum tumoribus concipit, huicque malo remedium euporiston vitriolum album commendat. Variorum liquorum per venas canum viventium injectorum, ac flatuum inspiratorum phænomena, item Nucis vomicæ, cani ac feli exhibitæ symptomata, nec non in illorum cadaveribus observata, refert. Colophonem denique opusculo per descriptionem uteri reliquorumque organorum genitalium Ranæ fœmellæ imponit, *Tabulæ* XIII conferendam. In cujus *Fig.* I. NKL ovarii dimidium, IHP Tubam dextram, in situ naturali & convolutam, ABCE dextram evolutam magisque extensam, & FENP uterum facie externa bipartitum sistit. Literæ AD *Fig.* 3. Tubarum istarum extremum unum, circa pulmones & in ventre libere fluctuans, ac pro excipiendis ovulis patulum exhibetur, ex latiore orificio AD in meatum angustiorem circa C abiens, mox denuo latescens: E vero alterum, quo in uterum illæ hiant. Utero superin-

Tab. XIII.

ster-

ternitur inteſtinum rectum NO, reliquis inteſtinis, præprimis hyemali tempore latius, quod cum veſicæ urinariæ GO, pariter in duas quaſi eminentias diſtinctæ meatu excretorio & uteri cervice in ductum communem RS abit. *Figura* vero 2 præter interioris tubarum ſuperficiei arcolos hexagonas, a vaſis ſanguineis circumſcriptas, nihil declarat.

OBSERVATIO DN. LEUVVENHOECK DE PILIS,

Excerpta e Tranſactionibus Philoſophicis Anglicanis Menſis Januarii, 1683 p. 93.

QUi exilium corporum partes, quarum ſubtilis textura oculorum aciem alias fugit, adhibito microſcopio examinare ſolent, eorum aliqui pilos cavos eſſe, ac perinde ut oſſa medullam continere arbitrantur. V. *Power* Microſcop. obſerv. 50. *Hoock* micrograph. obſerv. 32. *Tranſact. Phil. Londin.* no. 102. Sed Dn. Leuwenhook, poſtquam accurato ſtudio ac repetitis crebris obſervationibus in rei veritatem inquiſiviſſet, datis ad Regiam Societatem Londinenſem literis (d. 4 Nov. anni 1681 Delphio) ſententiam illam disjecit, ac erroneam fundamenta detexit. Ejus ſunt quatuor iſtæ, quas exhibemus, figuræ, nempe 4, 5, 6, & 7, quibus intelligendis neceſſe eſt, ut paucis, quid ipſe de pilis ſentiat, referamus. *Tab. XIII.* Pilos igitur cenſet ita naſci, ut quod ante intra cutem delituerat materiæ glutinoſæ, id poſtea extra illam quaſi vi protrudatur, & cum initio molle ſit ac lentum, beneficio aeris paulatim ſiccetur. Ubi porro obſervat, contingere nonnunquam, ut partibus exterioribus pilorum ex cute prodeuntium ſubito ſiccatis, reliquæ internæ corrugentur, & inde varias fiſſuras ac rimas relinquant, unde & cavitates quaſi fiant, & lineæ nonnullæ obſcuriores appareant, quas aliqui pro medulla falſo acceperint. His præmiſſis, Figura quarta ABC exhibet ſetæ ſuillæ portionem oblique ſectam, cujus fiſſuræ e partium arescentium contractione ortæ ſunt EEEE. Figura quinta FGHI ejusdem pili portionem aliam repræſentat, in qua rima unica KLM conſpicitur, quæ ſpeciem cavitatis habet. *Hujusmodi pili obſervatio*, inquit Autor, *fortaſſe nonnullos decepit, ut crederent, veram cavitatem cujuscunque generis crinibus tribuendam eſſe.* In Figura ſexta NOPQ pili pars conſpicitur, quæ rimis omnino caret. *Id*, dicente Autore, *accidit, quia lente*

te ac paulatim pilus iſte, quum naſceretur, aruit. Erat autem coloris cineracci, interſperſis labeculis nigris a b c & aliis albicantibus. Septima denique figura ſiſtit nigrum pilum porcinum, qui quod partes interiores ſeu filamenta maxime conſpicua, & quodam ordine diſtincta haberet, inter alios excudi meruit. Omnes quatuor figuræ ad refellendum errorem communem ſerviunt, quo pilis generatim rotunditas tribuitur, quum tamen inter quatuor vix unus ſit, qui ipſam obtineat.

GABRIELIS NAVDÆI BIBLIOGRAPHIA MILITARIS, IN Germania primum edita, cura Georgii Schubarti.

Jenæ 1683, in 12.

QUi de veterum diſciplina militari ac arte commentarios reliquerunt, magis ingenii ac eruditionis gloriæ, quam poſterorum utilitatibus conſuluiſſe videntur; quod priſcorum ritus, ſi ad eos conferantur qui nunc obtinent, plane diverſos, parum emolumenti afferunt his, a quibus exactiſſime cognoſcuntur. Solidæ igitur veræque commoditatis rationem habens GABRIEL NAVDÆVS potius exiſtimavit, præcepta bellorum, omnibus locis & temporibus ac perſonis quæ conveniunt, complecti, & de recta eorum adminiſtratione commentari. Hinc profectum *Syntagma* ejus *de ſtudio militari*, Romæ anno 1637 Ludovico Comiti a Balneo dicatum editumque, opus eruditione, labore, ac multiplici digreſſionis cura exaſciatum. In cujus medio Lib. II pag. 504 & ſeqq. ubi modos ſcientiam militarem comparandi exponit, (quorum alter ſit experientia, alter lectio hiſtoricorum) auctores de re militari omnes recenſet, tum antiquos, ſive deperditos, ſive ſuperſtites; (ſive typis excuſos, ſive quorum manuſcripta in bibliothecis latent opera) tum recentiores: quorum quidam de militia in ſe tantummodo ſpectata ſcripſerunt, quidam veterem ac novam militiam inter ſe contulerunt, quidam de hodierna ejusque partibus ſingulis commentati ſunt. Integrum autem Naudæi Syntagma cum non ubivis extet, & rara ejus ſuperſint exempla, iſti eximendam hanc particulam cenſuit Clariſſimus Vir *Georgius Schubartus*: cumque ipſe auctor p. 36 edit. novæ, librorum militarium recenſionem hanc *Bibliographiæ polemicæ* nomine inſigniendam putaverit, ſub hoc titulo, argumentis capiti cuivis præfixis, corpori præſtantiſſimo avulſam hanc nobiliſſimam particulam edendam ſolitariam duxit; in hoc doctiſſimum Buchnerum imitatus, qui *Bibliographiam civilem* ſive politicam Naudæi ſimili inſtituto olim emiſerat typis noſtris in publicum.

TAB: XIII. ad A: 1683. pag. 510.

fig. 1.



fig. 3.

fig. 2.

fig. 4



fig. 5.



fig. 6.

fig. 7.

UNIVERSIDAD CENTRAL
BIBLIOTECA
CENTRAL

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Decembris, Anno M DC LXXXIII.

JACOBI GRONOVII EXERCITATIONES academicæ, de pernicie & casu Judæ τῦ ΘΕΟΔΌΤΟΥ.

Lugduni Batavorum, apud Danielem a Gaesbeeck, 1683, in 4.

PErditissimi mortalium Judæ infelicissimum interitum a Matthæo cap. XXVII, versu 5, & Petro apud Lucam in Actis cap. I, versu 18, verbis nequaquam obscuris expositum, variis opinionibus in diversas partes flectere, & historiæ tam claræ tenebras offundere, traditionemque tam adultam de suspendio, & *αὐθεντίᾳ* impugnatum ire studuerunt, qui interpretandis sacris litteris operam suam addixere. Ut igitur cognoscatur, quid ab ipso usque Apostolorum tempore observatum de ultimo proditoris casu sit ab aliis, simul autem intelligatur, quid statuendum de eo sit; muneris sui partes se impleturum existimavit, nec exquisitam suam eruditionem imparem huic argumento penitissime exigendo & sententiis aliorum examinandis esse ostendit doctissimus vir *Jacobus Gronovius*, editis exercitationibus academicarum prælectionum in usum conscriptis, quibus tenebricosum, ut ait, Judæ laqueum omnibus palam ostentare studuit, opiniones interpretationesque aliorum omnes candide in medium attulit, & acriter examinavit, monstravitque qua in parte illi videantur ab vera orbita deflexisse, ac denique subjecit, quid sibi videatur de sano rectoque sensu verborum Græcorum a Matthæo & Luca hic adhibitorum: quæ e Gentilium libris & debere elucidari & rectius posse quam ex omnibus Christianorum evanidis conjecturis, egregio hoc documento probavit; ostendens, & tempus & ipsam per-

niciem Judæ, quæ ſub variis doctorum hominum conjecturis hactenus fluctuaverunt, clarè ab ipſis Evangeliſtis eſſe indicata.

Primum qui involverit Judæ laqueo ſibi vitam finientis hiſtoriam, & ambagioſis fictisque narrationibus incruſtant, PAPIAM nominat, ſcriptorem teſte Euſebio futiliſſimum, cujus fabulationes de inflato Judæ corpore & plusquam hydropico ejus tumore, (quo factum, ut cum via, per quam facile agi plauſtrum poterat, ipſum non caperet, obtritus a curru ſceleſtus fuerit eiusque viſcera excuſſa) ab Oecumenio & Theophylacto interpolatas, ab his, qui Græcorum commentarios in Catenam Patrum contexuere, iſti innexas fuiſſe ait: a quibus acceptam fabulam latius diſſeminarint Baronius, Pererius & alii, falſas & prorſus commentitias neque inter ſe cohærentes narrationes de ſupplicio Judæ commenti: interiora etiam ejus ſcrutati, non eo animo venditum ab eo proditumque Servatorem fingentes ut occideretur, ſed quod ſperaret manibus & vinculis hoſtium ſæpius eluſorum eum elapſurum eſſe, ſeque divina ſua vi erepturum. Quod commentum Theophylacto & Theophani Cerameo placuiſſe affirmat: quorum alter addiderit, Judam Chriſto ſupervixiſſe, & in prædio poſt longos demum cruciatus periiſſe. Quarum fabularum futilitatem auctor veris rationibus & ſuſpicionum ſomnia idoneis argumentis diſcuſſit: rectiora ſecutum pronuncians veterem Interpretem Evangeliſtarum, qui *laqueo ſuſpenſum Judam effuſis viſceribus medium crepuiſſe* ſcripſerit. Quod licet omnis retro antiquitas perſuaſum habuit, ſibi diſcedendum tamen ab eo exiſtimavit avorum noſtrorum ætas, committi hac ratione Evangeliſtas verita, ſi alter ſuſpendio, alter præcipitio Judam periiſſe narraſſet, ac propterea laqueo gulam fregiſſe proditorem ſibi amplius perſuaderi non eſt paſſa. De eo quidem jam Eraſmum ſubdubitaſſe auctor pag. 27 indicat, quod nempe vultus in terram dejectus (nam ſic interpretatur πρηνὴς γενόμενον) non conveniat geſtui ejus, qui laqueo fauces conſtrinxit ſibi. Sed adverſus hunc, eosque qui eum ſecuti, ſuſpenſum vel ſe ipſum præcipitem egiſſe, vel ab aliis dejectum eſſe, ex iſtis Lucæ verbis colligunt, & mirificos caſus ſupponunt, iſtud loquendi genus auctor explicat: eaque occaſione dum privatæ ſtrangulationis exemplum e Petronio recitat, locum ejus emendat in capite 54, pro vulgato: *ſemicinctio ſtanti ad parietem ſpondam junxeram*, legendum cenſens: *ſemicinctio inſtitam ac parieti ſpondam junxeram.*

Veteribus

Veteribus ſcriptoribus confutandis, qui a Papia inducti (quem Euſebius, Caſaubonus, & Halloixius notavere) pro vera Judæ morte fabulas dederant, nec in ſacris litteris nec in antiquitate quidquam præſidii invenientes, capite ſecundo & tertio defunctus, quinto & ſexto ISAACI CASAVBONI ſententiam examinat, qui ut Matthæum proditoris in frangenda laqueo gula conſilium exponentem Lucæ facti ſcelerati exitum funeſtum horrendumque narranti conciliaret: Judam ſtrangulatione vitam ſibi erepturam, laqueum collo aptantem, ſeque impellentem, ut eo facilius fauces elideret, fracto laqueo in faciem cecidiſſe, & ſexo truncove aeuro illiſum ventre rupto inteſtina effudiſſe, vel divina ſic adgubernante ultione corporis fiſionem, quod vis quædam peculiaris & extraordinaria intus operaretur, paſſum eſſe tradidit: quod probarunt Belgæ Bibliorum interpretes, Calixtus, Gerhardus, Dieterieus & alii. DAN. HEINSII opinionem, Jac. Lydio præ cæteris probatam, ex ingenti mœrore animi contracto morbo & ſpiritus angustia, ἀγχόνη ſeu angina, Judæis familiari morbo, qui fauces, ſive ſummas gulæ gutturisque partes, cum anxietate maxima præcludit, ſtrangulatum quaſi Judam interiiſſe arbitrati, capite ſeptimo & octavo excutit. HVGONEM GROTIVM Heinſianam ſententiam interpolantem, & graviſſimum conſcientiæ exulceratæ tormentum inopinato caſu exitium Judæ attuliſſe aſſerentem, capite nono notat. CLAVDIVM SALMASIVM comminiſcentem Matthæi diſſenſum a Luca, quorum is ſuſpendio, hic præcipitio Judam periiſſe tradiderit, capite decimo refellit. JO. PRICÆI conjecturam, Voſſio admodum probatam, qua ductus nullum mortis genus a Matthæo indicari credidit, ſed animi ſaltem dolorem exprimi, quem præcipitium voluntarium fuerit ſecutum, incertum quo tempore, capitibus XI, XII, XIII & XIV elevat. JO. LIGHTFOOTI denique commentum, quo perſuadere is conatus eſt credulis, raptum a diabolo in ſublime proditorem ſtrangulatum ac præcipitem datum fuiſſe, ita ut terræ alliſus iſte rumperetur medius, effunderentur ilia, & tam horrendo exitu egrederetur qui in ipſo habitaverat dæmon, capite XV exagitat.

Momenta igitur omnium ſententiarum de ſupremis Judæ poſtquam examinaſſet, & ſevere caſtigaſſet, eos etiam qui amplexi iſtas fuerunt non minori ingenio quam verborum acerbitate perſtrin-

xisset, (Nicolao Heinsio aliud quasi agens admodum iniquus, ejusque fidem in enotandis variantibus lectionibus adhibitam p. 173 elevans) ipse quid de interitu Judæ sentiat tandem exponit. Et cum ante de vocibus ἀπάγχεσθ & πρηνὴς γενέσθ, e quibus solis recte intellectis verum genus mortis Judæ intelligendum, accurate disseruisset, & e plurimis Græcorum scriptorum locis probasset, quæ vera eorum esset significatio, nec unquam ἀπάγχεσθ adhiberi, nisi cum violentia extrinsecus in collo adhibita quæ circuitu laquei istud angustet, exprimenda est, ac vix scriptorem Græcum alicujus auctoritatis esse, qui non eo verbo ita utatur, exemplis Herodoti, Thucydidis, Æliani, Arriani, Artemidori, Aristophanis, Theocriti, Epigrammatariorum, Xenophontis, Polybii, Appiani, Luciani, Hesychii, Eustathii, & Hippocratis probasset, aliaque alibi non obvia, nec ulli interpretum antea observata, e Græca litteratura attulisset: tandem colligit, nequaquam angina, mœrore, aliove morbo, sed reste sua manu collo injecta infelicem spiritum exclusisse strangulatumque periisse perditissimum mortalium: post mortem vero non sepultum fuisse, (neque enim isto tempore amplius cadaver abjicere aut insepultum relinquere sibi religioni duxisse Judæos, quod non licebat dum casta religione Mosaicas leges observabant) sed in notam omnibus & destinatam cadaveribus & belluinis purgamentis voraginem ac Geennam πρηνὴς abjectum fuisse: qui locus tesqui instar eum esset horridus, eminentibus hic illic rupibus, istis impactum infelix cadaver ruptum fuisse & viscera effudisse. prorsus loco tali aspero ad id destinato, ut sic squallor cadaverum dum projiciebantur collisorum citius exsiccaretur & interiret, quam si integra alibi in plana abjecta lente putrescerent. Nulla vi hæc extorqueri, sed sponte sequi censet ex verbis, quibus illam historiam nobis prodidit Sanctus Spiritus, simplicissimis & liquidissimis maximeque propriis, quibus vim inferre & conjecturarum suspicionumque somniis in diversas partes ea rapere nefas existimat: vanum etiam componendorum Evangelistarum studium censet, in re de qua nunquam in partes abierunt; cum Matthæus de morte, Lucas de tempore post mortem, & eventu cadaveris laqueo alligati, postea demti abjectique & inde diffissi, narrationem instituerint.

J. COM-

J. COMMELINI CATALOGUS PLANtarum indigenarum Hollandiæ, cui præmissa Lamb. Bidloo dissertatio de Re Herbaria.

Amstelodami, apud Heinricum & viduam Theod. Boom, 1683, in 12.

EX Anglia mense hujus anni Majo Botanicum eximium repræsentavimus *Joh. Rajum*, cum *novam plantarum methodum* in publicum evulgasset. Nunc ex Hollandia exhibemus virum & ipsum rei herbariæ ad stuporem usque deditum *J. Commelinum*, Senatorem Amstelodamensium amplissimum, cujus Catalogus plantarum in Hollandia nunc nascentium, hoc ipso anno a Lamberto Bidloo, Pharmacopœo Amstelodamensi, fuit editus. Libellus, si molem contempleris, valde est exiguus; sed si laborem in tot agris, nemoribus, dumetis, collibus littoribusque perreptandis, plantisque exinde colligendis adhibitum, satis grandis atque operosus; nec plantarum tantum catalogum sed arbores etiam, sata, & quidquid ex terræ Hollandicæ exsurgit gremio, complexus. Plantas vero *indigenas* dum nuncupat auctor, non eas tantum, quæ supra hominum memoriam in Hollandia suapte sponte crescunt, sed & quæ ex aliis in eam delatæ oris cœlo & solo Hollandiæ assuefactæ, & civitate quasi ejus sunt donatæ, exhibet; & quidem ordine alphabetico dispositas, nec latine tantum a *Casparo* & *Johanne Bauhinis* fratribus, aliisque clarissimis Botanicis, quorum series cum contractorum nominum explicatione dissertationi Editoris subjiciturr, sed & Belgice a Belgis duobus *Remberto Dodonæo* & *Matthia Lobelio* denominatas. Expressa etiam sunt nativitatis loca nominibus propriis, quibus gaudent, urbes puta Hollandiæ, pagi, villæ, fluvii & canales, ut adeo ab iis quoque, qui linguam latinam in Batavia haud callent, & herbarum tamen diligentissimi sunt collectores, investigari ostendique aliunde advenientibus possint.

Usum libelli hujus ulteriorem fuse jam dictus Bidloo in dissertatione præliminari exposuit; atque ea pariter, quæ a Medico quodam in scripto invectivo cum contra Botanicen omnem, tum contra indigenarum plantarum præstantiam a se assertam protulerat, partim experientia certa, partim aliorum populorum atque auctorum testimoniis con-

futavit. Atque uti Botanices patronum ſe ſemel eſt profeſſus, ita non ab iis tantum, qui rejectis Botanicæ ſacris, Chymiæ apotheoſin quandam affingunt, ſe facit ſegregem, ſed & illos, qui totum Medicinæ negotium ad normam Matheſeos ſe inſtituere atque abſolvere gloriantur, ſatyrico ſale perfricat: oſtenditque præterea, Neotericos nihil aliud quam veterum cramben, dogmata videlicet de *atomis, motu, materia prima, fermentatione, diſſolutione & concretione*, recoxiſſe. Patrocinatur poſtea Empiricis, ſed ratione utentibus, Hippocraticique ſimilibus, qui divinos aphorismos ſuos ex tabulis ægrotantium eucharisticis concinnaſſe traditur. Quanquam autem non approbat Bidloo, qui ex Chymia, Botanica inſuper habita, deam quaſi faciunt, eam tamen Phytologicis disquiſitionibus non minus, quam Metallurgiæ & mineralium anatomiæ cenſet neceſſariam, quippe cujus ſine adminiculo plantarum deſtillatio, decoctio, extractioque non poſſit fieri. Quæ & alia poſtquam fuſe ac docte pro Botanica herbisque indigenis ediſſeruit Bidloo, de recte inſtituendo ſtudio Phytologico nonnulla adjicit. Exiſtimat autem Botanicorum priſcorum & cœtaneorum figuras diligenter examinandas, an eædem ſint, quibus nos utimur? nec tantum radicum, foliorum, caulium, florum, ſeminumque figuras indagandas, ſed & palati nariumque examini offerendas. Hoc excipere debere Chymicam analyſin, unde luculenter patere poſſit, num eodem ex proceſſu ſuccedant eadem; dein diſcernenda legitima a ſpuriis, & tum conſpicuum fore, num recte Botanicorum mentem, titulos, vocumque ſignificationes perceperimus; quin & apparituram, Auctores quosdam minus dextram tribuum diſtributionem confeciſſe. Præmiſſæ huic disquiſitioni uſum medicum tanquam coronam atque coronidem imponendum: hunc enim, ſi contrarium teſtetur ſucceſſum, documento fore, aut erraſſe anteceſſores noſtros, aut nos nō ſatis homogeneam inveſtigaſſe plantam. Quod ignota attinet, hæc primum, quantum ex figura externa, odore & ſapore conjicere liceat, ad claſſem alicujus generis referenda, ignisque examini deſtinanda, unde cui ſpeciei propius unaquæque herba accedat, manifeſtum ſit futurum. Deſinit tandem in laude ſtudii botanici, cumque circiter bis mille annos parum vel nihil luminis allatum ei fuerit, (quod & Botanicis objecit Helmontius) id vel maxime nunc temporis excolendum exornandumque eſſe contendit, laudatque tum Conſules Senatumque Amſte-

loda-

lodamenſium, qui ſui medico, exoticorumque culturæ hortum ſpatioſiſſimum deſtinarût, tum *Commelinum* inprimis ſpectatiſſimum, qui non notas tantum collegit herbas, ſed &, ab aliis nullibi & nunquam repertas Hollandiæ plantas nota ND. diſtinctas, detexit, longeque plures hoc opuſculo jam ſub prelo ſudante congeſſit, aliquando & ipſas luci exponendas.

OBSERVATIO RARA

circa aquam Rhodani, Jac. Spon Med. D. Lugd.

Quæritur inter medicos, inquit Plinius, *cujus generis aquæ ſint utiliſſimæ. Stagnantes pigrasque merito damnant, utiliores quæ profluunt exiſtimantes: curſu enim percuſſuque ipſo extenuari atque proficere.* Hinc magnorum & rapidorum fluminum aqua ſalubris eſſe debet, ſi præſertim multum limi non vehat ſecum. *Parthorum Reges*, inquit idem Plinius, *ex Choaſpe & Eulæo tantum bibunt.* Indorum Reguli ex ſolo Gange. Tot populi varii, tot varias potant aquas, fontanas, puteales, nivales, pluviales, fluviatiles, neceſſitate & commoditate potius coacti, quam ſanitate. In ultimo meo per Galliam itinere, Arelate pertranſiens, quæ eſt urbs antiqua ad Rhodanum ſita in paluſtri ſolo, obſervavi fontes nullos eſſe, ſaltem quorum aqua potabilis & laudabilis foret, nec pariter puteos; attamen ipſos aquam limpidiſſimam & optimam bibere. Quænam illa foret aqua inquiſivi. Eandem retulere mihi, quæ mœnia noſtra proluit: at quo pacto reſervaretur, addidere. Ex medio Rhodani fluente accipitur, & domum affertur, ubi in cellis vinariis reconditur intra maximas figulinas urnas, in quibus ſubſidentia omnis per aliquot ſeptimanas aut menſes deponi permittitur, antequam potetur. Hinc pura & optima aqua habetur, quæ non ſolum per plures menſes, ſed per annos plures, imo per ſæculum integrum incorrupta conſervatur. Repertæ ſunt enim aliquot urnæ aqua illa plenæ, in domus alicujus ruderibus, quæ a centum fere annis jacebat. Quod ſi aqua hæc Rhodani hoc quo diximus modo depurata, in navibus ſupra mare transferatur, incorrupta permanet, modo ſit illa in figulinis urnis reſervata: alioquin ſi in doliis ligneis, corrumpitur, & dein exacto aliquo tempore iterum depuratur, & potabilis ut antea evadit.

Ergo

Ergo illa corruptio a ligno putredini potius apto, quam vaſa figulina. quod in nautarum gratiam notandum. Etenim non eſt forte illa proprietas optimam & incorruptam aquam præbendi Rhodano ſoli tribuenda: ſiquidem & in Occitania qui circa fluviolum *Vidourle* habitant, idem de ipſius aqua decantant. nec dubito magnorum præſertim fluminum aquas id præſtare, veluti Rhenum & Danubium, ſi eodem modo recondantur. Quod Phyſicis & curioſis proponendum cenſui, non tantum ut theoricam quæſtionem, ſed etiam ut in uſum revocetur in iis locis, ubi laudabiles alias aquæ non habentur. Ita apud Lugdunenſes noſtros, qui puteales aquas non omnino limpidas ac puras bibunt, Arelatenſium jam non invidebo lympham, ubi magnas mihi fingi urnas curavero. Adſunt enim nobis *Rhodanus amne præpido fluens, Ararque dubitans quo ſuos curſus agat.* Ille purus & limpidus, iſte impurus & limoſus, unde potui minus commodus. Sequana tamen Lutetiam interſecans, limo turgidior eſt, potatur tamen & ſana putatur poſt integram defæcationem. Purgans eſt præcipue advenis ob exiguum ſalem ex limo & recrementiis variis ab illa convectatis. Plin: *Aquam quam optimam, aeri ſimillimam eſſe oportet*, hoc eſt, tenuem & quamminimum ſecundis qualitatibus dotatam, inſipidam, inodoram ac pellucidam.

HISTOIRE DU CALVINISME ET CELLE DU Papiſme miſes en parallele, ou Apologie pour les Reformateurs, pour la reformation, & pour les reformez, diviſee en quatre parties, contre un libelle intitulé l' hiſtoire du Calviniſme per Mr. Maimbourg.

ſive

Hiſtoria Calviniſmi & Papiſmi parallela.

vel

Apologia Reformantium, Reformationis, & Reformatorum, in quatuor partes diviſa. Adverſus libellum cui Titulus eſt: Hiſtoria Calviniſmi Dn. Maimburgii. Roterodami 1683. in 4. & 12.

apud Arn. Leers.

Prodit

PRodit jam poſt illos, qui Maimburgianam Calviniſmi hiſtoriam aggreſſi, & a nobis in ſuperiorum menſium actis relati ſunt, is cujus ſpem illa fecerunt; juſtæ, ut dici ſolet, armaturæ bellator, argumentorum phalange & ad defendendum, & ad impugnandum inſtructus. Prius operis parte prima, alterum ſecunda præſtandum ſumſit. Nos de prima nunc agemus, dilata in menſem ſequentem altera. In præfatione *Gallum* ſe profitetur autor, ſed extra patriam viventem: neque tamen ſatis tutum putavit, ut nomen ederet, Regis longas manus, & iras veritus. Has ab adverſæ partis ſcriptoribus incendi queritur, dum non ſolum Reformatis veteribus rebelliones & bella civilia immerito imputent; ſed & Apologiſtas recentes magnæ adverſus Regem inſolentiæ, per calumniam accuſent, & ignobili cautela efficiant, ut ſummo rigore adverſus autores & editores defenſionum procedatur. Se tamen libere ait & ſincere facturum, ut veritas contra objectiones falſiſſimas aſſeratur, nec Sponii cautela uſurum, qui in hiſtoria Genevenſi ad patronos quosdam in aula Regia reſpexerit, omiſſis, quibus offendi illi viderentur poſſe. Antequam vero in aciem deſcendat, characterem ingenii Maimburgiani præmittit; venalemque & aulæ mancipatum ſtylum, tum ex hoc, quem refutandum deſtinat, libro, & *Concionibus* ejus *Anti Janſeniſticis*; tum ex aliis ſcriptis prolixe arguit: eoque non mirandum eſſe dicit, quod in Reformatos, quorum interitum ab aula decretum eſſe ſciat, tam acriter invehatur, qui eodem adulandi ſtudio regiam cauſam in quæſtione *de regalibus*, utut juſtiorem, tamen contra ordinis ſui ſacramentum adverſus Pontificem defenderit, & cenſuram ejus, atque ejectionem ex Societate inſolenter ſpreverit; ut jam *Abbatis* aut *Domini* titulo tumidus, per vicos Pariſienſes biga feratur, quos antea pedibus triverit.

Poſt hæc & alia etiam acriora, *Parte I. Libr. I. Cap. 1.* (compellatione ſemper per modum epiſtolæ ad amicum quendam directa) *Zvinglium* a Maimburgii convitiis liberatum it: militem fuiſſe negat; *Ignatio Lojola, Dominico*, & *Franciſco* longe ſanctiorem ſtatuit: neque Pelagianiſmum ſapere, quod de Ethnicis quibusdam ob virtutes in cœlum receptis ſcripſerit, cum ex iisdem virtutibus conjectaſſet, extraordinaria Dei gratia, nec niſi per Chriſtum, ad ſalutem eos perveniſſe. Ad ſummum itaque in facto erraſſe, aut exemplo *Clementis Alexandri-*

xandrini & Epiphanii, eadem & duriora tradentium; nulla *Pelagianæ* hæreſeos contagione, quæ omnia viribus humanis tribuat, quamque Scholaſtici & Jeſuitæ renovarint. His Guil. Poſtelli immanes errores objicit, quem pro ſocio inter fundatores agnoverint. *Cap. 2.* Literatos, qui ſuperata *Sorbonicæ Theologiæ* barbarie, Sacrarum literarum ſtudia ſub Franciſco I Rege reduxerint, interque eos *Guilielmum Briſſonetum Epiſcopum Meldenſem*, & *Jacobum Fabrum Stapulenſem* defendit, hujusque memorabilem & ſanctum obitum ex *Huberto Leodio* refert. *Cap. 3. Petri Vermilii*, vulgo *Martyris* dicti, cauſam agit, nec in doctrina de Cœna vacillaſſe, aut *Luthero* conſenſiſſe concedit. Negat etiam uxorem ejus monialem fuiſſe; nec referre, ſi fuerit. Ex *Hieronymo* enim, fervido licet & hyperbolico cœlibatus præcone, conſtare, licuiſſe velatis virginibus, ſi voluiſſent, nubere. Matrimonia Sacerdotum defendit, & impuritatem cœlibatus inſectatur. *Cap. 4.* diſſenſum, qui objicitur, inter *Zuinglium* & *Calvinum*, in fundamento Religionis fuiſſe negat. Expendit divinam providentiam, qua fiat, ut diſſenſiones etiam inter orthodoxos inveniantur: ex quorum tamen cenſu *Socinianos*, novos *Arrianos*, *Anabaptiſtas*, & omnes fanaticorum ſectas excludit. Eidem providentiæ divinæ tribuit, quod pauci electi, in purioribus etiam cœtibus, multitudine reproborum circumdentur, & ſub illa aliquando, præſertim in perſecutionibus, (per quas non ſemper, nec ſoli electi abripiantur,) lateant. Quod vero ex Proteſtantium Eccleſiis multæ ſectæ hererodoxæ prodierunt, id veritatis indicium eſſe; neque aliter actum in Eccleſia primitiva. Hujus enim fata cum Proteſtantium Eccleſiarum ſtatu optime comparari poſſe: ſive ſimplicitatem & humilitatem docentium; ſive ſchiſmata inter fideles, (qualia *Corinthi* fuiſſe ex *Pauli* & *Clementis* epiſtolis conſtet;) ſive hæreſium multitudinem; ſive diaboli machinationes & hoſtium ſævitiam ſpectemus. Concordiam itaque & quietem externam non eſſe argumentum veræ Eccleſiæ, neque *(Cap. 5.)* unionem tantopere a Romanenſibus jactatam alio vinculo niti, niſi ſola primatus Pontificii agnitione. Sic receptos olim *Abyſſinos* & *Maronitas*, non correctis erroribus, quos ab *Eutychianis* & *Monotheliti*s hauſtos notorie retinuerint. Objicit deinde acerrimas inter Romano-Catholicos diſſenſiones, *de immaculata conceptione B. virginis; de auxiliis gratiæ, dum Moliniſtæ Arminianorum, Janſeniſtæ*

nistæ Gomaristarum sententiam teneant; item de juribus Episcoporum, de disciplina morum; & de infallibilitate Pontificis, a Clero Gallicano negata: unde sequatur, extra concilium, adeoque jam intra annos centum, spiritui erroris expositam fuisse ecclesiam. Ita intra castra & vallum Pontificiæ unionis, imaginariæ & hypocriticæ, pugnari non mitius, quam inter Protestantes, nisi quod hi separata quasi castra habeant. Uniri tamen hos sub uno capite Christo, & judice Scriptura, in fundamentis doctrinæ: sed disceptantes in Ecclesia Romana, nec sub his principiis inter se uniri, & solo primatus utcunque agniti nexu ad externam pacem obtinendam Pontifici adhærescere. Nec audere, aut ausurum Papam controversias, quantumcunque graves decidere, nec obsequium inventurum esse: sic enim condemnatos licet, *Escobaris, Lessii & Caramuelis* libros, nihilominus manere, & rejecta dogmata vigere. *Cap. 6.* fanaticorum originem Protestantium doctrinæ objectam, in adversarios retorquet: ab illis enim visiones & apparitiones ad tuendos errores expeti, curiose indagari, & sub levi prætextu probari. In vita Monastica atram bilem sive melancholiam frequenter gigni, & ad visiones eliciendas foveri; apud Protestantes helleborum visionariis proponi. Nec novum *Enthusiasmi* malum esse. Ad *Hieronymum* provocat, tam doctum & acrem virum, qui tamen in vita *Hilarionis* & *Pauli* Eremitarum ea scripserit, quæ insulsissima *Sanctorum Legenda* ineptiis vincant. Nihil absurdius esse apparitionibus *Theresiæ, Carmelitarum reformatricis*, quas tamen *Arnaldus Andillius* Gallice vertere sustinuerit. Fuisse longe ante reformationis tempora *Franciscanos spirituales*, decretis Pontificiis vix coercitos; fuisse *Flagellantes, Begardos, Turlupinos*, aliosque; *Johannem Parmensem* æterni Evangelii venditatorem, seculo 13 vixisse, nec multo post *Christianum Rosacrucium*, cujus dogmata in libro, cui nomen *Famæ*, ineunte hoc seculo resuscitata fuerunt. Fanaticis accensendos etiam esse *Theologiæ Mysticæ* scriptores, *Schonovium, Tauslerum, Rusbrochium, &c.* nec *Lutheranis* annumerandum autorem *Theologiæ Germanicæ*, Libertinismi, ut putat, semina continentem: imo a Luthero rejectum fuisse *Lojum* quendam, *Antuerpiæ* postea combustum. Pro Enthusiastis etiam habet in Belgio plurimos ante Lutherum, *Coppinum*, *Quintinum*, alios: sed & Monachorum quorundam fundatores; tum S. *Brigittam*, & *Catharinam Senensem*,

Tandem etiam in *Avianum*, præter vere Sanctorum exemplum in orbe, ut ait, vagantem, & se fictis miraculis ostentantem, vehementer invehitur. *Cap. 7. Marotum* inter Doctores reformatos non agnoscit, nec psalmos in Protestantium gratiam aut usum, sed ut Poetam, in aula Francisci I Regis, composuisse scribit: hosque prius a Catholicis, quam a Reformatis cantatos, imo censura probatos, & cum privilegio Regio editos aliquando fuisse. Maroti mores non defendit, negat tamen illum ob adulterium Genevæ fustibus cæsum. Objicit cantiones ineptas, aut profanorum carminum tonis accommodatas; Psalterium Latinum Breviarii ex corrupta Græca versione translatum, & *Antonii Godavii* paraphrasin a sensu Spiritus Sancti multis locis recedentem. *Cap. 8.* pro Beza acriter pugnat, excusato inprimis carmine Juvenili, quod Maimburgius Bezæ objecit, *Florimundi Remondi* calumniam secutus. *Cap. 9.* retorsionis loco turpissimos *Aretini* & *Johannis Casæ* libros opponit; tum quæ *Casiliæ* v. g. *Thomas Sanchez*, & ex veteribus, *Burchardus Wormatiensis*, aliique scripserint, lectu horrenda. Impuros vero Cleri mores ex autoribus ante reformationem, & ex ipsius Maimburgii *de declinatione Imperii*, testimonio taxat. *Cap. 10. Annæ Burgii* Martyrium ex Thuano, & aliis argumentis defendit. Digreditur inde *Cap. 11* usque ad 14, ut evincat veros Christi Martyres tum ob doctrinam & pietatem; tum ob constantiam, tolerantiam, ut & numeri, sexusque & ætatis respectu fuisse, qui ob religionem Reformatam & Lutheranam mortem oppetierint. Nec gloriam hanc Lutheranis denegandam; passos enim esse ob fidei capita, quæ cum Reformatis communia habuerint: nec leviores errores a Deo Martyribus imputari. Certe *S. Cyprianum* non fraudari Martyris titulo, licet a *Stephano* Pontifice excommunicatum. Exagitat *Martyres Jesuitarum*, præsertim in Anglia & China, allegatis contra eos autoribus Romanensibus: notat etiam *Georgium Cappadocem*, quem in Papatu, Angli præsertim devote coluerint, Arianum fuisse. Persecutionem in Gallia superiori seculo exercitam summæ crudelitatis, & Ecclesiam Romanam maximæ impietatis accusat; & Tragicos casus funestasque persequentium mortes, multis exemplis confirmat. *Cap. 15. Calvini* Apologiam facit: & cum Maimburgius putida quædam, a celeberrimis tamen adversæ partis autoribus huc usque confidenter objecta, omiserit, ad excu-

sandam,

ſandam, quæ Calvino imputatur, animi & ſtyli vehementiam reſpondet, protervia adverſariorum irritatum fuiſſe; Deum vero hanc ejus ut & Lutheri vehementiam in bonos uſus Eccleſiæ vertiſſe: multa tamen exaggerata aut afficta. Denique ejus ſeculi & ſcholarum morem hunc fuiſſe, & ex libris controvertentium apparere, ut acribus dicteriis ſe mutuo inceſſerint: nec parcere ſibi invicem hodie Romano-Catholicos; imo *Arnaldum* omnes mortales convitiandi arte ſuperare. Obiter notat, Calvinum ſerius ad reformationis negotium acceſſiſſe, nec inter primos reformatores numerandum eſſe. *Cap. 16.* ridiculum eſſe ait, quod Maimburgius objiciat, Calvinum non fuiſſe Theologum: aliter judicare peritiores ex Romana Eccleſia. Exſcriptum fuiſſe a *Salmerone*, laudatum a *Stapleton*o, *Pasquierio*, aliis. Scholaſticarum nugarum parum expertum fuiſſe fatetur; ſed has a cordatis Pontificiis ipſis improbari, quos allegat, & barbariem ſeculi ante reformationem libere deſcribit. *Cap. 17.* ſingulare eſſe ait, & imperitiæ adſcribendum, quod Maimburgius Calvino Lutherum quoad eruditionem præferat: fuiſſe utrique ſua dona; ſed Lutherum omnium conſenſu in commentationibus S. Scripturæ a Calvino vinci, & hunc ad miraculum literatum fuiſſe. Poſtea *Petri Valdi* laudes ex ipſo Maimburgio repetit; nec pudere debere Calvinum aut Lutherum, ſi quid ex eo aliisque hauſerint, dummodo (ut confidit,) vera & pia ſint: nova enim non affectaſſe. Inde ad dogmata quædam aſſerenda progreditur, v. g. *de libero arbitrio, de gratia efficaci, de juſtificatione per fidem, de juſtitia imputata, de meritis operum, de virtute Sacramentorum, de fiducia, de poſſibilitate implendi legem divinam, de utilitate votorum:* in quibus omnibus ſententiam Reformatorum ſpecioſe proponit, & reprehendi eam non poſſe exiſtimat. *Cap. 18.* ad ea reſpondet, in quibus Lutherum Calvino juſtius, ſive accuratius erraſſe, ſcribit Maimburgius: hanc ejus phraſin exagitat autor, dein ad allegatos errores, quos Lutheranis dogmatibus graviores æſtimat Maimburgius, ſpecialia regerit & ex hypotheſibus Reformatorum explicat: v. g. *de dubitatione, cum fide ſive fiducia conjuncta; de gratia*, an *amitti non poſſit?* an *Deus Pater filium non ſemper generet?* an *Filius eſſentiam ſuam non habeat a Patre, nec Spiritus S. ſuam a Patre & Filio?* an *Pater ſolus ſit Deus per ſe ipſum?* an *Chriſtus dubitaverit de anima ſalute? Cap. 19.* imputatum Calvino do-

gma, quod Deus homines ad damnationem creaverit, calumniæ accusat: refert differentiam *supralapsariorum* & *infralapsariorum*, neque tamen concedit priores illos statuere, quod Deus homines ad damnationem creaverit, aut, non prævisо crimine, damnaverit. Calvinum dicit non habuisse opinionem supralapsariorum, & a paucis hanc teneri: minime vero etiam ex hac doctrina sequi quod Maimburgius inferat, nempe ideam de Deo iniquam, multo minus Atheismum; quippe qui ex longe aliis, quam ex conceptu nimiæ severitatis divinæ oriatur. Fatetur tamen supralapsariorum sententiam incommodam esse, & rectius adhæreri *Augustino*; quod & Calvinus fecerit, præcipuique ex Scholasticis *Scotus*, *Thomas*, & alii quos citat, quosque Maimburgius incaute cum Calvino damnet. Subjungit quædam de corporis Christi in S. Cœna præsentia, quam dicit spiritualem esse, sed nihilominus realem, ob communicationem omnis virtutis carnis Christi per fidem. *Cap. 20.* ceremonias Ecclesiæ Romanæ, quas extollit, & reformatum cultum sine succo & unctione, sceleti instar, siccam & informem esse Maimburgius dicit, minime ad veram pietatem conducere, sed hypocritis latibulum præbere statuit. Improbat tamen, quod alicubi inter Protestantes (Britanniam intelligit) ob quosdam ritus turbæ excitentur, nec infirmis ex utraque parte parcatur. Mysticas quasdam rituum in Rom. Ecclesia significationes ex autoribus ritualium affert, easque vel ineptas, vel quoniam populo ignotæ sunt, infructuosas esse docet. *Cap. 21.* in statu Ecclesiæ perfectissimo & optimo, qui tempore Christi & Apostolorum, & paulo post fuit, nihil ex succo & unctione, quam Maimburgius tantopere celebrat, reperiri scribit, adductis testimoniis ab adversæ partis autoribus. Originem potius rituum in quibusdam *Judaismo*, plerisque vero *Paganismo* deberi contendit, inter alia ex collatione *apotheoseum* cum *canonizationibus*, *Penatium* aliorumque *Semideorum* cum Sanctis, eorumque imaginibus & cultu. Denique aperte adversari Christianæ religioni, quod jugo Judaicorum rituum, sanctis de causis populo illi a Deo impositо, per Christum liberata, sub aliud non minus grave redigatur, & cultus Christianus simplicitate & puritate sua cœlesti, quem speramus, proxime accedens, externis pompis & ritibus in Papatu oneratus, illius dissimillimus reddatur. Præferri igitur merito debere siccum & sceleto similem, sed

pium

pium & purum Reformatorum cœtum, ſucculentæ & fece mundi illitæ Romanorum Eccleſiæ.

Partis primæ Sectio ſive liber ſecundus hiſtoricus eſt, & exponit, quomodo non in Gallia tantum, (de qua fere unice agit Maimburgius,) ſed & alibi ad reformationem perventum ſit. *Cap. 1. Tigurini* ſenatus acta referuntur & probantur, quia religionis cura ad Magiſtratum pertineat, isque conſilio ſacerdotum & doctorum, plusquam 600. adhibito, tempore etiam ultra ſexennium indulto, optimo ordine & circumſpecte proceſſerit: optatque ut ubique eo modo agi potuiſſet. *Cap. 2.* prolixe agitur de reformatione *Genevenſi*, & quædam referuntur, quæ (ut in præfatione auctor jam monuerat) certis ex cauſis in nuper a V. C. *Jac. Sponio* edita Genevenſium hiſtoria omiſſa fuerant: inter hæc atrocia de Cleri vitiis & de fraudibus in reliquiis ſupponendis, aut miraculis effingendis. Multa habet de *Farelli, Fromentii & Vireti*, qui primi religionem reformatam, (Lutherana tunc vocabatur) Genevæ prædicarunt, zelo, eorumque perſecutionibus: populi vero exceſſus turbulentius aliquando agentis, libertate publica, & *Bernatium*, urbis protectorum, autoritate excuſat. *Cap. 3.* hiſtoriam reformationis in *Scotia* a prædicatione & martyrio *Patricii Hamiltonii*, qui in Academia *Marpurgenſi* Lutheranæ doctrinæ principia hauſerat, inchoat, & notatis quæ Maimburgius falſo, ut ait, & ad invidiam Scotorum commemorat, usque ad mortem Regiæ matris *Mariæ Lotharingæ* deducit: poſtquam totum regnum Papismum excuſſit, nulla violentia, ſed omnium ordinum conſenſu: ſola regina, fruſtra, ut ait, & nullo jure obnitente. excuſat autē plebem, quod perſecutionibus ab initio irritata, feſtinantius in quibuſdam locis ad diruenda monaſteria progreſſa ſit. *Cap. 4 Mariæ Stuartæ*, quam ut Sanctam & martyrem mire extollit Maimburgius, & alii ex earundem partium ſcriptoribus, mores corruptiſſimos cum in modum exponit, ut appareat, quicquid ei mali contigit, non Calviniſmo, ſed ipſius culpæ eſſe tribuendum. *Cap. 5.* de reformatione in *Anglia* agit, *Burnetum* ſecutus contra *Sanderum*, quem nihil niſi calumnias & mendacia compilaſſe notat. Inprimis obſervat, quod doctrina *Wicleffi* nunquam plane extincta fuerit in Anglia, ſed ad Lutheri usq; tempora clam duraverit: idque probat ex pœnis, quæ plurimis ob illam doctrinam, affictis tamen erroribus, irrogatæ fuerint.. Dein *Henrici VIII* geſta accurate enarrat, & Maimburgii Theologiam notat,

tat, quod Catholicum illum manſiſſe ſtatuat, qui Pontifici obſequium denegaverit: unde exemplum oſtendatur, ſalva religione Pontificiam autoritatem ſubruendi. Promoviſſe vero Henricum reformationis opus, etiam per viſitationem & deſtructionem monaſteriorum, cum immania religioſorum ſcelera deprehendiſſet, & monachorum potentiam debilitare vellet; dein permiſſa plebi lectione Bibliorum; decretis etiam ſynodicis, per quæ multa dogmata Pontificia correcta aut ſuspenſa fuerunt: faventibus reformationi *Thoma Crammero Archi-Ep. Cantuarienſi*, & *Thoma Cromvvello*, Regi a Secretis, poſtea Eſſexio Comite. Non diffitetur tamen *Cap. 6*, Lutheri ſententiam tunc in Anglia receptam, ſed *Zuinglianam a Petro Martyre* poſtea, ſub Eduardo VI introductam fuiſſe. Regis hujus hiſtoriam, atque abſolutæ ſub illo reformationis recenſet, notatque, omnia ſine cæde & ſanguine peracta fuiſſe, conſentientibus aut diſſimulantibus Epiſcopis. *Cap. 7.* inauditam Mariæ Reginæ crudelitatem in Proteſtantes, optime licet de ipſa meritos, etiam marito *Philippo Hiſpaniarum Rege* & *Reginaldo Polo Cardinale* Pontificis Legato non ſatis probante, exercitam deſcribit, adminiſtris potiſſimum *Gardinero Vinceſtrienſi* & *Bonnero Londinenſi* Epiſcopis. *Crammeri* martyrium refert, & ut rejecta, quam ſpe veniæ ei extorſerant, palinodia, dextram ſuam, Scævolæ exemplo, rogo impoſitus, prius ipſe combuſſerit. Dein quæ mortua *Maria* Eliſabetha ad perficiendam reformationem placide & ſine ſanguine peregit, indeque diverſum utriusq; religionis genium explicat. Tandem etiam *Ebonacenſis Duciſſæ* declarationem, quam Maimburgius hiſtoriæ ſuæ adjecit, nihil ſani continere, & veriſimile videri ait, eam illius pœnituiſſe, cum biduo poſt moreretur. *Cap. 8.* deducitur, motuum cauſam in Belgio minime Calviniſmo tribui potuiſſe: ſed eos ex rationibus politicis, ob violata provinciarum privilegia excitatos fuiſſe, culpa *Granvellani* potiſſimum; quod probat ex autore Gallo Proteſtantibus minime amico, & clerico, cui nomen *Le Laboureur*, *in addit. ad memorialia Michael. Caſtelnavii.* Notat etiam ex *Meterano*, ab anno 1522 usque ad tumultum bellicum Anno 1567, magnam jam copiam Reformatorum in Belgio fuiſſe, & plusquam quinquaginta hominum millia religionis cauſa per varia ſupplicium genera periiſſe. Religionis itaque initium non a libero exercitio, ſed a profeſſione, licet inter perſecutiones, numerandum

eſſe

esse: secus si fiat, Christianismi principium in seculum quartum collocandum fore. Ex eadem ratione *Cap.9* probat, minime verum esse, quod adversarius tradat, violentis modis reformatam doctrinam in Gallia stabilitam fuisse; cum ne unicum quidem exemplum afferri possit, quod aliquis ad religionem hanc amplectendam metu mortis, aut alia vi, quali Romana Ecclesia utitur, coactus fuerit: neque ante annum 1560 arma sumta, cum tamen ab anno 1521 Lutheri doctrina in Galliam delata plurimos sectatores jam invenisset, & multi ob eam ad supplicia raperentur, ut adeo in sanguine Martyrum ad veteris Ecclesiæ exemplum Protestantium religio stabilita fuerit; & anno 1559 ante bellum postea exortum jam plusquam 2000 cœtuum numerarentur, ita ut etiam synodo Nationali Lutetiæ celebrata confessio fidei conscriberetur, qua adhuc Reformati utuntur. Cæterum regulam, quod sine permissione publica Evangelium prædicari non debeat, repugnare juri divino, & exemplo Apostolico: nemini enim id prohiberi posse, qui morte luere veritatis prædicationem velit. Dein *Cap.10* usque ad 21 *sive ultimum*, prolixe ostenditur, quam injuste & subdole bellorum civilium, per annos 40 in Gallia gestorum, calamitas Reformatis tribuatur; cum vel ex scriptoribus Romanarum partium constet, causas bellorum istorum vel omnes, vel saltem præcipuas & plurimas, politicas fuisse; *Ligæ* potissimum, cui *Catholicæ* & *sanctæ* nomen fecerant, quamque ne Maimburgius quidem nunc, cum victrix pars *Borbonia* regno potiatur, probare audeat, imputandas. Notanda est singularis & nova, ex scriptore quodam superioris ævi eruta nomenclatura vocabuli *Hugonotorum*, quæ ab *Hugone Capeto* deducitur, quod hujus posteri Borbonii adversus Guisiorum Caroli M. genus jactantium prætensiones, a Reformatis defensi fuerint. Observari etiam meretur, quod *Cap. 15.* ex historia Ecclesiastica Reformatorum, & ex Synodorum decretis allegat, improbatam fuisse plebis licentiam, quæ imagines sine Magistratus autoritate per tumultum sustulerit. Videatur etiam *Cap.* 17, ubi disputatur, num omnia bella religionis causa suscepta, injusta sint; & quatenus liceat pro Christianis populis alienæ ditionis, injusta persecutione oppressis, arma sumere.

CONTROVERSES FAMILIERES, OU les Erreurs de la religion P.R. &c.

id eſt,

Controverſiæ familiares, ſive errores Religionis prætenſæ Reformatæ, refutati ex Scriptura, Conciliis & Patribus.

Lutetiæ Anno 1683 in 12. apud Ant. Dezallier.

AUtor, *Provinciali Jeſuitarum in Aquitania*, in approbatione titulo libri ſubjuncta, dicitur *Johannes Leonhardus de Fenis, ex Soc. Jeſu.* Utitur forma Dialogiſtica, & magno cum rigore id agit, ut Reformatos hæreſeos & impietatis reos ſiſtat. Itaque *parte prima, cap. 1 uſque ad* 5 vitam æternam illis abjudicat, quod non ſervent mandata Dei, & ſervari poſſe negent; quod fidem & conſcientiam ſuam, neque ex verbis, neque ex ſenſu ſive conſequentia Sacræ Scripturæ firmare poſſint; quod plane careant Scriptura, quia teſtimonium Eccleſiæ rejiciant; quod contraria Scripturæ doceant; quod eam corruperint & verſiones mutaverint. *Cap. 6 & 7* Miniſtros ſive Paſtores illorum non a Deo, ſed a Diabolo miſſos contendit. *Cap. 8, 9, 10* dogmata quædam aggreditur, quæ Deo & rationi adverſari, & per quæ ad omnia vitia homines impelli, ab operibus vero bonis, virginitate præſertim, removeri ait. *Cap. 11.* Fœminis honeſtis deferendum eſſe Reformatorum cœtum ſuader, tum ob alias cauſas, tum ob hanc, quod matrimonia ob adulterium diſſolvenda ſtatuant, & ſic in maritorum poteſtate ſit, commiſſo cum aliquo ſcorto crimine, conjugii vincula quoties velint rumpere. *Cap. 12* narratis, quæ *Lutherus* & alii *Philippo Haſſiæ Principi* circa admittendam pellicem olim ſuaſerint, Polygamiam a Reformatis probari non verentur aſſerere. *Cap. 13* Paſtores, quique eos ſequantur, ſtatuit eſſe hæreticos, quia Eccleſiam, quæ tempore reformationis vera fuerit, deſeruerint. *Cap. 14* relata Synodi *Dordracenæ* autoritate, a Reformatis agnita, ſequi dicit, Eccleſiæ Romano-Catholicæ judicium longe magis agnoſcendum fuiſſe. Applicat hoc *Cap. 15* ad Concilium Tridentinum. *Cap. 16 & 17* Loca Calvini in plurimis articulis adducit, in quibus fateatur,

teatur, Eccleſiæ priorum ſeculorum ad *Gregorium* usque *Magnum* doctores eadem ſtatuiſſe, quæ Romano-Catholici ſtatuant, & ſic ſemetipſum ſuosque ſectatores innovationis reos faciat. *Cap. 18* refert, Bezam in colloquio *Poſſiaceno* negaſſe præſentiam Chriſti in S. cœna, eandem tamen affirmari, aut ſaltem non improbari decreto Synodi *Carentonenſis* anno 1631: ex qua contrarietate manifeſtum ſit, apud Reformatos non eſſe fidem Chriſtianam, quia ſermo eorum non ſit, *eſt, eſt, non, non.*

Parte II Cap. 1 certitudini ſalutis, quam Reformati ſibi promittunt, contradicit, quia non habeant fidem, nec ſecuri eſſe poſſint de perſeverantia, nec ſint in Eccleſia. *Cap. 2* tutius eſſe ait majorem numerum, & nomen Catholicum ſequi, inprimis quod Reformati fateantur, ſalvari etiam poſſe homines in Eccleſia Catholica. *Cap. 3 & 4* prolixus eſt, ut Reformatos extra Eccleſiam ejiciat, quia fuiſſe Eccleſiam oporteat ante Reformationem, niſi Chriſto contradicere velint, invictam & perpetuam eccleſiam promittenti. Illam ipſam autem eſſe, quam Reformati deſeruerint; quo argumento multos converſos eſſe jactat. Addit & alia de *viſibilitate eccleſiæ, de novitate ſchiſmatis, de moribus Lutheri, Calvini, Bezæ* ex acerrimis eorum inſectatoribus deſumta. Addit non pauca de diſſenſu inter Proteſtantes, qui ſe invicem hæreſeos accuſent. Dein ad firmandos articulos controverſos pergit, agitque *cap. 5 & ſeqq.* de *imaginibus*, de *invocatione Sanctorum & Angelorum*, de *reliquiis*, de *feſtis*, de *juſtificatione*, de *remiſſione peccatorum*, de *meritis & libertate arbitrii*, de *purgatione*, de *ſatiſfactione & indulgentiis*, de *confeſſione*, de *votis & cœlibatu:* omnia, qua poteſt, ut orthodoxa & ſancta adſtruens.

Parte III Cap. 1, 2, 3, ſententias Romanenſium, de *Euchariſtia, tranſubſtantiatione, & Miſſa* ſolitis argumentationibus defendit. *Cap. 4* tractat de *uſu linguæ Latinæ in Sacris*, & de *lectione Biblica*, quam non vetari ait. *Cap. 5* propugnat *communionem ſub una*; *Cap. 6, traditionem*; *Cap. 7 primatum Petri, & neceſſitatem capitis viſibilis, & autoritatis definitivæ*, quam ab ipſis Reformatis contra *Independentes* aſſeri dicit. Denique ad dicta quædam præſentiæ reali, & tranſubſtantiationi potiſſimum oppoſita, reſponſiones ſubnectit.

An in toto hoc libro, præter illa, quæ inter tot ſcriptores polemicos per ſeſqui ſeculum ventilata ſunt, novum & ſingulare aliquid

quod refutationem mereatur, propositum sit, expendent, qui id operæ pretium esse putaverint. Nobis librum non examinantibus, sed pervolventibus, cum trita & sæpissime vulgata occurrerent, summa capita excerpsisse & indicasse sufficiens visum est. De exemplis vero novarum in Gallia convestionum, & de convictione ministrorum reformatorum, à *controvertistis*, quos vocant, in provinciis & civitatibus constitutis, præsentes rei testes judicare poterunt.

JOHANNIS CARAMUEL, EPISCOPI *Viglevanensis, Comitis Zemida &c. Leptotatos, Latine Subtilissimus, de nova Dialecto Metaphysica.*

Viglevani Anno 1681. in fol.

INter variascripta, quibus jamdudum Autor inclaruit, hoc est unum e primis simul & postremis, si ad diversa, quibus delineatum, conscriptum, & evulgatum est, tempora respiciamus. Librum enim hunc, quem *(pag 2) ante quadraginta aut plures annos conceperat*, edidit demum, *postquam jam (pag. 37) a quinquaginta annis reliquis professia fuerat Theologiam*; hactenus nimirum hæsitans conscientia novitatis & metu Censorum; & adhuc *timide audax aut audacter timidus (pag. 6)* quando eum evulgavit. Continet autem ille novam Dialectum Metaphysicam aut Scholasticam *(pag. 2)* qua conceptus ambigui & obscuri Metaphysicorum & Theologorum Scholasticorum, inprimis Thomæ Aquinatis, distincte ac perspicue proferri & intelligi possint. Nova in hunc finem nomina & verba in Dissertatione prima Metalogica formantur & exponuntur; in secunda Philosophica & tertia Theologica variis quæstionibus applicantur; quæ est totius hujus Operis *οἰκονομία*. Verbum, stylo Logicorum, est vel substantivum, vel adjectivum. Utrumque assumitur, sed diversim ode tractatur. Verbum enim substantivum *(Sum)* distinguitur a novis quinque Verbis, *Sam, Sem, Sym, Som. Sum*, ita, ut illud nihil denotet aliud, quam τὸ Esse generice, hæc specifice: *Sam*, habere essentiam; *Sem*, habere existentiam; *Sym*, habere æternitatem simultaneam; *Som*, habere actum physicum; *Sum*, habere aliquam durationem. Ne vero quis tertium (*Sym*) cum vulgato Conjunctivo (*Sim*) confundat, scribitur illud per y; quemadmodum quintum

(*Sum*)

(Sum) conjugatur, *ſus, ſut,* ut a vulgato (*ſum, es, eſt*) diſtingui poſſit. Deinde quinque illa nova Verba inflectuntur per omnes modos, ita ut in infinitivo (qui frequentiſſime in exemplis occurrit,) ſam habeat *ſare*; ſem *ſere*; ſym *ſyre*; ſom *ſore*; ſum *ſure*; imo vero conjugantur etiam paſſive, ſed tantum in tertia perſona: *ſatur*, habetur eſſentia; *ſetur*, habetur exiſtentia; *ſytur*, habetur æternitas ſimultanea; *ſotur*, habetur actus phyſicus; *ſutur*, habetur aliqua duratio. Cum autem hæc ipſa verba (ſam, ſem, ſym, ſom, ſum) non ſignificent activo-tranſitive, huic defectui conſultum fuit per alia quinque verba derivativa: *Samo* (a ſam,) *ſemo*, (a ſem,) *ſymo* (a ſym,) *ſomo* (a ſom,) *ſumo* (a ſum,) quæ ſignificant active ac tranſitive, *dare aut communicare eſſentiam, exiſtentiam &c.* Et ſicut per imitationem vulgati verbi ſubſtantivi (ſum) formata ſunt quinque illa ſam, ſem, ſym, ſom, ſum, ut perfectos eſſendi modos exprimant: ita ad imitationem horum ipſorum alia quinque nova verba finguntur: *ſaim, ſeim, ſyim, ſoim, ſuim*; quibus modi eſſendi imperfecti, videlicet eſſentia aut exiſtentia imperfecta &c. deſignentur. In verbis Adjectivis hæret circa participia; quæ ſunt vel uſitata vel nova. Ab uſitatis deducuntur Abſtracta nova: ab amaturus, *amaturitas*; ab amandus, *amanditas*. Nova derivantur ipſa a tertia perſona pluralis numeri in omnibus temporibus Indicativi & Conjunctivi Modi; ab Amant, *Amans*, *Amatus*; ab Amabant, *Amabans*, *Amabatus*; ab Amaverunt, *Amaveruns*, *Amaverutus*; ab Amabunt, *Amabuns*, *Amabutus*; ab Ament, *Amens*, *Ametus*; ab Amarent, *Amarens*, *Amaretus*; ab Amaviſſent, *Amaviſſens*, *Amaviſſetus*; ab Amaverint, *Amaverins*, *Amaveritus*. Et ne quis forte conqueri poſſit de inopia novorum hujusmodi Participiorum, ſeorſum quoque deducuntur contracta a contractis Præteritis & futuris: *Amaruns & Amarutus* ab Amarunt; *Amarans & Amaratus* ab Amarant, *Amarins & Amaritus* ab Amarint; *Amaſſens & Amaſſetus* ab Amaſſent. Hæc Participia ita ſe habere putat Autor *pag. 27, ut tametſi ſimpliciter neceſſaria non ſint, ad magnum tamen Metaphyſicæ dialecti ſplendorem & ornatum conducant, ſi illis aliquando utamur.* Quod ut facilius credatur, non profana, ſed ſacra exempla *pag. 36* adducuntur. Quando enim *Matth. cap 1. v. 19*, Vulgatus legit: Joſeph autem, Vir ejus, cum *eſſet* juſtus & *nollet* &c. & Arias Montanus, per participia: Joſeph autem, Vir ejus, juſtus *exiſtens & non volens*; Dialectus Meta-

phyſica dicit: Joſeph autem, Vir ejus, *eſſens* juſtus & *non vellens*. Quando *ibid. cap. 2. v. 9.* Vulgatus ſcribit: Qui cum *audiiſſent* Regem, abierunt; & Arias Montanus, per participium: Illi autem *audientes* Regem, profecti ſunt; Dialectus Metaphyſica vertit: Illi autem *audiviſſentes* Regem, profecti ſunt. Quando *Joh. ult.* Vulgatus habet: ſunt autem & alia multa, quæ fecit Jeſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui *ſcribendi* ſunt, libros; & Arias Montanus per participium: ſunt autem & alia multa, quæcunque fecit Jeſus, quæ ſi ſcribantur ad unum, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe *ſcriptos* libros; Dialectus Metaphyſica interpretatur: ſunt autem & alia multa, quæcunque fecit ipſe Jeſus, quæ ſi ſcriberentur ſingillatim, ipſum arbitror mundum non poſſe capere libros *ſcriberetos*. Longe vero major uſus tribuitur novis verbis: Sam, ſem, ſym etc. Nam hæc aptantur vexatiſſimis quæſtionibus, e. c. an Materia Prima habeat *Sare* (eſſentiam?) An *ſere* (exiſtentiam?) An mundus, ſi ab æterno fuiſſet a Deo productus, habuiſſet *Syre* (æternitatem ſimultaneam?) An entia rationis habeant *Saire* (eſſentiam imperfectam?) &c. Ubi non negamus, ſi ad res ipſas reſpiciamus, non pauca notatu digna proiis qui his ſtudiis delectantur, inprimis in diſſertatione tertia, quæ Theologica dicitur, ingenioſe immiſceri; an vero novis hiſce vocabulis tanta inſit vis, ut quod putat Autor, nuda veritas, omni ambiguitate excluſa, ſtatim concipi poſſit, judicet, qui velit: quemadmodum non noſtrum, ſed Pontificii, *Humani Erdemanni*, perſonati Scriptoris, judicium ex ore Viri, quem vocat, Eximii eſt in *Anti Caramuele pag. 16, Caramuelem habere ingenium ut octo, eloquentiam ut quinque, judicium ut duo.*

TIBERE, DISCOURS POLITIQUES ſur Tacite du Sieur de la Motte Joſſeval d' Aronſel.

hoc eſt

Tiberius ſeu Diſcurſus Politici in Tacitum Domini de la Mothe Joſſeval d' Aronſel.

Amſtelod. typis Elzeverianis Anno 1683 in 4.

Taciti

TAciti graviſſimi annalium conditoris tanta ſemper autoritas apud eruditos & exiſtimatio fuit, ut veterum ſcriptorum nemo ſit, in quo vel enarrando vel interpretando tot literarum notitia illuſtres viri fuerint occupati. Ex omnibus tamen illis, qui ejus libris operam impenderunt, vix duos invenias, qui eodem conſilio ducti ſint, aut idem commentandi genus elegerint. Cujus rei rationem Dn. de la Mothe in præfatione Tiberio ſuo præfixa prolixius evolvit, ac inde quid a ſe in novo iſthoc opere poſt tot in Tacitum commentarios præſtitum ſit, ediſſerit. Selegit autem ipſe ſolos ſex priores annalium libros obſervationibus politicis illuſtrandos, & a Romanorum Monarcha tertio, cujus iſti vitam deſcribunt, tractatui nomen impoſuit. Inſtituti ratio & rerum, quæ traduntur ordo, haud parum convenit cum methodo, qua antehac Pius Mutius *conſideratione ſuper Tacitum Italicas* conſcripſit. Nimirum in capita diviſum opus primo ſubinde loco textum Taciti latinum, qui dictum aliquod aut factum ad vitæ civilis inſtitutionem pertinens recenſet, pro titulo exhibet. Quæ poſtmodum in argumentum quodvis propoſitum Autor diſſerit, ea magnam partem ejusdem Taciti ſunt, e ſcriptis ipſius paſſim collecta, ac continuo orationis curſu ita apte connexa, ut Tacitus velut ſui ipſius interpres producatur. Sub cujusque capitis finem retentioris hiſtoriæ exempla conferuntur, quo loco Autor inprimis Ludovici XI, quem Galliæ Tiberium vocat, res geſtas & imperandi arcana examinat. Placuit autem patrio ſermone agere, ac proinde gallicis literis mandare, quæcunque Tacitus latine dixit. Ubi potuiſſet quidem autor opera Triumvirorum ſuæ nationis uti, videlicet Rudolphi le Maitre, Dominorum de Chamoallon & Ablancour, niſi ipſe mentem potius Taciti, quam verba exprimere ſtuduiſſet. Hinc varias etiam lectiones ac interpretum controverſias fere ſemper præteriit, iis ſolis quandoque, ſed breviter annotatis, quæ ſenſum aliquem integrum pervertere videbantur. Omni enim ſtudio ad id unice incubuit, (nec ſane perdidit operam,) ut ideam boni principis ex iis exſculperet, quæ in Tiberio, etiam quum malus autore Sejano eſſet, laudem merebantur.

FRANC.

FRANC ZYPÆI, IN ALMA UNIVERSITATE Lovanienſi Medic. Licent. & Anatomiæ tam ſine, quam cum ſanguinis effuſione, ad normam magni Bilſii Profeſſoris, Fundamenta Medicinæ Phyſico-Anatomica.

Bruxellis ap. Ægid. t' Serſtevens 1683, in 8.

INdefeſſo non minus Chymicorum quam Anatomicorum atque Phyſiologorum labore atque ſtudio cum hoc, quod colimus, ſeculo adeo mirabilis Medicinæ contigerit Metamorphoſis, ut multa, quondam pro veris habita, nunc ridicula evaſerint, ac de quibus Antiquitas ne quidem ſomniavit, in lucem hactenus prodierint: Autor, non ingratas Lectori futuras ſibi perſuadens has Inſtitutiones Medicas, eas publico deſtinavit, velut tales, quæ novis Anatomiæ inventis ac Philoſophiæ modernæ a ſe ſint adaptatæ, ac phænomenorum multorum, ſecundum Neotericorum plerorumque hypotheſin mechanicam, explanatione exornatæ, omiſſis, aut ad minimum rejectis iis, quæ Medicinam obnubilant ac tyrones confundunt. Partium, quibus omnem abſolvit tractationem, conſtituit ſex, quarum prima de Medicina in genere agit, reliquæ Phyſiologiam, Hygieinem, Pathologiam, Semioticam & Therapeuticam exponunt, ſatis quidem accurate, & ſecundum methodum Præceptis ejusmodi adæquatam. Inter alia, ubi Lactis naturam ac productionem inveſtigat, quamvis hujus materiam, ſeu chylum per arterias mammis adduci ſuſtineri queat, ductui tamen thoracico hincque ad mammas derivatis ſurculis idem munus deferendum eſſe per autopſiam evincere ſatagit, qua in caniculis lactantibus ramos lacteos ex cyſterna lumbari ac ductu thoracico ad mammas diſtribui, aliquando advertit; illo ſc. modo, quem pro inviſibilibus alias lacteorum & lymphaticorum ramulis perveſtigandis ac deprehendendis ſibi peculiarem, ex admirandis iſtis magni Bilſii Secretis, in ſola Lovanienſi Univerſitate aſſervatis, & à Sereniſſimo Parmarum Principe tunc temporis Flandriæ ac Brabantiæ Gubernatore ſibi conceſſis, poſſideat. Ubi in parte Therapeutica, indicatorum atque Remediorum, v. g. purgantium, ſudoriferorum, venæ Sectionis, cucurbitularum &c. uſu diſſerit, illorum ætiologias ſeu agendi rationes mechanice ſatis explicat. Illud nihilominus mirori cogi-

cogimur, cur Bilſii illius, cujus Anatomiæ cruentæ æque ac non cruentæ Fundamenta ſua ſe ſuperinſtruxiſſe aſſerit, inventorum & paradoxorum, v.g. de labyrintho ductus roriferi, motu lymphæ ſeu roris a centro ad peripheriam, de ductibus Moſch ad Renes, nullam fecerit mentionem; vaſorum Lacteorum uſum juxta Aſellium & Pecquetium admiſerit &c.

OBSERVATIO CIRCA LONGITUDINES locorum quorundam in Tab. Geographicis non ſatis accurate determinatas. Ex Transactionibus Philoſophicis Anglicanis n.143 excerpta.

QUantopere non raro in deſignanda locorum longitudine Geographi a veritate aberrent, id & olim pluribus exemplis comprobatum, & nova nuper obſervatione in Inſula S. Laurentii patefactum fuit. Solet huic Inſulæ communiter 75 æquatoris gradus tribui; in tabulis etiam antiquioribus ipſa fere a 78 gradu incipit & in 88 usque porrigitur. Majorem tamen hanc latitudinem vera eſſe quidam Dn. Heathcot, Anglus, Chirurgus navis onerariæ in iſtas regiones euntis, occaſione Eclipſeos Lunaris, quæ d. 19 Aug. 1681 accidit, detexit: legiturque ejus demonſtratio in Transactionibus Philoſophicis Londinenſibus, poſtquam fuerat Societati Regiæ a Clariſſimo Mathematico Dn. Flamſtedio communicata. Quieverat nimirum navis in ſinu quodam auſtrali Inſulæ S. Laurentii, ad eam partem, quæ Luſitanis Terra del Gada dicitur. Illic diſpoſitis in littore mathematicis inſtrumentis, adhibito etiam vice horologii pendulo, cujus vibratio una minuto ſecundo reſpondebat, cœpit eclipſin laudatus Dn. Heathcot obſervare. Et ſimulac animadvertit extremam corporis lunaris ſuperficiem umbra tegi, ad metiendum Procyonis altitudinem ipſe ſe paravit, datis interim amico his partibus, ut vibrationes penduli accurate numeraret, quæ inter initium eclipſeos & tempus viſæ altitudinis ſtellæ fierent. Diſtantiam Procyonis ab horizonte invenit 25°, 30′; Vibrationes autem penduli fuerunt 140, quod eſt 2′, 20″ temporis. Poſtero die altitudinem Solis meridionalem metiens, loci latitudinem reperit eſſe 19°, 20′. E quibus omnibus denique collegit, tempus obſervatæ ſtellæ fuiſſe horam matutinam

tutinam quartam cum 58 minutis primis; & subtractis inde duobus minutis primis & 20 secundis, eclipsin hora quarta 48′, 40″ incepisse. Si jam conferatur tempus, quo eadem eclipsis Lunaris Londini initium sumsit quoque, juxta calculum Dn. Flamstedii fuit hora matutina prima 50′, 40″; ac differentia duorum temporum in gradus commutetur: constabit clare, longitudinis Londinensis ab illa Insulæ S. Laurentii differentiam haudquaquam tantam esse, quantam Geographicæ chartæ faciunt, sed $7\frac{1}{2}$ gradibus minorem.

Simili modo Eclipsin lunarem anni 1682 die $\frac{14}{21}$ Februarii Londini cœpisse observatum fuit hora noctis nona, minuto duodecimo: at Lisbonæ visa est initium sumere hora octava, minuto 31. E qua differentia iterum longitudo Lisbonæ invenitur, haud parum ab ea, quæ vulgo statui solet, discrepans: uti id in Transactionibus philosophicis Anglicanis Mens. April. 1683 ad calcem annotatum est.

Mirum autem nemini videri debere, locorum adeo dissitorum distantiam intra tam laxos certitudinis terminos consistere, vel observationes earundem harum eclipsium, Gedani, Londini, Lipsiæque habitæ, & Actis superioris anni, mens. Jan. Apr. Aug. Sept. exhibitæ, fidem faciunt. Ex earum enim comparatione, sive initia initiis, fines finibus, aut momenta aliis similibus conferas, liquidum est, intervalla locorum memoratorum contractiora esse, ac Geographorum etiam accuratiores catalogi aut mappæ volunt: adeo ut Londini & Gedani distantia observata sæpius $1\frac{1}{2}$, aliquando duobus integris gradibus; Lipsiæ vero & Gedani dimidio gradu minor sit ea, quam chartæ Tabulæque exhibent Geographorum.

APOTHEOSIS VEL CONSECRATIO HOMERI. sive, Lapis antiquissimus, in quo Poetarum principis Homeri consecratio sculpta est, Commentario illustratus a Gisberto Cupero.

Amstelodami, apud Henricum & viduam Theodori Boom 1683, in 4.

QUemadmodum magna semper eorum, qui & illustri ingenio & eruditione multijuga inclaruerunt, tam ante quam post fata fuit veneratio, ita Homerus potissimum, tanquam fons parensque omnis



UNIVERSID
BIBL
UER



omnis ſapientiæ, non exquiſitis tantum elogiis, ſed & ſtatuis honoratus, æri inciſus, ex eodemque metallo conflatus, tandemque inter Deos ipſos fuit relatus. Luculentiſſime hoc oſtendit vir & magnæ dignitatis, in illuſtriſſimum quippe præpotentium Fœderatorum Belgarum conſeſſum cooptatus, & doctrinæ prorſus inuſitatæ *Gisbertus Cuperus* hoc libro, non ita pridem evulgato. Producit enim in eo poſt auctores, qui ſtatuas Homero poſitas atteſtantur, nummosque cuſos imaginem ejus exhibentes, & templa in honorem ejusdem ſtructa, etiam *Marmor* ſingularis ac perantiqui operis, quo Deus a Gentilibus factus atque in cœlo fuit poſitus. Repertum illud in agro Ferentino, qui hodie Principum Columnenſium eſt, & vulgo Frattochia nominatur. Qui locus cum ſeceſſus Imperatoris Claudii olim fuerit, non abſurde colligunt eruditi, Homerum, cujus lectione valde delectabatur hic Cæſar, & ex quo verſus multos pro tribunali ſedens allegare conſueverat, ſolenniter abs eo hoc ipſo marmore fuiſſe conſecratum.

Hoc uti multa præ ſe fert antiquitatem eruditam ſpirantia, ita *Latio* illud ſuo inferre ATHANASIVS KIRCHERVS, celeberrimi nominis Jeſuita, non dubitavit. Videtur autem ipſi (ut explicationem ejus, quæ extat a fol. 81, usque ad 87, in compendium redigamus) in ſupremo monumenti ὑποθεωτικῷ ordine *Jupiter* Parnaſſo monti inſidens, ſceptro una cum Aquila aſſiſtente conſpicuus, qui facie converſa ad Muſas, pro apotheoſi Homeri veluti ſupplicantes exaudiat. Sex autem Muſis ſeu Charitibus cum ſit circumſtipatus, has totidem civitates eſſe cenſet apotheoſin efflagitantes; Kirchero ſiquidem nihil aliud exhiberi in primo ordine videtur, quam legitima *Gratiarum* apud Jovem de Homero in Deorum numerum recipiendo ſupplicatio. In ſecundo ordine quæ *prima* apparet figura, Kirchero Poeſis eſt, lyram ſiniſtra, plectrum dextra tenens: *ſecunda*, quæ globum manu indicat, metrum Homeri videtur denotare, quo mundi opificium, & omnia, quæ in eo ſunt, divino afflatu quodam deſcripta cecinerit; *tertia* rupi ambabus innixa manibus, velut ecſtaſi quadam abrepta divinos Homeri labores contemplatur: quod *quartam* & *quintam* attinet, in antro quæ conſpiciuntur, prior lyram Orphicam læva tenet, dextra plectro inſtructa; poſterior Iliadem monſtrat, in qua amores, Deorumque omnium, quorum ſymbola, arcus & pha-

TAB. XIV.

retra ſint cum faſciis, laudes & facta decantentur. Vir, qui abaco inſiſtit, *Flamen* Kirchero eſt, dextra volumen tenens, ſiniſtra pectus premens, & converſa ad Deas facie ſententiam exſpectans, promtumque pariter ſe exhibens ad ſacrificia Ægyptio more Homero facienda; id quod colligit ex duabus facibus accenſis & Tautico Charactere, proprio Ægyptiorum in ſacris faciendis ſymbolo, ſeu cruce anſata, aris templisque Niloticis hinc inde inſculpta, omnibusque Ægyptiorum numinum manibus inſerta. In tertio ordine, in quo executivam Jovis de conſecrando Homero ſententiam repræſentari putat Kircherus, abs eodem primum conſiderantur quatuor virgines ſub forma *Charitum* adumbratæ: ΑΡΕΤΗ, ΜΝΗΜΗ, ΠΙΣΤΙΣ, ΣΟΦΙΑ. Hæc enim quatuor potiſſimum eſſe ait, quibus mundum in admirationem Homerus rapuerit. Has quatuor aliæ ſequuntur, ΚΩΜΩΔΙΑ, ΤΡΑΓΩΔΙΑ, ΠΟΙΗΣΙΣ, ΙΣΤΟΡΙΑ; in quibus & ipſis Homerus excelluerit. Propter has itaque virtutes ſacrificio hecatombes vel centum boum videtur honoratus, ob figuram bovis aræ impoſitam, thus item & thymiamata, ſympulumque ac pateram, quæ duo a puero afferuntur. Throno igitur qui inſidet, *Homerus* tandem Kirchero eſt, læva ſceptrum flore loti inſignitum, dextra Iliadis volumen tenens, duobus Geniis throno utrinque aſſiſtentibus; qua imagine cum ipſum apotheoſeos actum exhiberi Kircherus credat, hunc claudi innuit per duos ſuperioris ordinis Genios, quibus hæc ſubſcripta legantur verba: ΕΤΜΕΑΙΑ, ΚΙΡΟΝΟΣ, ΙΑΙΑΣ, ΟΔΥΣΣΕΙΑ, ΟΜΗΡΟΣ, ΜΥΘΟΣ, ad denotandum tum dulcia Homeri carmina, tum reliqua Iliadis & Odyſſeæ opera ſub abdito Mythologiæ ratiocinio deſcripta.

Atque hæc illa Kircheriana vetuſtiſſimi marmoris explicatio eſt; a qua etſi non parum lucis id monumenti acceperit, accuratiorem tamen hominis alicujus eruditi, inque omni antiquitate verſatiſſimi curam deſiderare non abs re fuit viſum. Id igitur operæ ſuſcepit CVPERVS ſupra laudatus, & quemadmodum in lectione veterum auctorum, omnique erudita antiquitate ad ſtuporem usque eſt verſatus, ita multa quoque ad explicandum hoc marmor congeſſit, congeſtaque tandem cum univerſi literarii orbis applauſu evulgavit. Huic autem ille, qui montis vertici inſidet, barba & capillo decorus, inferiorem corporis partem tectus, diademate vel tænia caput cinctus,

ctus, sceptrum sive hastam tenens, nec non comitem habens aquilam, *Homerus* ipse est, isque tanquam novus Jupiter Olympo, non Parnasso, qui biceps est, insidens, & iisdem, quibus Jupiter, insignibus, excepto fulmine, exornatus. Sequuntur hunc *Musæ* dulci vocum concordia ejus, ut Jovis apud Hesiodum, animum demulcentes, variisque vestibus decoratæ. Quæ proximum abs novo Deo locum occupat, *Mnemosyne* videtur, vel *Eupheme*, vel potius *Calliope:* quæ descendentis vel saltantis habitu super antrum pendet, *Erato*, docta quippe saltare, & cithara, quam petit, canere: binas tibias (nisi faces sunt) ad Homerum protendens *Euterpe:* Citharam pulsans *Clio*, vel *Polyhymnia*, vel *Melpomene:* digitum in globum intendens *Urania*, quæ cœli atque astrorum motus scrutatur: quanquam nihil certi statuit Cuperus de his & reliquis, nullo insigni a se invicem distinctis. Novem Musas excipiunt *duæ Virgines* in aditu antri constitutæ. Harum altera, quæ dextrum latus claudit, severior, *Ilias*, altera, quæ siniſtrum lætiore vultu, *Odyssea* videtur Cupero. Nam illa vetustior, hæc junior, & Ilias Tragœdiæ, Odyssea Comœdiæ est similis. Argumento præterea ipsi sunt res in medio antri ore atque ad pedes virginum positæ, arcus nimirum & pharetra, quibus bella in Iliade decantata, & pileus, quo peregrinatio Ulyssis in Odyssea descripta, designetur. Ubi quidem non dissimulat, NIC. HEINSIVM uti lyram antro superimpositam, ita arcum quoque & pharetram pro Apollinis insignibus accepisse. Vir basi prope antrum insistens tunica & pallio amictus, qui Kirchero flamen erat ad sacrificandum paratus, Cupero jam *Linus*, jam *Lycurgus*, jam *Homerus* ipse, jam alius quis veterum videtur: Heinsio autem *Pisistratus* est, qui dispersa Homeri scripta in unum corpus collegit; Spanhemio *Pittacus* vel *Bias*, ut patebit postea. Rem isthanc dubiam facit character Tauticus, qui capiti hominis imminet, Ægyptiorum inventum. Sed clariora sunt omnia in segmento marmoris ultimo. Qui enim Olympo modo insidebat *Homerus*, in templo nunc sedet diademate vel vitta casta caput cinctus, manum siniſtram ad summam hastam fere extendens, dextra in genu reposita tenens codicem, tunicam indutus, pedes nudus; cingiturque filiabus, Iliade & Odyssea (libri enim poetarum *filiæ*, illique horum *parentes* appellari consuevere) atque Ilias quidem armata est *ense* propter bella & cædes; Odyssea vero *aplustre* propter

errores Ulyssis tenet. *Mures*, qui prope ἐπαπόδιον chartulas rodunt, vel Batrachomyomachiam notant abs Homero scriptam; vel invidos, chartas & famam Homeri, ut mures corium, vellicantes. ΕΤΜΕΛΙΑ coronam ipsi imponit: ΚΙΡΟΝΟΣ admiratur virum & silentium suadet; ΜΥΘΟΣ pateram tenet & sympuvium: aræ adstat *Bos* miræ, sed tum temporis cognitæ formæ: ΙΣΤΟΡΙΑ ex acerra thus depromtum aræ duobus primis digitis injicit: ΠΟΙΗΣΙΣ faces, quæ ignem sacrum accendant, extollit: ΤΡΑΓΩΔΙΑ & ΚΩΜΩΔΙΑ præ gaudio & admiratione, quod auctorem patremque suum jam Deum vident, manus tollunt ad sidera; ΦΤΣΙΣ puerili imagine blanditur Virtuti: ΑΡΕΤΗ digito os premit, silentium suadet, increpatque quasi Naturam suas vestes vellicantem; ΜΝΗΜΗ meditabunda plane, memoriasque veterum repetens adstat: ΠΙΣΤΙΣ miratur tanta Homero propter innatam quasi dicendi ac persuadendi vim nunc præbita esse præmia: & denique ΣΟΦΙΑ eandem ob rem velut attonita hoc agmen claudit, oculosque in virum intendit, qui omnium judicio sapientissimus fuit habitus.

His breviter expositis in latissimum campum quem vasta aperit eruditio, evagatur Cuperus, virtutesque Homeri omnes his nominibus denotatas sigillatim, ex antiquissimis Hellados ac Latii scriptoribus explicat, insertisque hinc inde numismatis, statuis atque inscriptionibus egregie illustrat. Deinde cum & variæ vestium figuræ qua viriles, qua muliebres in hoc marmore exhibeantur, etiam harum peculiarem explicationem subjungit, nec huic tantum marmori, sed & universæ antiquitati plurimum adfert lucis. Sub finem addit amplitudine munerum & doctrinæ copia viri illustris EZECHIELIS SPANHEMII litteras, quibus indicavit, Virum illum basi insistentem *Biantem* sibi videri, primarium illud Prienensium decus, idque ob habitum Philosophis Græcis usitatum, & quia operis artifex Archelaus, cujus nomen monti insculptum, fuerit patria Prienensis. Addit etiam doctissimi Abbatis RAPHAELIS FABRETTI (qui hoc marmor in ædibus Columnensibus semel atque iterum cum Marcello Severolio recognovisset) notas, abs Antonio Magliabequio, Bibliothecario Florentino ad promovenda litterarum studia nato sibi missas. Hic in segmento ultimo mulieris, quæ primo loco stat, nomen non legit ΕΤΜΕΛΙΑ, sed ΚΟΤΜΕΝΗ, eoque suppleto ΟΙΚΟΤ-

ΜΕΝΗ,

MENH, intelligitque *Terram Matrem*, *Cybelem*, seu *Rheam*, aut Ægyptiorum *Isidem*, quam & turriferam in hoc marmore deprehendit, KPONOΣ autem, quod pro KIPONOΣ substituit, alatus *Saturnus* ipsi est, vel *tempus*, vel potius *cælum* ipsum, significatusque adeo harum duarum imaginum iste: & terram & cœlum in æternitatem Homericorum carminum consentire; emendationes Fabretti alias ut taceamus.

De cætero cum semel occeperit Cuperus abstrusæ atque reconditæ antiquitatis Patulcium quendam agere, non ectypum tantum *Gemmæ Augustææ* a celebertimo viro Joanne Georgio Grævio sibi missum, in qua Augustus & Livia currui triumphali insidentes, Octavia autem & Marcellus, vel Julia atque Tiberius eidem adstantes exhibeantur, sed & *Numismata antiqua* a Patino, Seguino, Vaillantio, Goltzio, Reineccio, edita aut in gazophylaciis reperta: *Inscriptiones* item & *marmora vetusta* a Smetio, Sponio, Grutero, Reinesio aliisque consignata docte feliciterque elucidat, tandemque colophonem pulcherrimo opusculo impositurus, *utilitatem, quam ex numismatis capere queant Principes*, scito atque erudito discursu exponit.

TRAITE' DU SCORBUT. PAR L. CHAmeau Docteur en Medicine.

sive

Tractatus de Scorbuto. Autore L. Chameau: Med. Doct.

Londini 1683. in 12.

QUantas in Anglia late strages edat Scorbutus tanquam morbus regioni huic præ cæteris endemius, cum observasset tunc temporis Autor noster Gallus, quando cum aliis Protestantibus sic dictis religionis ergo patria relicta eo se receperat, (licet postquam fortunam minus secundam Londini experiretur, Burdegalam repetere, ac ad Pontificios, quo praxin ibi Medicam libere sibi exercere liceret, transire haud dubitarit,) in gratam hospitii remunerationem, præsentem imprimi curavit libellum, quo suppetias quasi ad ulterio-

ulteriorem Scorbuti progreſſum inhibendum ferre nititur. Scorbutum ipſum non niſi ſanguinis diſſolutionem eſſe contagioſam, quæ diu multas corporis partes modo una vice, modo ſucceſsive, afficiat male, arbitratur, cujus ortum a ſale acri & ſubtili proxime derivat, velut quod aut immediate, aut interveniente ſanguinis diſſolutione pathemata quævis Scorbuticis familiaria gignat. Cur vero in Anglia frequentiores dentur Scorbutici, ac in Gallia, & cur Angli levamen quoddam hujus mali in Gallia perſentiſcant, Galli contra Scorbutici in Anglia evadant, ab Aere potiſſimum, vivendi genere, & demum conſuetudine, quæ cum Scorbuto jam infectis in Anglia excolitur, deducit. Differentiam tandem Scorbuti, prout hunc celeberrimus Medicus Anglus Williſius, & cum eo plures alii Medici, in ſulphureo ſalinum & ſalino ſulphureum diſpeſcunt, plauſibiliter ſatis refellit; in Cura nihilominus, num calor quidam præternaturalis, an vero obſtructiones conjunctæ ſint, animadvertendum adhuc eſſe præcipit, præ cæteris remediis (in quorum præſcriptione famigeratiſſimum Practicum Monſpelienſem Barbayrac, Præceptorem quondam ſuum preſſo pede ſequitur) inprimis Lac ceu veriſſimum Antiſcorbuticum extollens, acria vice verſa tantum non penitus velut noxia rejiciens.

ANTIBARCLAIUS, id eſt, EXAMEN Apologiæ, quam non ita pridem Robertus Barclajus, Scoto-Britannus pro Theologia vere Chriſtiana edidit, inſtitutum in gratiam Evangelicorum a L. Ant. Reiſero, Auguſtano, nunc Paſtore ad D. Jacobi Hamburgenſi.

Hamburgi apud Gothofredum Schultzium, 1683. in 8.

SEctariorum fanaticorumque, quorum Anglia inprimis ferax hoc ſeculo fuit, peſſimi haut dubie *Quakeri* ſunt, ſeu *Tremuli*, ob tremorem corporis ſic appellati; Spiritu nempe divino ſe corripi implerique jactitantes, ac ita correpti toto contremiſcentes corpore, & quicquid poſt raptum illum verborum eructant, tanquam oracula divina, ſcripturisque ſacris longiſſime anteponenda infrunitæ plebi venditantes.

Tametſi

Tametsi vero dogmata eorum Enthusiastica dudum publicis Theologorum scriptis penitus exposa sunt, mireris tamen, nec in hunc usque diem patronos ac propugnatores acerrimos isti Quakerorum sectæ deesse. Quos inter vel principe loco referendus venit *Robertus Barclajus*, Scoto-Britannus, qui servum Domini Dei, item servum Jesu Christi se profitetur. Hic enim ut sectam suam, quæ Quakerismus vulgo audit, commendabilem, præ religionibus Christianis reliquis redderet, primum *Theses Theologicas* de ea evulgavit, easque omnibus clericis, universis præsertim Doctoribus, Professoribus ac Studiosis Theologiæ in Academiis Europæ versantibus seu Pontificiis sive Protestantibus legendas excutiendasque obtulit. Deinde cum theses hasce ab aliis, ad Enthusiasmum scilicet propensis, laudatas, ab aliis iisque sanioribus oppugnatas intellexisset, eas novo scripto, quod *Theologiæ vere Christianæ Apologiam* vocat, incrustavit, editumque in lucem anno 1675 Carolo II, magnæ Britanniæ hodie Regi, dedicavit. Id operis operosum non minus, quam speciosum est, inque tanto a Quakeris pretio habetur atque æstimio, ut obturare id omnium contradicentium ora, neque refutari a quoquam posse sint persuasi. Et sane non nova tantum methodo, sed & novo scribendi genere hoc argumentum a Barclajo fuit pertractatum. Quamvis enim is Scholasticorum non *admirator* & *imitator*, sed *contemptorem* & *adversarium* in præfatione ad Lectorem se esse fateatur: Theses tamen suas in *Apologia*, non confuse, uti Fanatici plerique alii, sed Scholasticorum more, h. e. κατασκευαστικῶς & ἀνασκευαστικῶς propugnat; quippe ectheses suas non Scripturæ tantum ac Patrum dictis communiens undique, sed ad ea quoque, quæ sectæ suæ vel opposita jam sunt, vel opponi ulterius posse prævidet, pro virili respondens. Neque enim humanæ literaturæ ignarus est Barclajus, qui Quakerorum alias character est, ab ipso Barclajo thesi X requisitus; sed in Philologia, Philosophia, & lectione Patrum non tralatitie, ut totum hoc opus loquitur, versatus.

Tota autem moles Theologiæ Barclajanæ (lubet enim potissima thesium ectheseumque capita referre breviter) internæ & immediatæ Spiritus revelationi tanquam principio ultimo ac fundamento innititur. Hæc namque ipsi sufficiens est absque externa per Scripturam seu verbum revelatione; hæc objectum quoque fidei est

ſanctorum omnium, qui ſunt, qui fuerunt futurique deinceps ſunt; neque eam ad normam verbi divini (cauſæ videlicet ſuæ diffidens) vult examinari; Scriptura ſiquidem ei ſecundaria, Spiritus vero, ſeu revelationes ab eo factæ primaria Fidei morumque ſunt regula. [Intelligit autem ſpiritum non eum, qui per Prophetas fuit locutus, ſed privatum ac familiarem, qui examen Scripturæ haud admittit, imo in plerisque contradicit.] Dein, dum a Doctoribus particularitatis quoad gratiam & meritum Chriſti ſe diſſociat, ex carbonaria, quod ajunt, in calcariam incidit, a ſpecioſo illo internarum revelationum lumine occœcatus. Nimirum dum decretum abſolutæ reprobationis damnat, ad alterum extremum non minori cum periculo devergit, univerſalem ſtatuens redemtionem Chriſti, & ſupernaturale aliquod lumen, idque ſalutiferum, cujus operationibus Philoſophi quoque Gentilium ſervati olim fuerint, ſerventurque adhucdum, quibus Evangelium de Chriſto nunquam forinſecus innotuit. In doctrina de juſtificatione, quam ante ſe nunquam tam diſtincte ac luculenter ex Scripturis exhibitam fuiſſe gloriatur, Pontificiorum, Weigelii aliorumque fanaticorum arat vitula, in juſtitia eam interna, non imputativa conſtituens, operaque bona omnino ad ſalutem neceſſaria eſſe contendens; & quemadmodum opera Sanctorum polluta eſſe abnuit; ita poſſibilitatem illis non peccandi tribuit cum Donatiſtis, Pelagianis, Anabaptiſtis ac Pontificiis, quanquam ultro fatetur hic Apologetes, ſe ad ſtatum illum perfectionis ſanctitatisque nondum adſpiraſſe. Requirit præterea, poſtquam ſemel revelationem internam immediatamque Theologiæ ſuæ præſtruxit, internam tantum atque immediatam ad miniſterium vocationem, cultumque divinum non in Liturgiis, precibus, conventibus Eccleſiaſticis, cæterisque ſacris actionibus (has enim carnales vocat,) ſed in ſilentio, ſecretisque Dei inſpirationibus, nec non tremore corporis, a quo & *Quakers* ſectarii illi ſunt dicti, conſtituit. Infantum baptiſmum pro mera traditione humana habet, non alium agnoſcens baptiſmum, quam Ignis & Spiritus. Communicationem & participationem corporis & ſanguinis Chriſti ſpirituale aliquid atque internum eſſe dicit, non ceremoniam, ut loquitur, frangendi panem, Sacramentum corporis Chriſti cum manducatione ſpirituali confundens. Refellit denique titulorum vanitatem hodie nimium quantum excreſcentem, ut & vobiſſa-

bisſationem, tuizationem præ illa approbans, capitis item apertionem, ingeniculationem & corporis proſtrationem, varietatem & luxum veſtium, ludorum ac Comœdiarum uſum, juramenta inprimis, vindictam & bella. Theologiam hanc ſuam tanquam vere Chriſtianam deprædicat Barclajus, & veluti ſponſam quandam labis maculæque omnis expertem commendat; dumque id agit, non tantum Pontificios, Calvinianos, Socinianos atque Arminianos, ſed & Lutheranos ſtringit, multasque in hos injurias calumniasque evomit, in ecthesi maxime I, VII, IX, XI, XIV & XV.

Quas cum minime tolerandas vindicandasque omnino cenſuiſſet Theologus γνησίως Lutheranus, isque & exilio propter Chriſtum & ſcriptis in lucem editis clariſſimus *L. Antonius Reiſerus*, patria Auguſtanus, nunc Paſtor ad S. Jacobi Hamburgenſis, juſto zelo quodam correptus id laboris ſuſcepit ipſe, examenque *Apologiæ Barclajanæ* in gratiam Evangelicorum inſtituit. Neque id infeliciter. Examinavit enim theſes atque ecthesſes Barclaji omnes, neque heterodoxas tantum ex orthodoxia ſubvertit, ſed &, quid ὕπαλον ſub illis, quæ ſaniores videntur, latitet, detexit; quam ſæpe etiam ſibi contradixerit Apologetes, quamque frivole inepteque Scripturæ ac Patrum dicta ad incruſtanda dogmata ſua adhibuerit, oſtendit, exploſis etiam omnibus, ad objectiones vel ab aliis vel a ſeipſo factas, reſponſionibus, gloſſis item cerebrinis, & conſequentiis male cohærentibus. Quamobrem vero in prioribus Barclaji theſibus atque ecthesibus Quakerianæ doctrinæ fundamenta vel maxime continentur, in his quoque diruendis ac deſtruendis prolixior eſt Reiſerus, quam in reliquis, in quibus eadem aut affinia cum Anabaptiſtis, jamdudum refutatis, ſentit; cumque aliarum quoque religionum aſſertoribus multa objecerit Barclajus, Reiſerus iis tantum, quæ Luthera nos ſeu Proteſtantes Evangelicos tangunt, retundendis vindicandisque eſt intentus. Non diffitetur interim, & ſuos Lutheranis eſſe nævos; atque hinc orta non tantum *Gravamina*, ſed *pia* multorum doctorum bonorumque in Eccleſia Lutherana eſſe *deſideria*; uſum etiam ab abuſu in multis, in illis maxime, quæ in II & XV ecthesibus taxantur, diſcernendum eſſe contendit. De cætero ſi non omnia, at pleraque tamen, quæcunque momenti alicujus eſſe ſunt viſa, & quibus Apologetes inniti cumprimis in Apologia ſua voluit, juſto ex-

amine ventilavit, & quâ modeſtiâ eſt vir optimæ doctrinæ & vitæ, examen totum Lectoris accurati veritatisque Evangelicæ ſtudioſi judicio cenſuræque ſubmittit. Attexit etiam ſub finem *Henrici Mori*, Theologi Angli, lectu digniſſimam ad hanc ſectam προσφώνησιν, ſtatuitque cum eo, Quakeros non pauca *Jacobo Böhmio*, Philoſopho, ut vocatur, Teutonico, debere.

RENATI DES CARTES EPISTOLÆ. Pars Tertia.

Amſtelod. e Typographia Blaviana, anno 1683. in 4.

QUi Epiſtolarum Carteſii ad virorum doctorum quæſtiones & dubitationes varias ſolvendas ſcriptarum priora duo volumina collegit doctiſſimus *Clerſelier*, idem tertium hoc luci expoſuit, reſervans has ultimo loco, quæ in difficultatibus Dioptricis & Geometricis verſabantur, & multum temporis ad delineandas figuras requirebant.

In præfatione Editor Gallus philoſophiam Carteſii commendat, ac ex adverſariis ejus recenſet *Burdinum*, *Fermatium*, *Robervallium*, quorum duo priores Dioptricam, poſtremus Geometriam, primus & tertius quoque Phyſicas meditationes impugnarunt.

Epiſtolæ numerantur CXV.

Prima eſt Apologia Carteſii ad Magiſtratum Ultrajectinæ Civitatis adverſus Voetios, patrem & filium. Conferri poteſt Ep. 97. & 110.

II uſque ad XXII ad Merſennum aliosque ex Jeſuitis, agunt de contentione, quæ Carteſio cum eis intercеſſit, propter theſes & diſputationes Burdini contra Dioptricam & principia philoſophiæ.

XXIV usque ad XXVIII ſunt ad Merſennum, partim Hobbeſii dubia adverſus Dioptricam Carteſii moventis & perſequentis, partim Carteſii reſpondentis.

XXIX usque ad XLVI ſunt partim Fermatii ad Carteſium, hujusque reſponſiones de Dioptrica; partim Fermatii ad Clerſelierum & de la Chambre, cum Reſponſionibus Clerſelieri & Rohaulti ad Fermatium.

XLVI

In XLVI usque LXXVII Carteſius cum Fermatio, Robervallio aliisque, de variis difficultatibus Geometricis diſceptat; ad Principem Eliſabetham de Problemate agit: Tribus circulis datis invenire quartum, qui contingat tres illos.

LXXVIII usque ad LXXXVII de vibrationibus tractant, & Ariſtarchi a Robervallio editi defectus perſtringunt.

LXXXVIII eſt Clerſelieri, qui eam affictam Carteſio prælegit in ædibus D. Montmor, ad refutandas objectiones Robervallii contra motum in pleno factas.

In XC & ſequentibus tribus inter Carteſium & Ferrerium Mechanicum de machinis tractatur, ad ſecanda, terenda & polienda vitra perſpicillorum maximopere idoneis, fabricandis. Confer Epiſt. 96.

In XCIV reſpondet Carteſius quæſtioni Muſicæ, quare magis liceat procedere a decima minore ad ſextam majorem, quam a tertiis ad octavas.

In XCV proponitur ſyſtema novum, ad fabricandum inſtrumentum muſicum, quod ſit perfectum.

In C cupit quædam in metaphyſica ſua Carteſius mutari, ab Arnault melius edoctus; opinionem refellit Angli cujusdam, aſſerentis reflexionem corporum fieri ideo, quod per organum aliquod ab aliis corporibus, quæ offendunt, repellantur.

CI facit ad illuſtrationem motus Planetarum, quem non ſatis in Principiis Philoſophiæ deſcriptum, aliqui deſiderabant.

CII aeris gravitatem vindicat.

CIII proprietates magnetis explicat ſecundum tradita in principiis Philoſophiæ.

CIV rationem inquirit, quæ facit, ut aqua deſcendat & vinum aſcendat in duabus lagenis poſitis una ſuper altera: refutat eos qui aſſerunt, corpus aliquod tranſire per omnes gradus celeritatis tum, cum incipit ſe movere.

CV motum globi tudicularis pulſi ſæpius eadem vi menſurat, de quo etiam in præcedente epiſt. quædam occurrunt: doctrinam ſuam de Rarefactione tuetur; experimentum ponderandi aeris deſcribit, quod pulchre ſibi ſucceſſerit.

CVI ſolvit dubitationes a Picotio motas ad loca quædam Parte 3 Principior.

CVII Schootenii quæſtionum duarum Algebraicarum ſolutionem proponit, quam CVIII Carteſius approbat, & judicium ſuum rogatus addit de Gregorii a S. Vincentio libro de quadratura Circuli & Sectionum Coni, inſignem in eo paralogiſmum indicans.

In CX difficultas Optica de radiis ab objecto venientibus & oculos ingredientibus enodatur.

CXII & CXIII, quid per ideas rerum inſenſibilium ſit intelligendum, disquirit.

CXIV ad duas quæſtiones reſpondet, unam de motu corporum; alteram, de qualitate cognitionis Dei in beatitudine.

CXV & ultima eſt Clerſelieri ad de La Forge Medicum Salmurienſem, de Actione animæ in Corpus.

EDMUNDI RICHERII, DOCTORIS AC Socii Sorbonici hiſtoriæ conciliorum generalium liber 3 & 4.

Coloniæ anno 1683. in 8.

CUm priores hujus hiſtoriæ libros nuperrime Calendis Novembribus p. 494 recenſuerimus, nunc reſtat, ut promiſſi memores, quid reliquis contineatur, ſtrictim referamus.

Decretum fuerat in concilio Conſtantienſi, ut poſt quinquennium Papiæ nova Synodus haberetur, quo cum anno 1423 Prælati a nationibus & provinciis delecti, reformandæ eccleſiæ deſiderio frequentes conveniſſent, ob luem peſtiferam Senas abierunt, ubi quid circa inquiſitionem hæreticorum contra *Petrum de Luna*, & de unione Græcorum geſtum fuerit, ex actis ejus concilii, quæ a *Nicolao Fabri* acceperat Richerius, exponit.

In Baſileenſi, quod ſequitur, concilio Conſtantienſis ſynodi decreta de autoritate concilii ſuper Papam iterum iterumque repetita, &, quod in ſingulis fere ſeſſionibus diligenter inculcat, verbis pariter ac factis ſtabilita, ab Abbate *Panormitano*, *Nicolao Cuſano*, & *Johanne Patriarcha Antiocheno* peculiaribus ſcriptis defenſa, & ab ipſo Pontifice *Eugenio* in ordinem redacto approbata fuiſſe refert, nebulas a *Cajetano*, *Bellarmino*, *Vallio* & aliis objectas diſſipat, & quibus artibus Romanus præſul ſalubriter a patribus intento reformandæ eccleſiæ concilio

cilio remoram injicere, & contra jus commune absolutæ suæ monarchiæ potentiam sartam tectam conservare annisus fuerit, enarrat. Nec dissimulat his Romanæ curiæ machinis effectum fuisse, ut multi, qui pro ecclesiæ & conciliorum autoritate egregie steterant, sive cardinalitiæ purpuræ autoramento excœcati, sive aliis beneficiorum philtris fascinati libertatem proderent, & Eugenii a concilio hoc, quod Græcorum prætextu dissolvere & Ferrariam transferre conatus fuerat, exautorati partibus faverent. In his fuerunt paulo ante nominati, *Nicolaus de Cusa*, cujus epistolas pro Eugenio scriptas Richerius examini subjicit, & *Panormitanus*, cujus argumenta, a *Ludovico Romano* defensa, *Johannes de Segovia* Theologus Hispanus, & *Ludovicus Alemannus* Cardinalis Arelatensis confutarunt.

Actis sessionis 36, occasione decreti de immaculata B. Virginis conceptione, prolixa Autoris de hac controversia digressio inserta legitur. Ac primum quidem ex *Jacobi Fabri* commentariis, quos in scholæ Sorbonicæ tabulario reliquit, varia dissidia ante & post concilium Basileense in Academia Parisiensi agitata repetit. Refert enim, quid a Facultate Theologica seculo decimo quarto contra *Johannem de Montesono* Hispanum, ejusque hyperaspisten *Guilelmum* Ebroicensem Episcopum, seculo decimo quinto contra *Johannem Viridem*, & seculo decimo sexto contra *Maldonatum* & alios Jesuitas, Parisiensis Episcopi patrocinio suffultos, pro immaculata Mariæ conceptione decretum actumve fuerit. Et hac certaminum historia præmissa Richerius suam de hac controversia sententiam exponit, asserens, Beatam Virginem equidem quoad jus, debitum, obligationem, habitum & in actu signato, minime vero de facto & in actu exercito originale peccatum contraxisse, quia singularis cujusdam gratiæ amuleto ita divinitus præmunita fuerit, ut realiter peccati originalis macula nullo modo potuerit inquinari, idque non opinione probabili, sed fide catholica teneri oportere. Quam sententiam primum e Scriptura, deinde ex tacito ipsius naturæ sensu, tum ex Patrum testimoniis, & tandem ex Jure canonico & ecclesiæ catholicæ consensu confirmare & contra Maldonati exceptiones & objectiones stabilire nititur: veritus, ut videtur, ne si aliter sentiret, Basileensis concilii autoritas, quam infallibilem & omnibus modis salvam esse cupit, aliquid detrimenti pateretur.

Decreta Constantiensis & Basileensis concilii approbavit Sanctio pragma-

pragmatica a *Carolo VII* Franciæ Rege Biturigibus condita, quam cum *Ludovici IX* sanctione Richerius comparat, obiter animadvertens, quod *Margarinus de la Bigne* in sua Patrum bibliotheca istam Ludovici sanctionem, ut eam Curiæ Romanæ tolerabiliorem redderet, castrare ausus fuerit. Postea prolixius recenset, quantopere post *Nicolaum* V, *Pius* II, ab *Ænea Sylvio* Canonico Tridentino, nondum Episcopo, nondum Cardinali, nondum Pontifice admodum diversus, aliique Pontifices Romani, pro obliteranda sanctione pragmatica laboraverint, & quanta constantia Ecclesia Gallicana, libertatis suæ & conservandæ tenacissima, & recuperandæ studiosissima, conatibus istis, qui erraticæ febris instar subinde corpus suum infestarunt, sese opposuerit, donec *Francisco* I *Leoni* X & concilio Lateranensi tandem cederet.

Synodum hanc Lateranensem *Julius* II oppositi concilio Pisano *Maximiliani* I Cæsaris, *Ludovici* XII Galliarum Regis & aliquot Cardinalium auspiciis indicto, cujus actis præmittitur ejusdem apologia a *Philippo Decio* conscripta, ejusdemque clarissimi Jureconsulti consilium pro Ecclesiæ autoritate latum, & oratio pro defensione concilii Pisani contra Lateranense concilium habita. In ipsis autem actis concilii Pisani, quod *Julium* II papali officio suspendit, proœmii locum occupant constitutiones quædam concilii Constantiensis & Basileensis, & formula atrocissimi juramenti, quo *Julius* II, antequam Pontifex Romanus eligeretur, & cæteri Cardinales ad reformandam ecclesiam se devoverant, cum aliis quibusdam instrumentis ad procurationem hujus concilii pertinentibus.

In historia concilii Lateranensis, a *Julio* II indicti & a *Leone* X continuati, commendatur oratio *Ægidii Viterbiensis*, qua bellicosum Julii animum perstrinxit; contra *Cajetani* oratio, qua Papæ potestatem nimis extulit & concilium Pisanum reprehendit, refutatur, & singularum sessionum gesta non sine censuris passim interjectis recensentur. Postremo refertur, quomodo *Francisco* I mater sua, & *Ludovicus* Sabaudus, & Cancellarius a *Prato* instinctu Pontificis Romani persuaserint, ac si Mediolanensem Ducatum, quem armis recuperaverat, conservare minime posset, nisi juxta concordata Bononiensia pragmaticam sanctionem in Lateranensi concilio damnatam, vel invitis omnibus regni sui ordinibus, quorum suasiones, obtestationes, querelas & appellationes primum a *Mamerto Patissonio* Gallice editas & postea in La-

in Latinum ſermonem converſas Richerius exhibet, in regno ſuo prorſus aboleret.

Et hanc pragmaticæ ſanctionis abrogationem toti Galliæ regno funeſtam, ipſique Regi omnium calamitatum cauſam extitiſſe Autor judicat, neque minus Cancellarium *Pratenſem*, quamvis purpuram a *Leone* meruiſſet, perpetua nemeſi vexatum fuiſſe animadvertit. Addit Eccleſiæ Gallicæ & Academiæ Pariſienſis planctus, ac ſatyras, quibus Scholaſtici concordata Bononienſia & Cancellarium a Prato exagitarunt, graviterque deplorat varios abuſus, qui ab illo tempore ordinem hierarchicum & diſciplinam eccleſiaſticam peſſime corruperunt, quos Divina providentia ſic diſponente eo ipſo anno, quo Conſtantienſis & Baſileenſis concilii decreta cum pragmatica ſanctione in concilio Lateranenſi abrogata ſint, Martinus Lutherus publicæ luci expoſuerit, cujus doctrinam, quam hæreſin appellat, ob inſanabiles regiminis Eccleſiaſtici corruptelas diu duraturam ominatur.

Tandem poſt commentarios fiduciæ, ut vocant, quibus *Adrianus* VI per Nuncium ſuum *Cheregatum* Principibus Germanicæ nationis in conventu Noribergenſi reformandæ eccleſiæ neceſſitatem ingenue fatetur, & articulos a delectis Novemviris pro eccleſiæ & curiæ Romanæ emendatione juſſu *Pauli* III compoſitos, item articulos fidei a Theologica Facultate Pariſienſi promulgatos, ſequitur hiſtoria concilii Tridentini, quod a praxi veterum conciliorum plane alienum eſſe notat, cum Spiritum S. Roma Tridentum mitti opus fuerit, & Italiæ epiſcopi, a nutu Romani Pontificis dependentes ejusque placitis innutriti, omnium reliquarum provinciarum epiſcopos ſuffragiorum numero longe ſuperaverint; unde factum, ut multa in hoc concilio conſtituta fuerint, quæ a priſtinis eccleſiæ moribus abhorrent. Adducit eam in rem teſtimonia *Claudii Eſpencæi*, *Claudii Sanctii*, *Gentiani Herveti* & *Gilberti Genebrardi*, eademque variis & lectu non injucundis annotationibus illuſtrat, quas hic referre ſuperſedemus, nimiæ prolixitatis vitandæ ſtudio ad finem properantes.

DOMINI BERNOULLI EXAMEN MACHINÆ urinatoriæ a Borello excogitatæ,

Ex Diario Eruditorum Pariſienſi XXI, d. 16 Aug. 1683 deſumptum.

JOhannes Alphonſus Borellus inter alia multa, quæ in erudito opere de motu animalium præclare tradidit, novæ cujusdam machinæ mentionem fecit, cujus ope poſſit homo ſub aquis non tantum adplures horas vivere, ſed & piſcium varios motus imitari. *V. pag. Actorum 73.* Quod in ventū quia & campanæ urinatoriæ, & canalis ſeu tubuli coriacei, cujus olim apud Romanos uſus erat, incommoda diminuit, reaemque reſpirationi aptum diutius ſub aquis conſervat, nec externa aliorū ope urinatorem ſive inter deſcendendum, ſeu inter emergendum indigere patitur; plurimorum eruditorum approbationem meruit, ita ut humanæ induſtriæ poſthac nihil in iſta arte perficiendum ſupereſſe pronunciarent. Sed Dn. Bernoulli, Diarii Gallici XXI pag. 250, id judicium de machina Borelliana latum refellit, ac oſtenſis, quibus ea urgeatur, difficultatibus, prorſus ipſam nullius pretii eſſe concluſit.

Equidem quin iſtarum difficultatum plerisque occurri poſſit (agnoſcente vel ipſo Dn. Bernoulli) dubium non eſt. Namnec plumbea illa fragmenta, quibus compoſitum ex homine & vaſe ad æquilibrium cum aqua reducitur, pedibus urinatoris alligari ullibi Borellus voluit: nec penitus impoſſibile fuerit, ſyringem octo pollices latam epiſtomio ita claudere, ut nullæ amplius rimæ pateant, per quas aquæ admittantur: & quod tertio contra pelleam burſam, quam Borellus conficere docet, objicitur, ad id facilis eſt reſponſio, ſi quis ſolammodo conſtructionem iſtorum canalium, quos ab Antiquis adhibitos fuiſſe diximus, expendat: quo conferatur ipſe Borellus part. I. de M. A. prop. 220, & Schvvent. delic. Phyſico-Mathem. part. XII prop. 14. Interim, quo pacto palmario iſti argumento, quod ab inæquali aeris & aquæ preſſura Dn. Bernoulli ducit, ſatisfieri in Borelli favorem poſſit, vix apparet. Neque enim forte omnis difficultas tollitur, ſi vel maxime aer æneo vaſi incluſus augeatur, quod quidem Borellus ſub finem prop. 222 ſuadet. Id igitur curioſorum maturiori ſcrutinio relinquendum. Examen vero Dn. Bernoulli viſum eſt, ipſius verbis e Gallicis Ephemeridibus hic exhibere, ut, quantum ponderis Clariſſimi Viri argumentationi inſit, tanto magis appareat.

Homo, inquit, *qui in aquam, galea armatus, mergitur, ſi eo modo ad notabilem quandam profunditatem deſcenderet, graviſſima ibi tormenta perferret, ex ea ratione, quod caput tum ſolam preſſionem elaſticam aeris naturalis intra vas incluſi ſuſtineret, reliquum interea corpus*

non

non ſolum preſſioni cuidam atmoſphæram æquanti, ſed etiam gravitati cylindri aquei tanto altioris, quanto homo profundius mergeretur, expoſitum eſt. Id verò ſanguinem e toto corpore, per nares, aures & os exprimeret, & caput multo magis inflaret, quam caro intra cucurbitulas vulgo attollitur. Imo verò ubi galea ad profunditatem 31 pedum (tanta enim requiritur, ut preſſio corporis dupla ſit preſſionis capitis,) pervenerit, dolorem penitus intolerabilem fore exiſtimo. Sed & alios præterea cruciatus urinator ſentiet. Ut enim ipſe una cum vaſe, cujus diameter duorum pedum eſt, demergi poſſit, aſſendendum erit corpori pondus ducentarum librarum. Quo facto hærebit equidem in mediis undis, cum nec plus nec minus ſpecificæ gravitatis obtineat, quam æqualis aquæ portio: attamen quoniam galea ſubinde vi quadam ducentarum librarum aſſendere nitetur, plumbum verò, quod ſacomatis loco eſt, æquali impetu eam fundum verſus trahet, duplex iſte in contrarium niſus demerſi membra diſcerpet, ipſeque homo ſuffocabitur. Verum equidem eſt, incommodo iſti ex parte occurri, ſi ipſi galeæ plumbea fragmenta addantur; non penitus tamen illud evitari poteſt, quia homo ſurſum deorſum perpetuo traheretur, pro ratione, qua epiſtomium ſyringis vel promoveret, vel remitteret.

Non hic dicam de difficultate, quam habet conſtructio ſyringis, cujus cavitas pedem cubicum contineat. Nam ſi ejus longitudinem facias duorum pedum, latitudo novem pollicum cum dimidio erit; finitrium, octo pollices diameter habebit. Judicent hic alii, an parari epiſtomium poſſit, quod ſyringem ejus amplitudinis adeo exactè obturet, ut aqua ſatis impediatur, ne paulatim ſubintret. Hoc addo, ſi loculum quendam, jubente Domino Borello, e corio conficiamus, fore ut preſſio exterior dum intra loculum ſufficientem reſiſtentiam non invenit, omnem inde aerem in vas æneum propellat, loculumque ita comprimat, ut ne minima quidem aeris particula illac amplius tranſire poſſit. Eſto tamen, poſſe his defectibus remedium afferri: Primaria ſane difficultas, quæ inæqualem preſſionem aeris & aquæ concernit, nunquam tolletur. Ita enim argumentor: Ut quis ſub aquis vivere ac reſpirare poſſit, neceſſe eſt, ut aut totum corpus humanum incluſum ſit vaſi, & aere circumdatum, aut quædam corporis pars ex vaſe promineat. Totum corpus incluſum eſſe non poteſt, nulli enim tum uſui foret in fundo maris, ſiquidem finem, in quem mergeretur, non obtineret. Itaque ſi pars quæ-

dam extra ſit, neceſſe eſt ad evitandum dolorem, qui inæqualem preſſionem comitatur, aut ut aliquid in promtu ſit, quod partem ex vaſe eminentem a preſſione aquæ defendat, (exempli cauſa loricæ ſpecies, quæ exacte illam partem circumdet, quæque non ſolum tantam habeat duritiem ut gravitati aquæ, non obſtante irregulari ejus figura, ſatis reſiſtat; ſed ſimul quoque flexibilis ac mollis ſit, ut hoc pacto manus urinatoris epiſtomium (ſyringis) *huc atque illuc agere, inque fundo maris operari poſſint, quæ quidem res plane impoſſibilis eſt;) aut oportet, ut de medio augendi preſſionem aeris incluſi cogitemus, id quod fieri non poteſt, niſi per aeris condenſationem, ſi ſcilicet vas non ex ære, ſed e corio molli ac tenero paretur, ut complicari queat & exteriori preſſioni aquæ cedere. Ita enim aer in vaſe ad minus ſpatium ſenſim ſe reducens tanto plus roboris acquiret, quanto profundius illud demittetur. Difficultas in hoc caſu fuerit, quod ſyrinx tollendo aut demittendo homini non amplius ſit ſervitura. Ubi enim vas ab aqua premente coarctatum in profunditate 30 circiter pedum, ultra duos extenſionis ſuæ pedes cubicos perdiderit, urinator fruſtra vel ad ſummitatem uſque ſyringis epiſtomium retrahet, ad recuperandum unicum pedem. Æternum enim aquis ſepultus in maris profundo remanebit.*

Præter iſta omnia nihil habebit hæc machina præ campana peculiare, quippe eidem incommodo obnoxia, quod reſpirationem in aere condenſato comitatur; fiſtula enim & loculus, de quibus Borellus, campanæ aque ac iſti machinæ aptari poterit; ut adeo perditis opera ac oleo ſemper in eandem difficultatem incidamus.

Ex his concludo: Machinam Borellianam plane nullius eſſe pretii.

LA VIE DE MADAME HELYOT,

ſive

Vita Helyotæ, fœminæ.

a Paris, chez Eſtienne Michalet, 1683 in 8.

HEracliota Zeuxis eum a Crotoniatis ad exornandum egregiis picturis templum Junonis, quod religioſiſſime colebatur, ingenti pretio conductus eſſet, ſtatuit ſecum ſub Helenæ ſimulacro perfectiſſimam formæ muliebris pulchritudinem exhibere. Itaque ex univer-

universo virginum numero, quas formosissimas omnium judicaret elegit, ac quidquid in singulis eximium atque notabile deprehenderat, in picturam suam transtulit, ratus se hac ratione fœmineæ pulchritudinis imaginem rectissime posse absolvere. Idem consilium secutus videtur auctor, quem e Societate Jesu esse produnt præfixæ privilegii & approbationis formulæ, confessionarium pag. 482 professetur, ætate provectum Præfatio indicat, sed qui suum nos latere voluit nomen. Is enim *Mariæ* cujusdam, Parisiis anno 1644 e gente Herinxia & Oliveria natæ, Helyoto consiliario regio anno 1662 nuptæ, & trigesimo septimo ætatis anno 1682 defunctæ vitam expositurus, quidquid venustatis, pietatis, modestiæ, castitatis, frugalitatis, patientiæ, sanctitatis, ac reliquarum virtutum fœminei sexus commendatur in variis, de una Helyota sua prædicavit, sanctissimæ fœminæ imaginem quasi & exemplar ob oculos sistens. In Sanctarum tamen numerum referre eam non est ausus, sive quod memoria ejus vitæ recentior esset, quam quæ hoc elogium admitteret, sive quod Urbani VIII decreto obtemperans auctor, sedis apostolicæ sententiam privato judicio antevertere vereretur. In duas narrationem universam distribuit partes: quarum altera brevior, nascentem, adolescentem, virtutumque ac pietatis semina quasi animo concipientem, matrimonii deinde castissimis nexibus implicitam, exeoque filiolum suscipientem, sed qui quarto ætatis anno vix expleto decesserit, quem ipsa mater integerrimam Deoque dicatam vitam agens placidissimeque obiens secuta fuerit, sistit; altera prolixior, uberrimos suavissimosque sanctissimæ per omne virtutum genus exactæ vitæ fructus exhibet, ardentissimi amoris erga Deum, integerrimæ dilectionis proximi, disciplinæ exquisitissimæ sui, ac sollicitæ curæ aliorum æque ac suæ salutis promovendæ, precum item, fidei, pœnitentiæ, patientiæ, misericordiæ ac beneficentiæ in omne miserorum genus, suavitatis morum, frugalitatis, sobrietatis, & aliarum virtutum illustria documenta præbens, & rerum sancte ac præclare ab ea gestarum copiosam narrationem pertexens. Plane autem singularia sunt & communem mortalium sortem supergrediuntur ac fidem excedunt, quæ de radiis e facie ejus promicantibus, bono odore quem ipsius corpus spiraverit, vario morborum genere quos ipsa sanarit, apparitionibus item post mortem, quibus in hunc usque diem conspiciendam se devotis

fœminis præbeat, & memoriam ſui conſervet, admirationem vero augeat, refert: quæ ſive vera ſint ſive conficta, in Divarum certe ac Sanctarum catalogum aliquando relatum eam iri, diribitore aliquo Pontifice, præſagitnut.

CONJUNCTIO LUNÆ ET PALILICII de die obſervata Gedani Anno 1683 d. 6. Nov. ſtylo novo,

a

JOHANNE HEVELIO.

CUm die 6 Novembr. ſt. n. conjunctio Lunæ & Palilicii incideret, etiamſi Ephemerides vix ſpem aliquam facerent illam conjunctionem, ob ſolis ſplendorem, videndi: nihilominus tamen volui ad illam diligenter attendere, ut, ſi fieri poſſet, accurate deprehenderem, quousque Luna ad ſtellam accederet, ſplendente licet Sole. Id quod etiam feliciter mihi ſucceſſit. Nam orto jam Sole, & ad duos gradus elevato, Tubo decem pedum, ac Micrometro inſtructo, diſtincte diſtantiam Palilicii a Lunæ limbo orientali dimenſus ſum, comperique, 44'.6" adhuc eſſe: ſic ut ab ipſa conjunctione 1°. 14' adhuc abeſſent. Quousque autem Luna, tempore conjunctionis, ad Palilicium revera acceſſerit, adeo accurate indicare haud poſſum: cum poſt ea impedimenta intervenerint, quominus in ipſo puncto conjunctionis (quæ poſt nonam matutinam, quantum colligere licuit prius, incidit) remotionem iſtam notare potuerim. Interea tamen nihilominus hæc obſervatiuncula bene notari meretur (etiamſi nonniſi unica tantum diſtantia impetrata ſit) qua videlicet Palilicium a Luna, ſplendente jam Sole, obſervatum eſt: id quod profecto, quantum memini, nunquam, etſi 30 annorum ſpatio obſervationibus operam dederim, mihi obtigit: nec compertum habeo, an id ab ullo aliquo alio obſervatore, circa illam ipſam ſtellam deprehenſum ſit. Proinde non ſemper animus abjiciendus eſt, in Obſervationibus peragendis, quando Occultationes & Tranſitus de die incidunt, ſed ſedulo attendendum. Gedani d. 9 Novembr. ſt. n. Anno 1683.

HENRI-

HENRICI GUNTHERI THULEMARII, J. U. & Philoſ. D. & Academiæ Heidelbergenſis Profeſſoris P. ordinarii Tractatio de Bulla aurea, argentea, plumbea ac cerea in genere, nec non in ſpecie de Aurea Bulla Caroli IV. Imperatoris, &c.

Heidelbergæ, 1682 in 4.

AUream Bullam, ſanctionem illam Imperii noſtri pragmaticam & fundamentalem, ex ipſo, quod Francofurti ad Mœnum ſancte aſſervatur, autographo editurus Auctor clariſſimus, operæ pretium ſe facturum putavit, varia ſimul nec indigna memoratu de bullis commentari. Hinc de multorum ſigillis aureis, argenteis, plumbeis & cereis plurima præfatus, ipſam Aureæ Bullæ hiſtoriam aggreditur, dicendo, eam neque ab ipſo Carolo, neque conſiliario ejus, Bartolo JCto, quippe qui jam A. 1355 Peruſii diem ſuum obiiſſet, ſed ab ipſis Procerum Germaniæ miniſtris confectam; ejusque demum Capita XXIII priora anno 1356, 4. Id. Januarii Norimbergæ in ædibus ad inſigne aurei clypei conſcripta ac edita; reliqua vero eodem anno in curia Metenſi ipſo ſacri Natalis feſto compoſita ac promulgata, neque alia de cauſa, quam ut Romano Pontifici aliisque Germanicæ linguæ ignaris innoteſcere poſſet, latino idiomate exarata fuiſſe. His præmiſſis, de Aureæ Bullæ originalibus *Latinis*, nec non editionibus diverſis & commentatoribus prolixe diſſerit. Ratione originalium pro certo habet, unumquemque Electorum a Carolo IV exemplar authenticum aureo ſigillo roboratum acceptiſſe, neque, ut nonnulli voluerint, authenticum Palatinum, proximo tricennali bello Germanico Romam avectum, ſed adhuc illæſum in Heidelbergenſi archivo, aſſervari, id quod ipſe auctor αὐτόπτης teſtatur. Præter Electores vero liberam quoque Civitatem Mœno-Francofurtanam originali a Carolo IV donatam fuiſſe, quod omnium famigeratiſſimum & emendatiſſimum putetur. Ad apographa deinde progreſſus, in typis impreſſa & manu ſcripta illa dividit. Inter hæc laudat M S. in Bibliotheca Vindebonenſi juſſu Imperatoris Wenceslai deſcriptum, multisque figuris exornatum, nec non Norimbergenſe

Grund-

Grundherranum. Ex impressis recensetur *Colonienſe* 1530: *Moguntinenſe* duplex, quorum primum anno 1548 & alterum 1575 lucem adſpexerit: *Francofurtenſe* apud Chriſtianum Egenolphum ſtudio ac opera Juſtini Gobleri JCti editum: *Antwerpienſe* 1566: *Cujacianum*, quod in appendice librorum Cujacii feudalium legatur, ac denique *Palatinum* a Goldaſto inter Conſtitutiones Imperiales relatum. Memorantur poſtea varii Aureæ Bullæ commentatores, Goldaſtus, Gerlacus Buxtorfius, Dominicus Arumæus, Martinus Rumelin, a Jacobo Speidelio & Nicolao Mylero ab Ehrenbach locupletatus, Georg. Theodorus Dietericus, Johannes Limnæus, Joh. Andreas Cruſius, Joh. Volckmann Bechmannus, Georgius Lehmannus, Petrus Oſtermannus & Hieronymus Caniſius. His omnibus ſubjicit accuratiſſimam autographi Francofurtani deſcriptionem, ac tandem quoque varias verſiones ac editiones *Germanicas*: & primo quidem eam, quæ Imp. Wenceslai juſſu facta, in hodiernum diem in Bibliotheca Cæſarea oſtendatur, ut & *Moeno-Francofurtanam* cum authentico latino in eadem ciſtula aſſervari ſolitam: *Venetam* inde, juſſu Friederici III Imp. a Johanne Jenſon primo excuſam, ac eodem anno a Johanne Bæmler *Auguſtæ Vindelicorum* repetitam, & denique a Goldaſto Conſtitutionibus Imperialibus inſertam: *Argentinenſem* anno 1485 apud Joh. Preuſſen: *Spirenſem* 1527 a Petro Trachen: *Moguntinenſem* A. 1562 a Franciſco Bohem: aliam tandem *Goldaſtinam* part. II. der Reichs-Satzungen editam; quas omnes tamen cum latino authentico neutiquam convenire neque adeo vim probandi habere dicit. Exhibetur tum ipſe Aureæ Bullæ tenor juxta authenticum Francofurtenſe; quem excipit alia *Bulla Aurea* in forma epiſtolæ commendatitiæ conſcripta, quam anno 1330 *Andronicus* II Imperator Conſtantinopolitanus Henrico Henrici Mirabilis filio, Alberti M. nepoti, Duci Brunſvicenſi, Orientem tunc temporis perluſtranti dedit, cum notis doctiſſimi quondam Viri, Henrici Meibomii, novisque Auctoris noſtri, ut vocat, additiunculis. Accedit *Bulla Brabantina* ab eodem Carolo IV. Imp. Johanni Duci Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgiæ anno 1349 conceſſa, cujus mentio in Inſtrumento Pacis Weſtphalicæ, ac Ferdinandi IV, nec non moderni Cæſaris auguſtiſſimi Leopoldi, Capitulationibus injicitur. Agmen denique claudit *Maximiliani II Imp. Capitulatio*, quam Germanico idiomate contextam, eamque integram, juxta ipſum

ſum Archivi Palatini exemplar authenticum, luci publicæ Auctor omnium primus exponit; ſicque oſtendit, Capitulationis illius exemplum quale Goldaſtus, & ex eo Carpzovius, Limnæus, aliique edidere, mutilum fuiſſe.

INDEX
AUCTORUM AC RERUM.
I. Theologica & ad Eccleſiaſticam Hiſtoriam ſpectantia.

S. Anaſtaſii *Sinaitæ Anagog. Contemplationum in Hexaemeron l. XII.* pag. 25
Anonymi Geneſis cum explicatione ſenſus literalis & ſpiritualis. 181
Anonymi Conſiderationes unionis Calviniſtarum cum Lutheranis. 213
Anonymi Collationes Proteſtantium oppoſitæ Clero Gallicano. 214
Anonymi Conſiderationes ad Epiſtolam circularem Cleri Gallicani. 255
Anon. Tractatus de ratione humana. 306
Anon. Epiſtolæ imaginariæ & viſionariæ &c. 477
Anon. Hiſtoria hæreſeos Wicleſi, Huſſi, & Hier. Pragenſis. 506
Antonii Arnaldi *Præjudicia legitima contra Calvinianos.* 438
S. Aurelii Auguſtini *Operum Tomus quartus.* 1
Matth. Frid. Beckii *Paraphraſis Chaldaica libri II. Chronicorum.* 504
Ludovici le Blanc *Theſes Theologicæ.* 420
Jac. Benigni Boſſueti *De communione ſub duabus ſpeciebus.* 230
Collatio cum Claudio Miniſtro Charentonio. 231
Burneti *Animadverſiones in Acta Comitiorum Cleri Gallicani.* 210
Abrahami Calovii *Biblia declarata.* 181
D. Juſti Cami *novus Iſmael &c.* 13
Joh. Claudii *Defenſio reformationis adverſus Arnaldum.* 443
S. Cæcilii Cypriani *Opera cum notis Johannis Epiſc. Oxonienſis.* 41
Dyrois *Præjudicia pro religione Chriſtiana contra Atheiſmum.* 364
Joh. Leonhardi de Fenis *De erroribus religionis prætenſæ Reformatæ.* 530
Car. du Freſne *Epiſtola de libellis adverſus Henſchenium & Papebrochium diſſeminatis.* 127

Josephi Glanvilii *Saducismus triumphatus.* 317
Jac. Gronovii *Exercitationes de pernicie & casu Judæ.* 513
Phil. Ludov. Hannekenii *Paralysis fidei Papæ.* 321
Godofredi Henschenii *Acta Sanctorum Maji.* 4
Jacobi Hommey *Milleloquium Morale S. Gregorii.* 371
Antonii Hulsii *Nucleus Prophetiæ.* 405
Johannis *Episcopi Oxonienſis Cyprianus recognitus & illustratus.* 41
Johannis *Episcopi Ceſtrienſis Annales Cyprianici.* 45
Petri Juricæi *Compendium Historiæ Concilii Tridentini.* 397
R. Leonis *Mutinenſis liber de ritibus Judæorum hodiernis.* 136
Melch. Leydeckeri *Oeconomia trium Perſonarum in negotio ſalutis humanæ.* 47
Christiani Lupi *De Appellationibus ad Romanam Curiam.* 307
Ad Epheſinum Concilium variorum patrum Epiſtolæ. 345
Epiſtolæ & vita D. Thomæ Archi Ep. Cantuarienſis. 383
Franc. Nunnez *de Cepeda Idea boni paſtoris.* 387
Danielis Papebrochii *Acta Sanctorum Maji.* 4
Ant. Reiseri *Anti Barclajus.* 544
Edmundi Richerii *Historia Conciliorum generalium.* 494. 505
Martini Ruari *Epiſtolarum ſelectarum centuria altera.* 20
Eman. a Schelstraten *Acta Conſtantienſis Concilii.* 501
Joh. Schilteri *de Libertate Eccleſiarum Germaniæ.* 129
Joh. Scoti *Erigenæ de Diviſione Naturæ libri V.* 190
Simonville *Comparatio ceremoniarum Judaicarum cum Diſciplina Eccleſiæ.* 137
Frid. Spanhemii *Introductio ad Chronologiam & Hiſtoriam ſacram.* 422
Stephani Spinolæ *Theologiæ Scholaſticæ pars I.* 241
Joh. Thilonis *Medulla Theologiæ veteris Teſtamenti.* 134
Jac. Thomaſii *Sylloge Dictorum V. & N. Teſtam. Hiſtoriis illuſtr.* 62
Auguſti Varenii *Breviarium Theologicum.* 59
Val. Henr. Vogleri *de rebus Naturalibus & Medicis, quarum in Scriptura S. ſit mentio.* 14
Volpierii *De vita in hoc mundo bene ordinata.* 247
Christoph. Wittichii *Cauſa Spiritus S. victrix.* 39
Conſenſus veritatis revelatæ cum Philoſophia. 40

II. *Ju-*

II. *Juridica.*

Anonymi Animadv. in Furſtenerium de jure Suprematus Principum Germaniæ. 100
Anonymi Breviſſimæ juris Canonici Inſtitutiones. 328
Anonymi Inſtitutiones juris publici Germanici Romani. 358
Borjon *de officio judicis in genere.* 285
Caſſiani *a S. Elia Centum Hiſtoriarum Examen.* 269
Claudii Columbet *Paratitla Digeſtorum.* 288
Joh. Doujatii *Inſtitutiones Theophili, notis illuſtratæ.* 289
Ern. Gockelii *Tractatus de jurisdictione ſuprema.* 189
Henr. Hahnii *ad Paragr.* de indaganda, *in Inſtr. Pacis Osnabr.* 257
Ehrenfr. Klozii *Differentiæ Iuris Civilis, & Reform. Francofurtenſis.* 188
Ludov. Gunth. Martini *Annot. ad Inſtitutiones Iuſtiniani.* 103
Petri Mulleri *Jurisprudentia Elementaris.* 284
Phil. Alb. Orthen *De Regali conducendi jure.* 102
Franc. Sadarini *Reſponſa cum Rebus judicatis.* 286
Ioh. Schilteri *De Tutelis & Curis ad Pandect. libros 26 & 27.* 104
Ioh. Strauchii *Inſtitutionum juris Publici ſpecimen.* 414
Chriſtiani Thomaſii *Annot. ad Strauchii Diſſert. Iuſtinianeas.* 102
Henr. Gunth. Thulemarii *Tractatio de Bulla Aurea.* 559
Ioh. Voet *Compendium juris juxta ſeriem Pandectarum.* 189

III. *Medica & Phyſica.*

Academiæ *Naturæ Curioſorum Miſcellaneæ Curioſa.* 260
Tob. Andreæ *Bilanx Bilſianæ & Clauderianæ Palſamationis.* 270
Anonymi Medicus ſui ipſius. 168
Anonymi Anatomiæ humani corporis Compendium. 410
Ioh. Ioach. Becheri *Urna ſortis fortuitæ Chymica.* 361
Berneri *Dubia de quibusdam capitibus Philoſophiæ Gaſſendi.* 472
Iac. Bernoulli *Cogitationes de gravitate ætheris.* 106
Ioh. Bohnii *Obſervatio circa motum bilis ab epate ad veſicam biliariam.* 126
circa uſum ſpiritus vini externum in hæmorrhagiis. 153
circa venæ pulmonalis propaginem tuſſi rejectam. 218
circa auri & argenti ſolutionem. 409

Cornelii Bontekoe *Diatriba de febribus.* 354
Fragmenta de Acido & Alcali. 355
Ioh. Alph. Borelli *de motu animalium Opus poſthumum.* 32. 63
Inventa nova machinæ & navis urinatoriæ. 73
Wilhelmi Briggs *Nova Theoria viſionis.* 454
Benjamin a Brochhoyſen *Oeconomia corporis animalis.* 341
Ioh. Conr. Brunneri *Experimenta nova circa pancreas.* 198
Georgii Calafatti *Tractatus de peſte.* 198
L. Chameau *Tractatus de ſcorbuto.* 543
Moſis Charas *Pharmacopœa Regia, Galenica & Chymica.* 361
I. Commelini *Catalogus plantarum indigenarum Hollandiæ.* 517
Fr. Milliet Deſchales *Tract. de motu locali & elaterio.* 451
Dedu *Tentamen Phyſicum de anima plantarum.* 492
Ian. Abr. a Gehema *De plica Polonica.* 201
Antonii de Heide *Novum lumen pharmacopœorum.* 508
Ioh. Helfr. Juncken *Medicus præſenti ſeculo accommodandus.* 38
Iac. Iungii *Vulnerum cerebri curatio aſſerta.* 322
Emanuelis König *Regnum Animale.* 360
Nicolai Lemerii *Curſus Chymicus.* 251
Antonii Levvenhoeck *obſervatio de pilis.* 512
Ioh. Marci Marci *Othoſophia, ſeu Philoſophia impulſus univerſalis.* 242
Mariotti *Epiſtolæ de novo invento circa viſionem.* 67
E. Maynvvaring *Methodus ſanitate, vigore, & longævitate fruendi.* 464
I. Michault *Diſcurſus Chirurgici.* 37
Dan. Georgii Morhofii *Stentor ὑαλοκλάστης.* 194
Lucæ Antonii Portii *Eraſiſtratus, ſive de ſanguinis miſſione.* 161
Ioh. Raji *Methodus nova plantarum.* 184
Raimondi Reſtaurant *Hippocrates de uſtionibus ſive ſonticulis.* 156
Magnus Hippocrates Cous redivivus. 157
Viti Riedlini *Obſervationum Medicarum centuria.* 273
Petri Rivalieiz *Obſervationes Medico-Phyſicæ tres.* 219
Ioh. Eberh. Schvvelingii *Mens immortalis contra Atheos demonſtrata.* 335
Iac. Sponii *Obſervatio circa aquam Rhodani.* 519
H. Tencke *formulæ medicamentorum Galen. & Chymicorum.* 414
Ed. Tyſon *Obſerv. circa pilos in diverſis corporis membris repertos.* 215
Verney *Tractatus de auditus organo.* 301
Franc. Zypæi *Fundamenta Medicinæ Phyſ. Anatomica.* 536

IV. *Mathematica.*

Petri Ango *Optica.* 163
Anonymi Observatio novi Cometæ a. 1683 Lipsiæ facta. 368. 435
Iac. Bernoulli *Examen machinæ urinatoriæ Borelli.* 553
F. Blondelli *Historia Calendarii Romani.* 347
Boffati *Telescopium Catadioptricum & Diacatoptricum.* 124
Ern. Frid. a Borgsdorf *Munimentum inexpugnabile.* 27
Ismaelis Bullialdi *Arithmetica Infinitorum.* 207
Renati des Cartes *Epistolarum Pars III.* 548
Iob. Cassini *Descriptio phænomeni cœlestis a. 1683 observati.* 274
Comiers *Problema Geometricum.* 125
Antonii Desgodets *Ædificia antiqua Romana exactissime mensurata.* 265
Iob. Hancke *Doctrina Eclipsium.* 169
Heathcot *Observ. Eclipseos d. 19 Aug. 1681, in Insula S. Laurentii.* 537
Iob. Hevelii *Occultatio Palilicii d. 9 Ian. 1683 observata.* 201
Tres Conjunctiones magnæ Saturni, Iovis, & Martis a. 1682 & 1683 observatæ. 290
Observatio circa nonnullas occultationes fixarum. 350
Historiola Cometæ anni 1683. 484
Conjunctio Lunæ & Palilicii d. 6 Nov. 1683, de die observ. 558
De la Hire *Gnomonica.* 466
G. G. L. Meditatio Iurid. Mathematica de interusurio simplici. 425
Gemin. Montanarii *de Cometa a. 1682 viso Epistola.* 128
Iob. Henr. Olhofii *Excerpta ex literis ad Hevelium scriptis de rebus Astronomicis.* 290
Claudii Ptolemæi *Harmonica.* 77
God. Schultzii *Occultatio Hyadum & Palilicii d.* $\frac{9\ Ian.}{30\ Dec.}$ *a.* $\frac{1683}{1682.}$ 170
Conjunctio magna Saturni & Iovis 1682. 298
Valentini Stanfel *Observationes Americanæ Cometarum.* 350
Iob. Christoph. Sturmii *De Conjunctionibus magnis Saturn. & Iovis.* 169
Novum lampadis genus. 504
D. T. Nova methodus determinandi maxima & minima. 122
auferendi omnes terminos intermedios ex data æquatione. 204

data figura, rectis lineis & curva Geometrica terminata, aut Quadraturam, aut impossibilitatem ejusdem determinandi. 433
Joh. Wallisii *Harmonica Ptolemæi.* 77

V. *Historica & Geographica.*

Christoph. Acugnæ *Relatio de flumine Amazonum.* 323
Anonymi Vera Historia Calvinismi, opposita Maimburgio. 507
Anonymi Historia Calvinismi & Papismi parallela. 530
Anonymi Critica generalis Historiæ Calvinismi Maimburgianæ. 329
Olai Borrichii *Dissertationes Academicæ de Poëtis.* 281
Isaaci Bullartii *Academia artium & scientiarum.* 177
Franc. Damiani *ingressus Dn. Basadonnæ ad Procuraturam S. Marci.* 333
Joh. Doujatii *Livius illustratus.* 81
Guil. Dugdalii *Conspectus nuperorum Angliæ motuum.* 227
Petri Gazzotti *Historia bellorum in Europa ab a. 1643 ad 1680 gestorum.* 332
Joh. Georgii Grævii *Justinus.* 179
Antonii de Grassis *Maurocena Megaloprepeja.* 299
G. Guilleti *Historia Regni Mohametis II Turcarum imperatoris.* 87
Ludov. Hennepini *Descriptio Louisianæ nuper detectæ.* 374
Jac. Guil. Im Hof *Spicilegium Rittershusianum.* 425
Adr. Jordani *Critica de origine Augustæ Familiæ Regum Galliæ.* 468
Justini *Historiarum libri XLIV ex recensione Grævii.* 179
T. Livii *quæ extant, cum notis Doujatii.* 81
Ludov. Maimburgii *Historia Calvinismi.* 97
Prosperi Mandosii *Bibliotheca Romana.* 237
Petri Megerlini *Theatrum Divini regiminis.* 341
Cl. Fr. Menestrerii *Aula Caroli V. Galliæ Regis.* 261
Iohannæ Borboniæ Reginæ. 414
Excerptum ex Mercurio *Gallico de Insignibus Ducis Burgundiæ.* 357
Fr. Henr. Noris *Cenotaphia Pisana Caji & Lucii Cæsarum illustrata.* 113
Antonii Pagi *Dissertatio de Consulibus Cæsareis.* 235
Caroli Patini *Introductio ad Historiam Numismatum.* 417
Gedeonis Pontieri *Bibliotheca Magnatum.* 30
I. B. de Rocoles *Vita Sultani Gemes.* 203

Rou *Notæ ad Maimburgii Historiam Calvinismi.* 97
Thevenotii *Itinerum Syllabus.* 329

VI. *Philosophica & Philologica Miscellanea.*

Annæ *Tanaqv. Fabri filiæ Anacreontis & Sapphus Poemata.* 402
Comœdiæ quædam Plauti. 404
Anonymi Tractatus de usu Schedularum inter mercatores. 203
Anonymi Novi mortuorum Dialogi. 381
Ælii Antonii *Nebrissensis Dictionarium.* 225
Augusti Buchneri *Orationum Academicarum Volumen II.* 147
Notæ ad Taciti Agricolam. 399
Ioh. Caramuel *nova Dialectica Metaphysica.* 532
Iac. Nic. Colberti *Philosophia vetus & nova ad usum scholæ.* 15
Gisberti Cuperi *Apotheosis Homeri.* 538
Ioh. Eggelingii *Mysteria Cereris & Bacchi.* 140
Ioh. Ludov. Fabritii *Apologeticus contra Atheismum.* 176
Christoph. Fischeri *Oeconomia Suburbana.* 222
Fleurii *Mores Israelitarum.* 173
Mores Christianorum. 174
Ioh. Frid. Gronovii *Notæ in L. A. Senecæ Tragœdias.* 49
Harpocrationis *Lexicon cum Mausaci & Valesii notis.* 465
Ioh. Iac. Hofmanni *Lexici Universalis continuatio.* 380
Wolff Helmhard Domini ab Hohberg *Georgica curiosa.* 313
Dan. Huetii *Liber de origine fabularum Romanensium.* 385
Juliani *Apostatæ Cæsares ad convivium Deorum invitati.* 311
Ioh. Georgii Kulpis *Collegium Grotianum super Iure belli & pacis.* 187
Martini Listeri *novum monumentum Romanum descriptum.* 460
Manuvillii *Fortuna & Infortunium matrimonii.* 312
Ioh. Marckii *De Sibyllinis Carminibus.* 389
Cl. Fr. Menestrerii *Philosophia Imaginum.* 17. 344
De diversis Nobilitatis generibus. 51. 250
De saltationibus veterum & hodiernis. 238
Franc. a Mesgnien *Thesaurus Linguarum Orientalium.* 362
De la Mothe *Iosseval Tiberius, seu Discursus Politici in Tacitum.* 534

Mureti *Tractatus de conviviis.* 343
Gabrielis Naudæi *Bibliographia militaris.* 512
Ioh. Pauli Olivæ *Epistolarum Tomus primus,* 132
secundus. 332
Thomæ Reinesii *Syntagmatis Inscriptionum Indices.* 139
Hier. Ruverei *pueri decennis Carmina.* 387
Ioachimi de Sandrart a *Stockau Academia Artis Pictoriæ.* 418
L. A. Senecæ *Tragœdiæ cum notis I. F. Gronovii.* 49
Iac. Sponii *Miscellanea Eruditæ Antiquitatis.* 369
Iac. Thomasii *Orationes varii argumenti.* 152
Franc. Vavassoris *Multiplex & varia Poesis.* 267
Wickfortii *Tractatus de Legato, ejusque munere.* 140

ERRATA NONNULLA.

Pag. 10. lin. ult. & pag. 11. lin. 1. pro *Horreense diploma, quod falsum censuerat Papebrochius, verum esse asserens,* lege: *Archivi Sandionysiani diplomata quædam, quæ falsa censuerat Papebrochius, vera esse asserens.* Pag. 106, lin. 10. pro *27 & 28,* lege *26, & 27.* Pag. 172, lin. 19. pro *E & O,* lege ξ. *& o.* Pag. 189. lin. 18. pro *quanta,* lege *in quantum.* Pag. 287. lin. 32. pro *Reßonsi,* lege *Reßonsis,* & pro *usque,* lege *ubique* Pag. 298. lin. 22. pro *& ψ ad lineam,* lege: *ex ψ demissum ad lineam.* Pag. 554. lin. 7, pro *reaem* lege *aerem.* Cætera Benevolus Lector corriget ipse: jam enim relegere hujus anni Acta integra non vacat.


BIBLIOTECA